Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
14 D
24

Digitized by Google

Digitized by Google

FLORIDVS

MANIPVLVS DIVINAE SCRIPTVRAE,

IN QVO PERMVLTA DIFFICILIORA LOCA *ex ampliſſima Veteris, & Noui Teſtamenti ſerie deprompta catholicè exponuntur, atque doctiſſimè elucidantur, Theologis, atque Concionatoribus vtiliſſima:*

AVCTORE D. IOHANNE ALBA HISPANO
Vallis Chriſti Monaco.

CVM QVADRVPLICI INDICE LOCVPLETISSIMO

Admod. R. P. F. AEGIDIO GOTTARDO Ariminen. Auguſtin. S. Theol. Mag. Concionatore eximio, & Illuſtriſſ. D. Nuncij Apoſt. apud Sereniſſ. Venetam Rempub. Theologo digniſſ. dicatus.



VALENTIAE, M DC XV.

APVD PHILIPPVM PINCINALEM.

Cum facultate Superiorum, & Priuilegijs.

Digitized by Google

ADMODVM

REVER. PATRI S. THEOL. MAG.

F. AEGIDIO GOTTARDO

ARIMINENSI AVGVSTINIANO

Concionatori eximio, necnon Illuſtriſsimi D. Nuntij Apoſt. apud Sereniſ. Venetam Remp. Theologo meritiſſimo S.

ALMÆ Religionis Cartuſiæ vir omni eruditionis genere inſignis, atque omnibus bonarum litterarum ſtudijs optimè inſtructus Iohannes Alba, inter egregia glorioſi ingenij monumenta ex aſſidua lectione, & meditatione Scripturarum ſanctarum plurima reliquit indefeſſis, atque adeo Erculeis laboribus comparata, quæ magnopere illuſtrare valent non tantum ordinem Cartuſienſem, ſed noſtram Hiſpaniam, ac Italiam, ſeu cæteras omnes Chriſtiani orbis partes. Atque hoc non tantum iudicio meo, verum Eruditorum omnium conſenſu, & ſenſu tri-

buendum

Digitized by Google

bucundum ; Cum illud conſecutus ſit continuis, & admirandis locubrationibus. Quibus factum eſt, vt infinita propemodum nobis ſuppetant in vniuerſam ſacram Scripturam, deſcripta ob id Illuſtrium Virorum perſuaſione ; Votiſq. noſtris iactum eſt, vt ea typis, ſeu in lucem prodire cogitaremus, & demandaremus.

At quoniam illud eius nomine imprimi nos mirum in modum auemus, qui maxime poleret ingenio, quique ſuarum virtutum ſplendere, ornare, augere, & illuſtrare poſſet in lucem edere tibique, quem nobiliores, ac præſtantiores totius Italiæ Ciuitates non ſine ſumma omnium admiratione Concionantem audierunt, ita vt magna, & conſtans de te fama apud exteras etiam nationes iam peruagata ſit ; dicare decreuimus. Sperantes illud ob candidiſſimas animi tui dotes, Lectores libentius conſpecturos, ac maiori omnibus voluptati fore. Ad quod Illuſtriſſimus ſanctiſsimi Domini Noſtri Venetijs Nuntius iam diu contemplatus, & quæ per te in lucem prodierint non ſemel admiratus ſuum Theologum in toto Sereniſsimo Dominio Veneto, ac propria eius Dioceſi Ariminea te delegit, ac declarauit. Accipe igitur hilari fronte munuſculum hoc meum tenuè, quidem illud, ac Rudæ, ſed ex candido in te animò profectum, & tali, qui libentius ſi poſſet maiora, digrioraque tibi

commen-

commendaret, ſed tuæ humanitatis erit mentem non munus ſpectare, & quoniam te amare cœpi, ſic hunc meum immaturum fetum fouendum ſuſcipies. Vale.

Datum Barcellonæ Kalendis Decembris 1615.

Pater. Tuae Admod. Reu:

Addictiſſimus ſemper

Philippus Pincinalis.

Digitized by Google

PRIOR ET CONVENTVS REGII COENOBII VALLIS CHRISTI LECTORI.

IOHANNES de Alba, noſtræ familiæ alumnus ab ineunte ætate optimis litterarum ſtudijs deditus doctores nactus eſt erudititiſſimos, quorum diſciplina talis euaſit, qualem decebat diſcipulum doctiſſimorum præceptorum. Inter alios vſus eſt magiſtro Benedicto Arias Montano, inſignis eruditionis viro, plurium linguarum notitia, & ſanctarum Scripturarum mira dexteritate apud omnes nobiliſſimo, & celeberrimo, qui non ſemel aut iterum hoc diſcipulo gloriabatur, quippe qui in eo multa videbat, & in dies plura experiebatur, quæ omnibus illum cõmendab lem efficiebant; hoc eſt, præter morum integritatem, in ſtudijs diuinarum litterarum induſtriam, ſolertiam, aſſiduitatem. Quapropter dicere ſolitus erat, magnam ſe Iohannis de Alba opinionem concepiſſe, foreq. vt aliquando fructus ederet ſuauiſſimos. Non multo poſt ſeculo renunciaturus ad nos venit, & Cartuſienſis noſtræ ſocietatis habitum indutus, talem, ſe tantumq. præbuit, vt nobis omnibus eſſet exemplo, & admirationi. Sic vixit apud nos triginta, & amplius annis, in quo perpetuo ſuſpeximus vitam innocentiſſimam, & integerrimam, & animum ſacrarum ſcripturarum ſtudijs, & meditationi ita deditum, vt numquam ab his dimoueri potuerit, ne quidem quo tempore imbecillitas humana ceſſare ſolet, recreãdi tantiſper animi cauſa, rurſumq. eadem ſtud. à promptius, & alacrius recuperandi. Neque tempore tantum quo firmiore vſus eſt valetudine, ſed etiam in aduerſa, vix quiſquam noſtrorum aliquando potuit impetrare, vt aliquanto tempore intermitteret ſacroſancta ſtudia. Etiam tempus vel iuſtiſſimo, & modiciſſimo ſomno debitum, ſibi detrahebat lectioni ſacræ impendendum; numquam eadem, pro more ſuo, verſare deſtitit. Quos fecerit progreſſus, iudicabunt viri docti ex hoc Manipulo, quem nunc poſt aliquot annos ab eius deceſſu in lucem damus. Certe ne iudicium noſtrum interponamus de alumno, & ſocio.

Digitized by Google

ſocio noſtro, illud vere liceat affirmare, ſæpius ac iterum à viris grauiſſimis nos adactos fuiſſe, & propemodum compulſos, vt aliquam partem eius vigil arum diuulgaremus, qûam nunc tandem, eorum precibus victi, in lucem prodire volumus. Sunt enim apud nos tanti viri ingenij laboris, & induſtriæ propemodum innumera; locorumque. Scripturæ ex vtroque Teſtamento centuriæ aliquot in ſchedis inter lituras: quas fortaſſe, ſi hæc prima placuer nt typis mandabimus. Hebraiſmorum vero in vniuerſam Scripturam ingentia volumina, quæ tamquam inſignem theſaurum apud nos aſſeruamus: quorum quanto cenſetur obſcurior cognitio eruditis quibuſque viris, tanto cum ſtudioſorum fructu lucem fortaſſe aſpicerent. Vtinam Deus votis noſtris annuat, vt quod commodo ſacrorum ſtudiorum futurum ſit, vt optamus, præſtare poſſimus. Interim tamen, lector beneuole, te monitum volumus, ne ſi iſta quæ nunc prodeunt, viſa fuerint paradoxa, ea contemnenda putes. Paradoxa quidem plura, ſed non paraloga: quæ ſi præter mentem interpretum aliquando videantur, non tamen ſunt præter Scripturarum ſcopum, ſed ex intimis ſacrorum voluminum viſceribus, & germana eorundem interpretandi ratione deſumpta. Neque vero quemquam remorabitur, ſi aliquando quidpiam redundare in ſcripturis, vel per abuſum dictum affirmet, quod attinet ad phraſim, & genus loquendi ſacræ Scripturæ. Ea enim in translationibus ſæpius redundare, & per abuſum dicta inuenies à doctiſſimis interpretibus, quæ in primis Scripturarum fontibus non redundant; ſed vel redundantia, vel abuſus ex vario linguarum idiomate, in quod ſcripturæ ſanctæ ſunt translatæ, accidit, cum vnaquæque lingua ſua habeat idiomata, ſuas proprietates. Alioqui in Scripturis nil redundans, nil ſuperfluum, nec quidem minima ſyllaba, vel apiculus. Vale optime lector, nobisque, auctorique noſtro Deum precibus concilia. Ex Cartuſia Vallis Chriſti apud Segobrigam, ipſo die Hypapantes Domini noſtri Ieſu Chriſti, anno à Chriſto nato M DC XV.

SACRARVM
SEMIOSEON,
ANIMADVERSIONVM,
ET ELECTORVM, EX VTRIVSQVE TESTAMENTI LECTIONE,
COMMENTARIVS ET CENTVRIA.

AVCTORE D. IOHANNE ALBA,
Cartuſiæ Vallis Chriſti monacho.

BIBLIOTECA … IN ROMA

Digitized by Google

centiſsimam et integerrimam,et animum ſacrarum ſcripturarum ſtudiis et meditationi ita deditum, vt numquam ab his dimoueri potuerit, ne quidem quo tempore imbecillitas humana ceſſare ſolet, recreandi tantiſper animi cauſa, rurſumq. eadem ſtudia promptius et alacrius recuperandi. Neque tempore tantum quo firmiore vſus eſt valetudine, ſed etiam in aduerſa, vix quiſquã noſtrorum aliquando potuit impetrare, vt aliquanto tempore intermitteret ſacroſancta ſtudia. Etiam tempus vel iuſtiſsimo et modiciſsimo ſomno debitum, ſibi detrahebat lectioni ſacræ impendendum; numquam eadem, pro more ſuo, verſare deſtitit. Quos fecerit progreſſus, iudicabunt viri docti ex hac Centuria, quam nunc poſt aliquot annos ab eius deceſſu, in lucem damus. Certe ne iudiciũ noſtrum interponamus de alumno et ſocio noſtro, illud vere liceat affirmare, ſæpius ac iterum a viris grauiſsimis nos adactos fuiſſe, et propemodum compulſos, vt aliquam partem eius vigiliarum diuulgaremus, quam nunc tandem, eorũ precibus victi, in lucem prodire volumus. Sunt enim apud nos tanti viri ingenii, laboris, et induſtriæ propemodum innumera, locorũq. Scripturæ ex vtroque Teſtamento centuriæ aliquot in ſchedis inter lituras: quas fortaſſe, ſi hæc prima placuerint, typis mandabimus. Hebraiſmorum vero in vniuerſam Scripturam ingentia volumina, quæ tamquam inſignem theſaurum apud nos aſſeruamus: quo-

rum quanto cenſetur obſcurior cognitio eruditis quibuſq. viris, tanto cum ſtudioſorum fructu lucem fortaſſe aſpicerent. Vtinam Deus votis noſtris annuat, vt quod commodo ſacrorum ſtudiorum futurum ſit, vt optamus, præſtare poſsimus. Interim tamen, lector beneuole, te monitum voluimus, ne ſi iſta quæ nunc prodeunt, viſa fuerint paradoxa, ea contemnenda putes. Paradoxa quidem plura, ſed non paraloga: quæ ſi præter mentem interpretum aliquando videantur, non tamen ſunt præter Scripturarum ſcopum, ſed ex intimis ſacrorum voluminum viſceribus, et germana eorundem interpretandi ratione deſumpta. Neq. vero quemquam remorabitur, ſi aliquando quidpiam redundare in ſcripturis, vel per abuſum dictum affirmet, quod attinet ad phraſim, et genus loquendi ſacræ Scripturæ. Ea enim in translationibus ſæpius redundare, et per abuſum dicta inuenies a doctiſsimis interpretibus, quæ in primis Scripturarum fontibus non redundant, ſed vel redundantia, vel abuſus ex vario linguarum idiomate in quod ſcripturæ ſanctæ ſunt tranſlatæ, accidit, cum vnaquæq. lingua ſua habeat idiomata, ſuas proprietates. Alioqui in Scripturis nil redundans, nil ſuperfluū, nec quidem minima ſyllaba, vel apiculus. Vale optime lector, nobiſq. auctoriq. noſtro Deum precibus concilia. Ex Cartuſia Vallis Chriſti apud Segobrigam, ipſo die Hypapantes Domini noſtri Ieſu Chriſti, anno a Chriſto nato M DC IIX.

Sebaſtiani Trilles ad lectorem
Elegiacum Carmen.

DIVINAE *centum pandens oracula Legis,*
Hoc centum nobis millia pandit opus.
Nunc patuere typi, patuere ænigmata ſæpe:
Nuncq. figura patet, nunc idioma patet:
Et quamuis natura breui ſociare nequiuit
Perſpicuum: hæc iungit, dum breuiora dedit.
Cumq. Deum mentis penetrarit acumine nullus,
Verba ſat ipſius nec penetrare queat,
Archetypi tradit verbo tot ſenſus ab vno,
Ex Nilo quot aquæ profiluere ſcyphi.
Dum Sol aſtra reget, timidam Cynoſura carinam,
Signifer obliquus tempora dumq. reget,
Ecce perennis erit, lector, liber arte decorus,
Materia florens ecce perennis erit.

Vincentii Mariner ab Alagon Valentini, ad P. D. Iohannem Monterum Ordinis Cartuſienſis, Eboracenſis cœnobii Priorem, et primum fundatorem, in laudem P. D. Iohannis Albæ

EPIGRAMMA.

MONTIBVS, & fluuiis Muſis chorus emicat altus,
Flos vbi dulce fragrat, format et vnda melos:
Aonos exquirunt niueo pede vitrea tecta,
Parnaſſi et mirum per iuga ſacra canunt.
Nunc Montere tuo ſubſultant colle Camœnæ,
Atque ſuam tanto dant quoque monte domum.
Alba vt apes ſtrepitans, caleſtis florea rupis
Dona tulit; præſtat mons tuus inde fauos.
Hic Pylius ſurgit, ſplendet ſacra et ore Tageſte,
Hyblæas Stridon numine fundit opes.
Sunt et Olympiaco frondentia culmine Tempe,
Oſſæo lambit vertice et aſtra Liber.
Vatum ſacra cohors noto patet omine chartis:
Alba refert verbis, ſi quid et vmbra tegit.
Alba docet, Monterus opus dedit omnibus ingens:
Solum hoc monte poteſt altior eſſe polus.

Michaelis Antolini Bocarentani
Preſbyteri, in doctiſsimi, pariterq́ ſanctiſſimi Auctoris laudem, Carmen.

ALBESCVNT *nitidi ſcripturæ corde latentes*
Nunc Albæ ſenſus, mira docentis ope.
Tendit & in cælum veræ virtutis imago,
Obſtructumq́ docet, quod peragamus, iter.
Limarunt ſancti conatus ſcripta virorum
Ingentum: veteres ſic habet orbis opes.
Nunc Patrum præſens radiat doctrina, viciſſim
Virtus: inſudat doctor vtriq. libens.
Suſcipiat cælum hunc: cur non ſuſceperit vltro
Scrutantem verum? laudet, honoret, amet.

Eiuſdem ad lectorem, & contra zoilum carmen.

MIRENTVR *geminum fructum, capiantq. benignè*
Omnes: namq́ animum perficit, et ſatiat.
Nubila iam mentis, montis lux iſta patenter
Tollit, et hinc animus colligit omne decus.
Expertus quoties aliis celebranda loqueris?
Rumpitur hic odium: rumpitur inuidia.

Eiuſdē ad bibliopolam, qui librū certatim ementibus vendet.

APPLAVDANT *docti Muſis felicibus alti,*
Laudent, ſuccurrant: ſufficit emerito.
Bibliopola, nouum, doctum dabimus modo librum
Ante pios oculos: non opus huic hedera eſt.

De ſanctiſsimo Cartuſienſi Ordine, ac Vallis Chriſti domus filio eruditiſsimo P. D. Iohanne Alba

PHILIPPI MEY CARMEN.

Quam ſacra audierant plerique arcana docentem
Conuentu celebri, mirantes ora diſerta,
Iudicii horrenda ſinceri territa voce,
Viſa repente Patris clara obmuteſcere lingua
Qui Cartuſiacos ſcopulos, & luſtra ferarum
Inuia, deliciis ornatae praetulit vrbis.
Inſolitae caſu vocis vox faucibus haeſit.
Alta exinde iubet ſeruare ſilentia doctor
Diſcipulos ſolitos verbis contendere ſaepe,
Dum ſua ſit potior cunctis vt ſententia, pugnant:
(Hac vulgus magni ducis viciſſe palaeſtra)
Quos poſtquam illexit ſtudii melioris amore,
Pro minimo ſoror eſt illis quod ſola miniſtret,
Dum Mariam toto complecti pectore poſſint.
Quae procul a turba, vaſto deprenſa receſſu,
Accepit gaudens illos, deſertaq. caſtra
Iam prope eremi cultorum, ſocio agmine firmat.
Sedibus optatis vltro, titulisq. Lycei
Extremam ſic fumoſis dixere ſalutem.

Docto-

Doctorum ac partes aliis, & nomina linquunt,
Incultas ipſi rupes, atque antra frequentant.
Non aditus Muſis tamen inter clauſus ad illa
Clauſtra, libens habitat ſiluas nam clarus Apollo,
Montibus & celſis ſedem fixere ſorores:
Longius at quanto vulgi a ſermone remotos
Caelicolae hoc magis ad ſacrae commercia linguae
Admittunt, quibus & caeli ſapientia pandit
Altior ignotos theſauros arce repoſtos:
Quos illi acceptos, monumentum & pignus amoris
Diuini, ad populos tranſmittunt mente benigna,
Ac doctis exponunt ſenſa recondita libris.
Lingua tacens totum ſic permeat alma per orbem.
Palmitibus Domini locuples hinc vinea creuit,
Doctrinae ac fructus per terras fudit opimos:
Innumera hoc Patrum praeclara volumina produnt,
Relligio quibus ingens illuſtratur vbique:
Nec numerum poſſet cuiuſquam aequare loquela.
Nunc aliis, quorum vitae ſunt nomina libro,
Gloriaq. extremas mundi penetrauit ad oras,
Additur Alba comes, Vallis praeclarus alumnus,
Egregiae Vallis, Chriſti quae nomine gaudet:
Albus olor potius, non quales prata Cayſtri
Rimantur, caelo ſed mundi miſſus ad auras.
Mellito celebrant cantu illi fata propinqua,
Hic fato functus, caeleſtes aethere fundit

Ore ſonos, doceant illum qui degere diuum
Vitam, congreſſuq. frui iam Numinis alti:
Abdita ſic ſacris profert oracula chartis,
Per tot quae fuerant incognita ſaecula mundo.
Non Pythii tripodes, non haec Parnaſsia rupes
Eſt aperire potis Vatum monumenta vetuſta,
Sed ſanctae Triados non enarrabile Numen.



Digitized by Google

YO Miguel de Ondarça Zauala, Eſcriuano de camara de ſu Mageſtad, de los que reſiden en ſu Conſejo: doy fe que auiendoſe viſto por los ſeñores del dicho Conſejo vn libro intitulado, Declaraciones de cient lugares de la Eſcritura, que con licencia de los dichos ſeñores ha ſido impreſo, compueſto por el Padre fr. Ioan Alua, Monge del Conuento de Val de Chriſto de la Cartuxa del Reyno de Valencia; le taſaron a quatro marauedis el pliego. Y a eſte precio, y no mas, mandaron ſe venda; y que eſta fe ſe ponga al principio de cada cuerpo de los del dicho libro que fueren impreſos, para que ſe ſepa el precio en que eſta taſado. Y para que dello conſte, de pedimiento de la parte del dicho Prior y Conuento de la Cartuxa, y mandado de los dichos ſeñores, di eſta fe. En Madrid, a quinze dias del mes de Deziembre, de Mil y ſeyſcientos y nueue años.

Miguel de Ondarça Zauala.

DON PHELIPPE por la gracia de Dios Rey de Caſtilla, de Aragon, de Leon, de las dos Sicilias, de Hieruſalem, de Portugal, de Vngria, de Dalmacia, de Croacia, de Nauarra, de Granada, de Toledo, de Valencia, de Galicia, de Mallorca, de Seuilla, de Cerdeña, de Cordoua, de Corcega, de Murcia, de Iaen, de los Algarues, de Algezira, de Gibraltar, de las Iſlas de Canaria, de las Indias Orientales y Occidentales, Iſlas y tierra firme del mar Oceano, Archiduque de Auſtria, Duque de Borgoña, de Brabante, de Milan, de Athenas y Neopatria, Conde de Abſpurgh, de Flandes, de Tyrol, de Barcelona, de Roſſellõ y Cerdaña, Marques de Oriſtan, y Conde de Goceano. Por parte de vos fray Mathias Ferrer, Prior del Conuento de Val de Chriſto de la orden de la Cartuxa, en el dicho Reyno de Valencia, en nombre del dicho Conuento, nos ha ſido hecha relacion que a diez y ſiete de Março del año mil ſeyscientos y quatro mande dar al dicho Conuento licencia por tiempo de diez años para poder imprimir en los nueſtros Reynos de la Corona de Aragon vn libro intitulado, Declaraciones de cient lugares de la Eſcritura, compueſto por fray Iuan Alua, Monje del dicho Conuento. Supplicandome, que atento que por falta de dinero no ſe ha podido imprimir haſta agora, fueſſemos ſeruido hazeros merced de mandaros prorogar la dicha licencia por el tiempo a nos bien viſto. E nos en conſideracion de lo dicho, y que ha ſido de nueuo reconocido el dicho libro por perſona experta en letras, y por ella aprouado, para que os reſulte alguna vtilidad, y por la comun, lo hauemos tenido por bien, por el tiẽpo y en la forma infraſcripta. Porende con tenor de las preſentes, de nueſtra cierta ſciencia y Real auctoridad, deliberadamente y conſulta, damos licencia,

per-

permiſſo y facultad a vos el dicho fray Mathias Ferrer, que por tiempo de diez años, que ſe cuenten del dia que ſe cumpliere la precalendada licencia que ya teneys, en adelante, vos, o la perſona, o perſonas que vueſtro poder tuuieren, y no otro alguno, podays, y puedan hazer imprimir y vender el dicho libro intitulado, Declaraciónes de cient lugares de la Eſcriptura, en los dichos nueſtros Reynos de la Corona de Aragon. Prohibiendo y vedando expreſſamente, que ningunas otras perſonas lo puedan hazer por todo el dicho tiempo, ſin vueſtra licencia, permiſſo y voluntad: ni le puedan entrar en los dichos Reynos para vender, de otros adonde ſe huuiere imprimido. Y ſi deſpues de publicadas las preſentes, huuiere alguno, o algunos, que durante el dicho tiempo, intentaren de imprimir, o vender el dicho libro, ni meterlos impreſſos para vender (como dicho es) incurran en pena de quinientos florines de oro de Aragon, diuidideros en tres partes, a ſaber es, vna para nueſtros cofres reales, otra para vos el dicho Prior y Conuento, y otra para el acuſador: y demas de la dicha pena, ſi fuere impreſſor, pierda los moldes y libros que aſſi huuiere imprimido. Mandando con el miſmo tenor de las preſentes a qualeſquier Lugartenientes y Capitanes generales, Regentes la Cancilleria, Regentes el officio y Portant vezes de nueſtro general Gouernador, Alguaziles, Porteros, Vergueros, y otros qualeſquier officiales, y miniſtros nueſtros mayores y menores, en los dichos nueſtros Reynos y ſeñorios conſtituydos y conſtituyderos, y a ſus Lugartenientes, y Regentes los dichos officios, ſo incurrimiento de nueſtra ira e indignacion, y pena de mil florines de oro de Aragon, de bienes del que lo contrario hiziere, exigideros, y a nueſtros Reales cofres applicaderos; que la preſente nueſtra licencia y prohibicion, y todo lo en ella contenido, os tengan y guarden; tener, guardar, y cumplir hagan, ſin contradicion alguna: y no permitan, ni den lugar a que ſea hecho lo contrario en manera algu-

na; ſi demas de nueſtra ira e indignacion, en la pena ſobredicha deſſean no incurrir. En teſtimonio de lo qual mandamos deſpachar las preſentes, con nueſtro ſello Real comun en el dorſo ſelladas. Dat. en la villa de Madrid, a diez y ſeys dias del mes de Deziembre, año del nacimiento de nueſtro Señor Ieſu Chriſto Mil ſeyſcientos y nueue.

Yo el Rey.

Dominus Rex mandauit mihi don Franciſco Gaſſol. viſa per Clauero Vicecanc. Guardiola, Sabater, Monter, et Tallada Regetes Cancell. & Villanueua Conſeruatorem generalem.

V. don Didacus Clauero Vicecancell.

V. don Io. Sabater R.

V. don Mont. de Guard. R.
V. Monter R.
V. don Phi. Tallada R.
V. Villanueua Cōſeruator generalis.

In Diuerſor. viij. fol. xxxjx.

EL REY.

POR quanto por parte de vos el Padre fr. don Mathias Ferrer, Prior del Conuento de Val de Chriſto de la Cartuxa en el nueſtro Reyno de Valencia,en nombre de todo el Conuẽto, nos ha ſido fecha relacion, que nos auiamos ſido ſeruido de daros licencia para que por tiempo de diez años pudieſedes imprimir y vender en todos los nueſtros Reynos de Caſtilla vn libro q̃ auia compueſto fr. Ioan de Alua,intitulado Declaraciones de cien lugares de la Eſcritura. Y atento la vtilidad y prouecho que del ſe ſeguia,nos ſuplicaſtes os mandaſemos prorrogar el dicho Preuilegio por el tiempo que fueſemos ſeruido,o como la nueſtra merced fueſe. Lo qual viſto por los del nueſtro Conſejo, fue acordado que deuiamos mandar dar eſta nueſtra cedula para vos en la dicha razon. Y nos tuuimos lo por bien. Por la qual prorrogamos y alargamos el tiempo por que concedimos la dicha licencia y Preuilegio al dicho Conuento de Val de Chriſto, por otros ſeys años mas: Que corran y ſe cuenten deſpues que el tiempo en ella contenido,ſea cumplido, fenecido y acabado. Durante los quales le damos licencia y facultad para que el, o la perſona que ſu poder ouiere,y no otra alguna,pueda imprimir el dicho libro que de ſuſo ſe haze mencion, ſegun y de la forma y manera que ſe contiene en el Preuilegio que para imprimirle la primera vez por nos os fue dado: ſin que por ello incurrays en pena alguna. Y mãdamos que durante los dichos ſeys años deſta prorrogacion, perſona alguna, ſin ſu licencia, no pueda imprimir ni vender el dicho libro, ſo las penas contenidas en el dicho Preuilegio, y leyes de nueſtros Reynos. Y cumplidos

Digitized by Google

los dichos ſeys años, no lo pueda imprimir mas, ſin tener para ello licencia nueſtra. Y mandamos a los del nueſtro Conſejo, Preſidente y Oydores de las nueſtras Audiencias, Alcaldes, Alguaziles de la nueſtra caſa, Corte, y Chancillerias; y a todos los Corregidores, Aſiſtente, Gouernadores, Alcaldes mayores, y ordinarios, y otros juezes, e juſticias qualeſquier de todas las ciudades, villas y lugares de los nueſtros Reynos y ſeñorios, aſſi a los que aora ſon, como a los que ſeran de aqui adelante, que guarden y cumplan eſta nueſtra cedula y merced que anſi os hazemos, y contra ſu tenor y forma no vayan ni paſen, ni conſientan yr ni paſar en manera alguna: So pena de la nueſtra merced, y de diez mil marauedis para la nueſtra camara. Fecha en Madrid, a treynta y vn dias del mes de Deziembre, de Mil y ſeyſcientos y nueue años.

Yo el Rey.

Por mandado del Rey nueſtro ſeñor

Iorge de Touar.

ADuiertaſe, que concedio ſu Mageſtad Priuilegio para los Reynos de Caſtilla y de Aragon, en diez y ſiete de Março del año 1604. y por algunas cauſas no ſe ha impreſo haſta eſte año: y aſſi ſe ha de nueuo alcançado Prorrogacion por ſeys años mas, que començaran a correr deſde 17. de Março del año 1614. como conſta de las Prorrogaciones ſobredichas.

EGO Petrus Ioannes Aſſenſius Sacræ Theologiæ Doctor, ex commiſsione & mandato Illuſtriſsimi et Excellentiſsimi D. Domini Ioannis de Ribera, Patriarchæ Antiocheni, et Archiepiſcopi Valentini, ipſius Regni Proregis & Capitanei generalis, de conſilio ſuæ Maieſtatis, &c. vidi hunc librum, cuius titulus ſic inſcribitur; Sacrarum Semioſeon, animaduerſionum, et electorum ex vtriuſq; Teſtamenti lectione Commentarius et Centuria, in qua varia Diuinarum Scripturarum loca accurate illuſtrantur, R. P. Ioanne Alba Cartuſiæ Vallis Chriſti Profeſſo, auctore, ad Reuerendiſs. & eruditiſsimum D. D. Brunonem Affringues, Maioris Cartuſiæ Priorem, et totius Ordinis Generalem digniſsimum: nihilq. in eo reperi doctrinæ, et pietati Chriſtianæ aduerſum, quin potius ſummam eruditionem, maximi ingenii ſplendorem, et in explicandis Hebraiſmis ſummam dexteritatem. Quocirca illum, tãquam omnibus Theologiæ ſtudioſis neceſſarium, dignum iudico quod typis excuſſum omnibus offeratur. Idcirco præſentibus propria manu ſubſcripſi, die 27. menſis Ianuarii, anno Dominicæ incarnationis 1603.

Petrus Ioannes Aſſenſius.

CVM aliis viris in Scripturis eruditiſsimis ſemper numeraui D. Iohannem Albam Cartuſianum ab eo tempore, quo ex litteris acceptis de quibuſdam Diuinae Scripturae locis, notus mihi, tantum ſui deſiderium, et memoriam reliquit, vt quem ex epiſtola noueram, praeſens quoque videre voluerim, eo maxime inſtituto vt apud eum inuenirem quod diſcerem, et perpetuo proficerem. Is namque tantum miraculum ſui praebuit, vt perpetua Scripturarum meditatione plurima condiderit et nobilia volumina, quae digerere, proprii eſſet indicis: inter quae praeclara monumenta, vir in Diuinis Scripturis ſtudioſiſsimus, ſcripſit Hebraiſmorum, atque ſacri et arcani ſermonis explicationum immenſam congeriem, et aliquot ſelectorum locorum Scripturae centurias, quae varias rationes, et maxime proprias ad Scripturarum intelligentiam continent, et accommodatiſsimae ſunt formandae optimae rationi, et germanae interpretationi. Quapropter hanc primam Centuriam, ceterarum eruditionis, et acris, vehementis, atque elegantis cuiuſdam ingenii certiſsimum argumentum, annuente, et concedente Illuſtriſsimo et Excellentiſsimo D. D. Iohanne a Ribera Patriarcha Antiocheno, Archiepiſcopo Valentino, a clariſsimis et optimis Theologis noſtris primum recognitam, et tamquam reipublicae Chriſtianae vtilem, communi iudicio probatam, propter ſingularem pietatem, eruditionem, et iudicium maturum: ego quoque typis commiſſam, eiuſdem eximii et excellentiſsimi Principis nutu atque auctoritate, ex his quae vidi, propter operis dignitatem, et vtilitatem probaui; luce, et publicatione longe digniſsimam cenſui, et quae omnium manibus tereretur. Nam minutiora quaedam quae videntur hic obſeruata, haud facile deſpicienda; cum praeſertim negligi ſine noxa interpretationis non poſsint. Valentiae, Id. Decemb. anno Chriſti cIↄ DC IX.

Petrus Iohannes Trilleſius S. Theolog. Doctor,
Diuinarũ litterarũ Profeſſor, et Praepoſitus.

RELI-

CANONES IDIOTISMORVM linguæ Hebraicæ in hac Centuria obſeruati.

IDIOTISMI QVI AD VERBA.

1 SVbſtantiuum verbum ex idiomate Hebraicæ linguæ ſæpenumero pro verbo adiectiuo, quod ſit ſententiæ accõmodatum, collocatur, vt, Chriſti bonus odor ſumus, hoc eſt, Prædicamus ſaluberrimũ Euangelii medicamentũ. pag.408.et 414.
2 Loquuntur familiariter ſcripturæ per Eclipſin verbi ſubſtantiui, et nominis relatiui, Vt, Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ. pro, Qui ſunt de domo tua. 63. vide pag. 21. et 435.
3 Scriptores ſacri ex idiomate Hebræo vtuntur verbis adiectiuis, pro nominibus ab eis deductis, et verbo ſubſtantiuo. vt, mori, pro, mortalem eſſe. 8.
4 Hebręi ex proprietate linguę ſuę, aliquando reticent verbum quod oporteat ſubaudiri ea ratione qua propoſito argumento congruat. Sic in illa ſententia: Vt quid auertis manum tuam, et dexteram tuam? deeſt verbum, Extrahe nimirum manum, et dexteram tuam. 83.
5 Hebræi per Hendiadyn, qua figura crebro, et diuerſimode vtuntur, duo verba connectunt copulatiua coniunctione expreſſa, vel ſubintellecta, quorum alterum per nomen eſt reſoluendum; aliquando vero ambo verba in nomina reſoluenda. Quo locutionis genere dicitur: Vt operaretur, et cuſtodiret illum, pro. Vt eſſet cuſtos illius. 8. et ſparſim toto opere.
6 Coniugationis varietas in verbis Hebraicis, ſignificationis eorundem diuerſitatem inducit. 39.
7 Vtuntur frequenter coniugationum abuſu, dum aliam inflexionem, alterius loco ſubſtituunt. ibidem.
8 Actiua verba pro Paſſiuis, et Paſſiua pro Actiuis more linguæ ſanctæ ponuntur. 113.
9 Præteritum conſuetudinis vim exprimit. vt, Recordatus miſericordiæ ſuæ, pro, Qui recordari ſolet miſericordiæ ſuæ. 59.

¶ 10 Tem-

10 Temporum permutatio frequens eſt in ſcripturis. Ex quo fit vt Præteritum imperfectum, pro perfecto vſurpent. vt Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas. 4.

11 Præteritum pro præſenti familiari conſuetudine ſcripturarum ponitur: vt Sic omnis qui natus eſt ex ſpiritu, pro, naſcitur, vel naſci poteſt ex ſpiritu. 364.

12 Præterito Perfecto, pro Imperfecto, vel etiam Pluſquamperfecto vtuntur. vt Loquimur Dei ſapiētiam in myſterio quæ abſcondita eſt, pro, erat, vel fuerat. 389.

13 Præteritum etiam ſæpenumero pro futuro collocant. vt, Repleta eſt terra, pro, Replebitur. 130. Conſule p. 94. et 98.

14 Aliquando ex vi Futuri tēporis geminati, ſubaudiunt Hebræi aliquod verbum, quod apte cum ſenſu cohereat, vt pro eo quod eſt in Hebræo: Miſerebor cuius miſerebor, vertit vulgatus: Et miſerebor cui voluero. 34. 35. 36. et 38.

15 Futuro vtuntur crebro pro præſenti; vt, In tegmine alarum tuarum ſperabunt, pro, ſperant. Inebriabuntur ab vbertate, pro, inebriantur. 248. et 306.

16 Futurum pro præterito imperfecto collocatur ex Hebraiſmo. vt, In loco vbi dicetur eis, pro dicebatur. Ita, Recogitabo tibi omnes annos meos, pro, recogitabam. 245.

17 Futurum paſſim apud Hebræos pro præterito perfecto accipitur, vt, Dabit in cōſpectu eius gētes, et Reges obtinebit, et c. Quæ futura, et reliqua eius ſententiæ, pro præteritis capiuntur. 180. vide 33. 252. et 277.

18 Futura indicatiui ponuntur pro temporibus imperatiui. vt, Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, pro inebrientur. 64. 74. 76. 238.

19 E conuerſo tempora Imperatiui pro futuris Indicatiui vſurpātur. vt Rorate Cæli deſuper, id eſt, Rorabunt Cæli. 186. 177. 255. et 322.

20 Scriptores Sacri, id afferente idiomate linguæ ſanctæ, vtuntur temporibus incircumſcriptis, pro participio futuri temporis,

ris,cum verbo ſubſtantiuo eiuſdem temporis incircumſcripto: vt, Si ſciret pater familias qua hora fur veniret, pro,venturus eſſet. Et vbi Chriſtus naſceretur. pro,naſciturus eſſet. 378.

21 Infinitiuus pro præſenti indicatiui Hebræorum conſuetudine collocatur. 251.

22 Infinitiuus vicem habet epitheti. Hac locutione accipiendus eſt locus: Lucem ſplendeſcere,pro,lucem ſplendidam eſſe, vel creari. 108.

23 Participium præſentis per Græciſmum vim obtinet præteriti temporis. vt, Purgationem peccatorum faciens, hoc eſt, poſtquam nos mundauit a peccatis. 195. et 450.

24 Tertiã perſonã pro prima vſurpare ſolent. vt,In quos fines ſæculorum deuenerunt, pro, Qui in fines ſæculorum incidimus. 478. et 480.

IDIOTISMI QVI AD NOMINA.

Hebræi ſubſtantiua nomina in forma adiectiuorum: E conuerſo autem adiectiua pro ſubſtantiuis adhibere ſolent. vt, Inimica mors,pro,inimicus mortalis.Et,domeſticos fidei,pro, fideles domus 395.Et, Dans tempora fructifera,id eſt,præbens fructus temporibus. 457. et 435.

2 Adiectiuum nomen quod vni ſubſtantiuo adhibendũ erat, alteri tribuere vſitatum eſt in hac lingua.vt, Sicut aqua operientis maris,pro,Sicut aqua operiens mare. 144. Et,Quis dimittet inimicum ſuum in via bona?pro, Quis in via dimittet inimicũ ſuum bonum?ſaluum ſcilicet,et illæſum abire. 433.

3 Denominatiuum pro denominatione accipitur. 110.

4 Denominationes pro denominatis ponuntur, quod non abhorret a ſcripturarũ phraſi. 76. 327. 333. 387. 440. 464. 483.

5 Hebræi ſuperlatiuorum loco quibus carent, poſitiuis vtuntur. vt, Verbum bonum, id eſt ampliſſima promiſſio. 444. vide 407.

6 Diuinis nominibus Hebræi exaggerationes exprimunt, et au-

10 Temporum permutatio frequens eſt in ſcripturis. Ex quo fit vt Præteritum imperfectum, pro perfecto vſurpent. vt Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas. 4.

11 Præteritum pro præſenti familiari conſuetudine ſcripturarum ponitur: vt Sic omnis qui natus eſt ex ſpiritu, pro, naſcitur, vel naſci poteſt ex ſpiritu. 364.

12 Præterito Perfecto, pro Imperfecto, vel etiam Pluſquamperfecto vtuntur. vt Loquimur Dei ſapiētiam in myſterio quæ abſcondita eſt, pro, erat, vel fuerat. 389.

13 Præteritum etiam ſæpenumero pro futuro collocant. vt, Repleta eſt terra, pro, Replebitur. 139. Conſule p. 94. et 98.

14 Aliquando ex vi Futuri tēporis geminati, ſubaudiunt Hebræi aliquod verbum, quod apte cum ſenſu cohereat, vt pro eo quod eſt in Hebræo: Miſerebor cuius miſerebor, vertit vulgatus: Et miſerebor cui voluero. 34. 35. 36. et 38.

15 Futuro vtuntur crebro pro præſenti; vt, In tegmine alarum tuarum ſperabunt, pro, ſperant. Inebriabuntur ab vbertate, pro, inebriantur. 248. et 306.

16 Futurum pro præterito imperfecto collocatur ex Hebraiſmo. vt, In loco vbi dicetur eis, pro dicebatur. Ita, Recogitabo tibi omnes annos meos, pro, recogitabam. 245.

17 Futurum paſſim apud Hebræos pro præterito perfecto accipitur, vt, Dabit in cōſpectu eius gētes, et Reges obtinebit, et c. Quæ futura, et reliqua eius ſententiæ, pro præteritis capiuntur. 180. vide 33. 252. et 277.

18 Futura indicatiui ponuntur pro temporibus imperatiui. vt, Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, pro inebrientur. 64. 74. 76. 238.

19 E conuerſo tempora Imperatiui pro futuris Indicatiui vſurpātur. vt Rorate Cæli deſuper, id eſt, Rorabunt Cæli. 186. 177. 255. et 322.

20 Scriptores Sacri, id afferente idiomate linguæ ſanctæ, vtuntur temporibus incircumſcriptis, pro participio futuri temporis,

ris,cum verbo ſubſtantiuo eiuſdem temporis incircumſcripte, vt, Si ſciret pater familias qua hora fur veniret, pro,venturus eſſet. Et vbi Chriſtus naſceretur. pro,naſciturus eſſet. 378.

21 Infinitiuus pro præſenti indicatiui Hebræorum conſuetudine collocatur. 251.

22 Infinitiuus vicem habet epitheti. Hac locutione accipiendus eſt locus:Lucem ſplendeſcere,pro,lucem ſplendidam eſſe, vel creari. 108.

23 Participium præſentis per Græciſmum vim obtinet præteriti temporis. vt, Purgationem peccatorum faciens, hoc eſt, poſtquam nos mundauit a peccatis. 195. et 450.

24 Tertiã perſonã pro prima vſurpare ſolent. vt,In quos fines ſæculorum deuenerunt, pro, Qui in fines ſæculorum incidimus. 478. et 480.

IDIOTISMI QVI AD NOMINA.

HEbræi ſubſtantiua nomina in forma adiectiuorum: E conuerſo autem adiectiua pro ſubſtantiuis adhibere ſolent. vt, Inimica mors,pro,inimicus mortalis.Et,domeſticos fidei,pro, fideles domus 395.Et, Dans tempora fructifera,id eſt,præbens fructus temporibus. 457.et 435.

2 Adiectiuum nomen quod vni ſubſtantiuo adhibendũ erat, alteri tribuere vſitatum eſt in hac lingua.vt, Sicut aqua operientis maris,pro,Sicut aqua operiens mare.144.Et,Quis dimittet inimicum ſuum in via bona?pro, Quis in via dimittet inimicũ ſuum bonum?ſaluum ſcilicet,et illæſum abire. 433.

4 Denominatiuum pro denominatione accipitur. 110.

4 Denominationes pro denominatis ponuntur, quod non abhorret a ſcripturarũ phraſi. 76.327.333.387.440.464.483.

5 Hebræi ſuperlatiuorum loco quibus carent, poſitiuis vtuntur. vt, Verbum bonum, id eſt ampliſſima promiſſio. 444. vide 407.

6 Diuinis nominibus Hebræi exaggerationes exprimunt, et au-

et auxeſim. vt, Fortitudo Domini, pro, opibus magnis. ſic dicunt, montes Dei, cedri Dei. 397.

7 Numeralia nomina ex idiomate linguæ Hebraicæ, dicuntur de re, quæ in genere ſuo magna eſt. vt, In illa die erunt quinq. ciuitates in terra Aegypti, pro, omnes, vel præcipuæ ciuitates. 152.

8 Genitiuus Pacis, ab Hebræis adhibetur ad rem inſignem et magnam in genere ſuo denotandam. Vt, Angeli pacis, id eſt, Prophetæ ſancti. 466.

9 Familiare eſt Hebraicis ſcripturis latere dextro nominato, ſiniſtrum reticere. Vt, Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis. Pro, a dextris, et a ſiniſtris. 83.

10 Genus neutrũ in arcanis litteris pro maſculino adhibetur, vt, Omne quod dat mihi Pater, ad me venit, pro Omnis. 149.

11 Mutatio ſubita numeri, crebro accidit in hac lingua. 454.

12 Singularis numerus pro plurali, Prophetarũ præcipue conſuetudine in ſcripturis collocatur. Vt, Super montem excelſum aſcende tu, pro, ſuper montes excelſos. 177. Et, Quam pulchri ſuper montes, pedes annunciantis, et prædicantis pacem, Pro Annunciantium, et prædicantium pacem. 196. Vide. 127. 135. 239. et 389.

13 Genitiuus multiplicem vim obtinet, ex proprietate ſermonis Hebræi. 237. et 464.

14 Genitiuus pro Datiuo per Hebraiſmum in arcanis litteris collocatur. vt, Conſiderabo nouiſſima eorum, id eſt, oſtendam nouiſſima eis. Ita; Tu das eſcam illorum, pro, illis. Sic etiã olim in veteri translatione legebatur: Reddidit Deus mercedẽ laborum ſanctis ſuis, quod modo, dicimus: ſanctorum ſuorum. 40. 55. et 336.

15 Genitiuum adhibent Hebræi pro accuſatiuo cum præpoſitione. vt, Excepto ſermone Vriç, hoc eſt, excepto ſermone contra Vriam. Et. Bonæ voluntatis, id eſt, propter bonam voluntatem. 238. Et, Aſcendentibus illis Ieroſolymam ſecundum conſuetudinem diei feſti. Pro, ad diem feſtum. 327.

16 Geni-

16 Genitiuos vſurpant Hebræi pro ablatiuis præpoſitione affectis. vt, In quibus eſtis, et vos vocati Ieſu Chriſti, pro, A Ieſu Chriſto, 374. Et: Non ſunt loquelæ, neq. ſermones quorum nõ audiantur voces eorũ, pro, a quibus non audiãtur. 376 vide 307.
17 Datiuus ex idiomate Hebræo pro genitiuo accipitur. 237.
18 Datiuus item ex proprietate linguæ ſanctæ, pro accuſatiuo cum præpoſitione propter collocatur. vt, Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam, hoc eſt, Non propter nos, ſed propter nomen tuum. 451.
19 Auferendi caſu cum præpoſitione vtuntur Hebræi pro genitiuo. vt, Probatorem dedi te in populo meo, pro eo quod eſt: populi mei. 218. Et: De peccato damnauit peccatum in carne, pro, carnis. 384. et 414.
20 Scriptores Sacri de duabus perſonis loquentes vni illarum tribuunt, quod alteri tribuendum erat. vt, Numquid poſt ortum tuum, hoc eſt, poſt ortum auroræ. 53.
21 Aliquando fit abuſus perſonarum, vt plerumq. in aliis etiã locutionibus contingit: ex quo oritur vt ſecundam perſonam pro tertia vſurpent Hebræi. vt, Ideo fornicabuntur filiæ veſtræ, et ſponſæ veſtræ adulteræ erunt. Pro, filiæ eorum, et ſponſæ eorum. 247. et 302.
22 Nomen Medium, vt et aliæ etiam voces, ex Hebræo idiomate ſæpe redundat. vt, De medio ſinu tuo. Pro, de ſinu tuo. 83.
23 Vox Verbum, quandoq. per idiotiſmum linguæ vacat. vt, Propter verbum veritatis, quod eſt in Hebræo, vulgatus interpres tranſtulit: Propter veritatem. 75.
24 Nomen Facies, ſæpe vacare deprehenditur ex Hebraiſmo. vt, Contetam illud a facie terræ. Pro a terra. 279.
25 Antecedens in diuerſo numero, quam relatiuum poni quandoq. ſolet. 454.
26 Repetunt frequenter Hebræi Antecedens loco relatiui. vt, Secundum ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti. Pro, mortuorum eius, vel ipſius. 376.

27 Scriptores Sacri conſuetudine linguæ Hebraicæ loco nominis, vel pronominis relatiui, vtuntur repetitione antecedentis quo ad ſenſum, licet mutata voce. vt, Zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum videns. Pro, pacem eorum videns. 332.

28 Relatiua nomina, et pronomina ſine antecedente Hebræi vſu linguæ adhibent, illud vero ſubaudiendũ. vt, Poſt eos abierunt, ſubaudiendum, Poſt deos alienos. 290. et 308.

29 Relatiuum ſuo antecedenti præponi ſolet. vt, Quæ nunc eſt Ieruſalem, id eſt, Ieruſalem quæ nunc eſt. Et, Quod factum eſt verbum, pro, verbum quod factum eſt. 425. vide p. 15. et 369.

30 Ea ineſt relatiuo vis in hac lingua, vt omnino variet ſignificationem antecedentis expreſſi. vt, Sin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit? ſed ſub te erit appetitus eius, et tu dominaberis illius. Primo loco peccatum, peccati pœnam ſignificat; deinde cum in relatiuo cõtinetur, appetitum ſiue concupiſcentiæ fomitem, hoc ſenſu, ſi bene egeris, mercedem recipies; ſi ſecus, ſupplicium. 15. Eodem ſpectat: Qui amat animam ſuam perdet eam, vbi, antecedens, anima, vitam ſignificat, quod cum imbibitum eſt ſub relatiuo, Eam, in cõmuni ſignificatione pro anima accipitur. 422.

31 Relatiuum pronomen Is, Hebræorũ conſuetudine redundare deprehenditur. vt, Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus, pro, Omnis gloria filiæ Regis. 245.

32 Pronominibus reciprocis abutitur Hebræum idioma. vt, Propterea dilatauit infernus animam ſuam. Pro, animam eius. 419.

33 Pronomen ipſe ab Hebręis pro verbo ſubſtantiuo ſumitur. vt, Et ipſe quaſi mors, et non adimpletur, hoc eſt, Et eſt quaſi mors quæ numquam ſatiatur. 121.

34 Pronomen Tu, aliquando ex proprietate linguæ ſanctæ redundat, vt, Deducet te mirabiliter. et, Si ignoras te. 76.

35 Pronomen Hoc, frequenter in Scripturis deſideratur, id af-

ferente linguę ſanctę idiomate.vt,Conteram illud a facie terræ, Pro,a facie huius terræ. 279. et 282.

36 Pronomen Alius, ad locorum intelligentiam opportune adhiberi ſolet, vt, Egreſſus eius ab initio, Pro, Alius egreſſus et c. 289.

IDIOTISMI QVI AD RELIQVAS ORATIONIS PARTES.

Hebræi præpoſitionibus promiſcue vtuntur, dum aliam alterius loco ſubſtituunt.vt, Abſque me Deus reſpondebit.Pro, coram me. 20. Et, octo animę ſaluæ factę ſunt per aquam.Pro, ex aqua, vel ab aqua. 471. Conſ.p. 49. 60. 71. 87. 107. 122.

2 Præpoſitio Pro,auferendi caſui adhibita,pro caſu ſimili præcedenti vſurpatur ex vi Hebræi idiomatis. vt, Pellis pro pelle, idem ſit,atq. Pellis pellis. 442.

3 In,præpoſitio ſimilitudinis vim ſæpe complectitur,vt, Concreſcat in pluuiam doctrina mea. Pro,vt pluuia. Et, Poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam,id eſt, tamquam tugurium ad cuſtodiendos fructus arborum. 123. Vide 106. 400. et 482.

4 Similitudini etiam plerumq. inſeruit Cum præpoſitio. vt,Et fornicata es cum filiis Aegypti,Pro,ſicut filii Aegypti.Peccauimus cum patribus noſtris,Pro,ſicut patres noſtri. 240.

5 Paſsim in ſacris litteris præpoſitiones ad,perſpicuitatem ſententiæ ſubaudiri ſolent. vt,Nec ſplendor lunæ illuminabit te,id eſt, coram te, ſiue præ te. 203. Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt,ſed potentiá Deo. intelligendum,Coram Deo. 408. Adorauit faſtigium virgæ eius, ſubaudiendum, Propter faſtigium etc. 455. Vide etiam 111.

6 Similitudinis particulæ ad auxeſim, et emphaſim eius vocis cui adhibentur, inſeruiunt. vt, Sicut nebula texi omnem terram: pro, Maxima, et denſiſſima nebula. 113. 121. 140. et 143.

 7 Simi-

7 Similitudinis particulæ, non vbiq. ſimilitudinem important, ſed ipſam rei veritatē quandoq. demonſtrant. vt, Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti a Patre. 416.

8 Duæ negationes duobus verbis adhibitæ in vnam reſoluuntur alteri verbo apponendam. vt, Non libabunt Domino vinū, et non placebunt ei. Pro, Quando libabunt Domino vinum, non placebunt ei. 258.

9 Aduerbium Præſertim interdum ſcripturæ ſubaudiunt. vt, Sicut locutus eſt ad patres noſtros Abraham; Subaudiendum, præſertim ad Abraham. 453.

10 Vulgato ſcripturarum vſu particula Immo quandoq. ſubaudienda. vt, Stylo ferreo in vngue adamantino. Pro, Immo in vngue adamantino. 228.

11 Coniunctio Et copulatiua multiplici munere fungitur in arcano ſermone, dum Præpoſitiones, Aduerbia, Interiectiones, et alias Coniunctiones repræſentat. 111. et 161.

12 Potiſſimū autem vim nominis relatiui crebro obtinet. vt, Et ſuſcitabo, Pro, In quibus ſuſcitabo. 220. Et regnabit Rex, Pro, Qui regnabit Rex. 233. vide 52. 118. et 290.

13 Coniunctione Et, pro aduerbio ſimilitudinis vtuntur. vt, Et ſenex, et peccator, id eſt, Tamquam ſenex, tamquam peccator. 209.

14 Coniunctio Et, per Hebraiſmū in orationis exordio vt plurimum vacat. vt, Et erit in nouiſſimis diebus, Pro, Erit. 114.

15 Eandem coniunctionem ſolent alias Diuinæ litteræ ſubaudire. 140.

16 Rationales coniunctiones Quia, et Quoniā, frequenti vſu ſcripturarū, Pro particula declaratiua Quod accipiuntur. 370.

17 Coniunctio cauſalis, pro Et copulatiua vſurpatur. vt, Propter hoc dabit eos, Pro, Et dabit eos. 290.

18 Coniunctio diſiunctiua, interdum pro copulatiua habenda. vt, Neſcis vnde veniat, aut quo vadat. Pro, Et quo vadat. 365.

IDIO-

IDIOTISMI PLVRIBVS ORATIONIS IN PARTIBVS FAMILIARES.

HEbraicæ linguæ idiomata, tam multa ſunt ac diuerſa, vt nulla fere certa methodo, aut ratione poſſint cōprehendi. Interea autem quæ ad ſcripturarum interpretationem maxime conducere videntur, operæpretium fuerit obſeruare, ſcriptores ſacros primæuæ linguæ cōſuetudine peculiariter abuti. Phraſibus, verborum ſerie, inuerſione, et tranſpoſitione. 478.

2. Non modo verba, verum et ſententiæ partes Hebræi per Hiſteron proteron ſolent accommodare. 37. 95. 123. 371. 374. 388. 428. 469. et 480.

3. Frequenter in oratione interſerunt verba, ſententiæ partes, integraſq. periodos. 50. 371. et 374.

4. Contingit quandoq. in ſcripturis ſanctis, ex proprietate Hebraicæ linguæ, vt vox aliqua ſubaudiatur quæ non præceſſit, ſed poſtmodum ſequitur. Vt, Salutes non fecimus, ideo non ceciderunt, Hoc eſt, Ideo ſalutes non fecimus. 250.

5. In phraſibus quæ duplici conſtant membro, alterum quandoq. exprimitur, alterum autem reticetur, vt, De gente, Pro, de gente in gentem. Et, Ingrediente me vobiſcum, pro, Ingrediente, et egrediente. 194.

6. Tautologia crebro vtuntur Hebræi, ad multitudinē, vniuerſitatem, et quod magnū eſt in genere ſuo exprimendū. 45. et 310.

7. Enallage ſubita perſonæ loquentis, vel ad quam fit ſermo, frequens eſt apud Prophetas. 288.

8. Speciem vbiq. pro genere ſcripturæ accipiunt. vt, Triticum, pro omni genere fructuum. 255. Vide p. 25. 258. et 259.

9. Scriptores ſacri vtuntur loco pro perſona et tempore, aliquando etiam, tempore pro perſona, et loco. Item perſona pro re, et e conuerſo, re pro perſona. 186. 245. 284. et 329.

PROPRIAE ALIAE ET FAMILIARES SCRIPTVRAE LOCVTIONES.

A Præpoſitio in Scripturis, pro Coram vſurpatur. Pagina 193. 254. et 428. Quãdoq. pro Cum, 225. Item pro Ante. 290. 300.
Ab, Coram, vel Ante ſignificat. 290.
Adulteri, Idolorum cultores in Scripturis nominantur. 247.
Aequitatis nomine, Iuſtitia intelligitur. 136. Interdum Lex. 137.
Aeternum Hebræis dicitur, quod præſtantiſſimum eſt in genere ſuo. 290.
Afferre, idem eſt quod offerre. 251.
Ambulare ſecundum carnem, eſt eius illecebris trahi. 241.
Ambulare in lumine, pro ambulare coram, hoc eſt ſeruire, accipitur. 67.
Animæ nomine, cupiditas, et res appetibilis ſolet ſignificari, 120. Interdum quod expetibile eſt, pretioſum, et magnum. 125. Item libido, et fornicatio, 212. Plerumque cor, 127. Victus etiã, 260. Tum populus, et gens, 433. Item homo, 471. Principes eadem appellatione comprehenduntur, 119. D. Paulo anima, eſt nouus, et interior homo. 398. 399. et 403.
Annunciare, pro exhibere, et tribuere, in Scripturis vſurpatur. 443.
Ante, pro coram accipitur. 26.
Aperire os, id eſt deuorare. 119.
Aperire os mutorum, eſt afflictos ab afflictione liberare. 105.
Aperiri terram, pro fecundari accipiunt Hebræi. 187.
Apud, pro In ponitur. 69.
Aqua, et terra elementa in Scripturis alterum pro altero vſurpatur. 2.
Aquarum appellatione, populi, et gentes intelliguntur, 140. Interdum calamitates, 142. et 146. Eodem tropo Doctrina ſignificatur. 140.
Arguere, pro perdere, et vaſtare, vtuntur Hebræi. 130.

Aſcen-

Aſcendere in cælum,eſt noſſe cæleſtia,et diuina. 368.

Attrahere ſpiritum, ſignificat Ducere, ſiue trahere ſuſpiria ab imo pectore. 214.

Attrahere ventum, ſchemate Hebræo, eſt Accerſire,vel parere malum. 212.

BEnedictio,ſæpenumero pro vniuerſa felicitate accipitur. 158.

Bonus, ponitur pro Magnus. 348.

Brachii appellatione, vires, potentia, et omne genus felicitatis humanæ, eleganti tropo ſignificantur. 239.

Cadere, idem quod perire ſignificat. 282.

Cæli appellatione, Reges, et Principes Gentium intelliguntur. 267.et 315.

Cælum, excelſus potentiæ gradus eſt. 178.

Calix, pro omni genere plagæ,et calamitatis vſurpatur in Scripturis. 244.

Carcer, pro tenebris accipitur. 470.

Carnis nomine, intelligitur perſona,gens,natio. 31.et 99.
Nonnumquam homo, 262. Item Lex vetus, 386.
Frequenter libido,241.et 341. Interdum femina,carnis concupiſcentia,quod fragile eſt,contemptibile,et debile. 343.et 348.

Caro omnis, pro populo Chriſtiano ſumitur. 93.

Carnis, et ſanguinis appellatione, cognatos ſignificant Scripturæ. 431.

Chriſti nomine, religio Chriſtiana in nouo Teſtamento ſolet indicari. 419. Item Legem Euangelicam eadem appellatione Scripturæ declarant. 380. 408. 430. Porro populum Dei vnctum, id eſt electum. 459.

Clamore parturientis, tropo ſcripturarum, vltio grauis exprimitur. 292.

Claudere os,eſt vehementer affligi. 103.

Concipere, idem atq; cogitare. 461.

Cognoſcendi verbum,ad colendi ſignificationem accommodatur. 139.

Concludi vuluam, locutione ſcripturarum eſt non generare prolem. 187.
Confuſionem appellant Prophetæ, genus omne ſupplicij, pœnæ, et calamitatis. 312.
Contaminari, idem eſt quod vaſtari, et puniri. 259.
Conuertendi verbo, interdum ad copiam rei quæ denuo ſuccedit exprimendam, vtuntur Hebræi. 272.
Confortari, idem eſt quod refici, recreari, et ſolatium accipere. 297.
Conuiuia profana, vel immunda ea ſunt, quæ ex idolothytis parabantur. 250.
Cor pro viribus, et fortitudine vſurpatur, 78. Sæpius pro anima, 127. Item pro principibus et magiſtratibus. ibidem.
Cordi alicui eſſe ſomnia, vulgari locutione ſcripturarum, eſt illa intelligere. 273.
Coram vobis, idem eſt atq. in diebus veſtris. 28.
Coram aliquo eſſe, pro cum eo eſſe alicui, ſumitur. 71. Eſt etiã in alicuius poteſtate eſſe. 195.
Corpus a D. Paulo dicitur primus, vetus, et exterior homo. 308.
Cornu, pro forti ponitur. 228.
Cornua aratium phraſi Hebræa dicuntur delubra fortiſſima quaſi arces. ibidem.
Creatura gentem, et nationem ſignificat. 419.
DE præpoſitio, idem valet, atq. pro. 285.
Delicti appellatione, plagæ, calamitates, et ſupplicia deſignantur. 215.
Deſiderio ſcriptura, pro concupiſcentia, et libidine vtitur. 221.
Deſiderium animæ, ex idiomate Hebræo, effrenatã libidinem ſignificat. ibidem.
Deum viuentem ſacri vates intelligunt, Deum verum. 240.
Dextera pro felicitate accipitur. 107.
Dicere, ſcripturæ vſurpant pro, facere. 129. et 320.

Dice-

Dicere alicui,idem ſonat atq. dicere de aliquo. 95.
Dies plagam, vindictāmq. ſignificat. 124. in Die illa, id eſt temporibus Meſſiæ,et Euangelii. 152.
Dies Dñi magnus,et terribilis,dicitur iudicii extremi dies. 273.
Dies æternitatis,prō diebus mundi originarii accipiuntur.289.
Dilatare,per antiphraſim, eſt anguſtare. 119.
Doctoris, et præceptoris nomine,principem,-et regem vocant Scripturæ. 164.
Domum Dei appellant Scripturæ, Gentem Iudæorum, populum electum. 82.
Domos,populos vocari conſtat ex pluribus Bibliorū locis. 115.
Dormire,pro concumbere,libidinemq.exercere ſumitur. 208. Item Hebræis eſt mori. 484.
Dormire ſomnum, proprie ſignificat vltionem pati. 40.
EBrietatis appellatione, quodlibet plagæ genus, et calamitatis intelligitur. 243.
Egreſſus in Scripturis, eſt aduentus, ſiue etiam natiuitas, et partus. 287.
Enim,frequenter pro,autem vſurpatur. 421. 427. 474.
Erubeſcere Prophetis,eſt vaſtari. 271.
Eſſe,vigere,et in pretio haberi,in Sacris litteris ſignificat. 424. Item florere potētia,opibus,ſapiētia,fāma,et ęſtimatione.425. Interdū eſt venire. 234. et 377. Quandoq. etiam dicere.414.
Eſſe, ire,vel ambulare poſt tergum,pro eſſe ſeruum proprie, et frequenter accipiuntur. 267.
Eſſe in carne,eſt ſequi carnis libidinem,et concupiſcentiā.241.
Eſſe coram Deo,ſcripturarum phraſi,eſt ſeruire Deo, ipſum colere,et venerari. 396.
Eſſe in Cælo,eſt in excelſo dignitatis, diuitiarū,ſapientiæ,vel alterius cuiuſcumq. felicitatis gradu eſſe conſtitutum. 436.
Et cōiunctio multiplicē vim obtinet in ſcripturis exHebraiſmo, quam ex parte in hac cēturia exprimunt hæ voces:Donec. 4. Cum. 4. et 316. Id eſt, 5.207.284.et 480. Sed, 14. Nam, 14. et 304.

et 304. Præſertim, 55. De 55. Imo, et quin potius, 85. Quia 97. Poſtquam, 174. Deniq. 249. et 323. Tunc, 266. 267. 313. et 315. Ita, 323. Qui, 290. et 384. Autem, 370.
Euangelica lex, ſpiritus appellatur. 155.
Euangelizare, eſt fauſta, et proſpera nunciare. 178.
Ex, interdum idem eſt atq. poſt. 375.
FAcere in ſacris Bibliis, eſt ſupplicium ſumere. 303. Frequenter etiam colere, et adorare. 150.
Facere iudicium Hebraico ſchemate, eſt ferre legem. 235.
Feminæ vocabulum, terram ſignificat. 187.
Filii hominum per Hebraiſmum, dicuntur homines. 62.
Filii Dei, cultores veri Dei nuncupantur. 246.
Filius Dei appellatur eiuſdem Filii Dei lex. 450. In Finem, idem quod tandem. 84.
Filiorum nomine, poſteri intelliguntur. 265.
Fines ſæculorum, ſunt ſæcula nouiſſima. 478.
Fluendi verbo, copia, et abundantia ſignificatur. 189.
Fornicari, peculiare verbum Prophetis, pro Idola colere. 240. et 251. Item fornicationis pœnas luere. 247.
Fornicationis nomine, Idolorum cultus deſignatur. 247. 283.
Fornicarii dicuntur, Idolorum cultores. 247.
Forte appellatur, quod magnum eſt in genere ſuo. 3.
GEnerationis appellatione, omnia quæ ſubſiſtunt, intelliguntur. 185.
Gentium vaſtatione, earundem conuerſio deſignatur. 315.
Gloria in Diuinis litteris, Deus ipſe appellatur. 334. et 335. Idem nomen, opes, potentia, omneq. genus humanæ felicitatis declarat. 465. Frequenter etiam miſericordiam. 32. et 336. Itemq. maieſtatem. 32. et 335.
Gratia, pro miſericordia accipitur. 49.
Gratiam inuenire coram aliquo, eſt gratū eſſe ei, et placere. 30.
Guſtare res ſecundas, eſt illis potiri. 445.
Guſtare vero mala, ſuſtinere illa. ibidem.

Habi-

HAbitandi verbum, pro commorari frequenter capitur. 207.
Hereditas gentem,populumq. ſignificat. 161.
Heres pro Domino vſu linguæ Hebraicæ collocatur. 377.
Honorare,et honorificare,alere ſignificant. 319.
Humerus in ſcripturis,pro manu ponitur. 314.
IGnominia,pro Idolis,et eorum ſacerdotibus vſurpatur. 251.
Illuminati dicuntur,ad fidem conuerſi. 443.
Illuminationis nomine,conuerſio ad fidem intelligitur. 443.
Illuminare,eſt proſperum et opulentum eſſe. 203.
Impoſſibile,id quod eſt maxime difficile ſignificat. 442.
In præpoſitio,pro coram ponitur. 26. 184. et 408.
Sumitur etiam interdum pro Cum,nota effectiui. 124. 213. et 305. Extra. 282. De, 136.
Infernus,vel inferus,mortem ſignificat. 118. 119. et 324.
Item hoſtem. 118. Peſtem,et quamuis plagam. 119.
Ingredi , et egredi , familiariter conuerſari eſt vſu Bibliorum. 194.
Iniquitatis voce vtuntur Scripturæ, ad plagam, et omne genus vltionis exprimendum. 237.
Iniquum appellatur,quod magnum eſt in genere ſuo. 434.
Initium ſapientiæ,eſt vera, ſumma,et maxima ſapientia. 106.
Inſanire Prophetis eſt malis excerceri,grauiter puniri. 276.
Inſulæ in Sacris litteris,pro regnis terræ ponuntur. 142.
Intrare,idem eſt quod potiri. 42.
Non Inueniri Hebræis dicitur, quod perit, et nuſquam eſt,imo nec inueniri poteſt,etiam ſi diligenter quæratur. 237.
Inuiſibilia,pro deformibus accipiuntur. 109. et 110.
Inuocare familiari ſcripturarum locutione , colere, et venerari ſignificat. 274. et 313.
Ira pro vltione,et plagis vſurpatur. 141.
Ire , ambulare , vel eſſe poſt tergum, pro ſeruum eſſe ſolent in ſcripturis adhiberi. 167.

Ire, et vadere, æquiualent verbis Mori, deleri, et vaſtari. 193.
Iudex quandoque Regem, et Principem exprimit. 129. et 135.
Iudicare, interdum idem eſt quod vindicare, 88. punire, 132.
Item regnare, 129. et 135.
Iudicium in Sacris eloquiis Supplicium, plagã, et calamitatem ſignificat, 278. et 302. Porro legem, 234. Item regnum, 324.
Iuſtitiæ nomen ad legis ſignificationẽ accõmodatur, 137. et 234.
Frequenter etiam per virtutis nomen exprimitur, 427.
Iuſtorum appellatione Filii Iſrael intelliguntur. 387.
Iuſtus Hebræis, eſt Inclytus, Princeps, et Rex. 232.
LAbia, pro peccato accipiuntur, 130. ſermone, et lege, 213.
Lætitia; ad ſignificandum genus omne felicitatis humanæ accommodatur. 99.
Lapidis nomine Rex, vel regnum intelligitur. 280.
Legiſlatorem appellant Scripturæ ipſam legem. 280.
Libidinem pro Idololatria accipiunt Sacri ſcriptores. 228.
Lignorum nomine, habitatores intelliguntur. 127.
Lingua, ſermo, et verbum, idem ſonant quod Religio. 153.
Interdum etiam Gentem, nationemq; denotant. 154.
Linguam adhærere palato, eſt grauiſſime affligi, ſiue etiam obmuteſcere, grauiq; pati. 103.
Loquendi verbum æquiualet ſignificatu cum verbis affligendi, perdendi, et vaſtandi, 276. Faciendi, 22. 276. et 363.
Loqui ad aliquem, eſt polliceri alicui. 59.
Lumen in Bibliis ſactis cum Rege, et Principe ſignificatione coincidit, 122. et 333. Omne etiam genus felicitatis humanæ declarat. 203.
Luna Scripturarum tropo, pro Regno ponitur. 201.
Lux, omne genus humanæ felicitatis exprimit, 203.
Item Euangelium. 427.
MAledictus, pro iniquo, et ſcelerato inuenitur more Scripturarum, 210. Interdum etiam pro infelice, 160.
Mandandi verbo ſignificant Hebræi mittere, 279.

In Manibus meis,idem eſt quod coram me. 190.
Manus pro , munere vſurpatur. 314. Item pro opere. 314. et 200.
Maris appellatione,variæ gentes,et inſulę intelliguntur.3.et 141. Sæpe etiam Reges,et Principes. 143. Nonnumquam vero per Metonymiam terra ſignificatur. 141.
Maris magni nomine, vniuerſæ gentes ſignificantur. 141.
Medium terræ,vſurpatur pro,vniuerſa terra,et Gentibus. 158.
Memores eſſe Dei,pro,cultores Dei eſſe,accipitur. 95.
Menſtrua,pro,ſanguinibus vſurpantur, 215. Item pro, ſcelere. 215.
Menſura metaphorice,æqualitatem declarat. 172.
Menſura, et perpendiculum ; ædificium conſtruendum ſignificant. 174.
In Menſura,locutio vulgata,pro,ad menſuram, vel iuxta menſuram. 87.
Meretricis appellatione,fornicatio intelligitur. 284.
Miſericordia,promiſſionem ſonat. 49. et 336.
Montium,et collium appellatione, diuerſa orbis regna, et gentes ſignificantur. 115. 178. 197. et 198.
Mori, mortalem eſſe quandoque ſonat. 301.
Mors,pro hoſte mortem inferente collocatur. 118. Similiter pro, Diabolo. 394.
Mors ſecunda,eſt ſupplicium grauiſsimum,ac ſempiternũ.157.
Mortui dicunt ſæpe ſcripturæ,vt ſignificent Idola. 207. Tum etiam mortales,ſiue homines. 473. et 483.
Moſis nomine,Lex vetus deſignatur. 380. et 408.
Mouere,ſeu commouere,æquiualent ſignificatione verbis,perdere, atq. delere. 315.
Mundi oculi dicuntur,qui iuſte,et recte iudicant. 303.
Mutari Hebræis,eſt ceſſare,deficere, et perire. 299.
Myſterium pro, typo, et figura vſurpatur. 437.

¶¶ Naſci,

Naſci, cum verbo generari ſignificatione coincidit. 341. eſt etiam concipi. 376.
Nequam ſolet in ſcripturis, quod magnum eſt in genere ſuo appellari. 434.
Neſcire vnde aliquid veniat, aut quo vadat, dicitur per idiotiſmũ pro eo quod eſt non comprehendere illud. 360. et 362.
Nomẽ, pro munere, functione, dignitate et perſona accipitur. 31.
Non, quandoq. ſonat, non ſolum. 431.
Nouiſsimum, pro vltione vſurpatur. 39.
Nouiſsimus dies, et nouiſsima tempora ab Hebræis appellantur, feliciſsima, et præſtantiſsima. 115.
Obliuioni tradi, eſt perire, et e medio tolli, frequenti Hebræorum locutione. 102.
Obmuteſcere, eſt vehementer dolere, et grauia pati. 103.
Oculorum nomine, iudicium intelligitur. 278.
Omne, quod magnum eſt, et inſigne in genere ſuo dicitur. 72. 100. 257. et 366.
Opus, pro fructu ponitur. 6. pro hæreditate, et populo. 7. et 161.
Orientis appellatione, regio longinqua deſignatur in Scripturis. 180.
Oris nomen, peccatum ſæpe innuit. 131.
Os Domini, appellantur Prophetæ. 226.
Pacem, pro omni genere felicitatis vſurpant Scripturæ. 199. et 327. Item pro Euangelio Chriſti. 198. Similiter pro copia ſpiritualium bonorum. 199. et 298. Eodem nomine Chriſtus Ieſus in apoſtolicis epiſtolis intelligitur. 329.
Pacifici Regis nomine, Chriſtus ſignificatur. 299.
Panem lacrymarum, vel doloris vocat Scriptura, victum multo labore partum. 86.
Panis ex proprietate linguæ ſanctæ, pro cibo, et quocumque victus genere accipitur. 259. Tum etiam pro oblatione. 260.
Paratum eſſe, vel adeſſe dicũt Hebręi, pro, certiſsime eueniet. 14.

Pax

Pax figurato ſermone, felicitatem ſignificat. 182. Item pacificum. 327.
Peccare, interdum eſt punire, interdum vero pœnas dare peccati. 247. Aliás affligere. 278.
Peccatum multiplici acceptione venit. Vindictam enim vbiq. ſonat. 12. 227. et 237. Plagam. 12. 227. 237. et 458. Similiter ſacrificium, et oblationem. 36. et 384. Aliás concupiſcentiam, ſeu peccatum originale. 342. Interdum etiam, afflictionem, calamitatem, oppreſsionem, et omne genus laboris, et miſeriæ. 458.
Pedes, quandoq. ad opera ſignificanda accomodantur. 200.
Per, frequenter, idem quod propter. 376.
Perditio celeris, pro ſupplicio certiſsimo, vel grauiſsimo accipitur. 13.
Perfectus in nouo Teſtamẽto, idem eſt quod Chriſtianus. 387.
Petra, pro Rege, vel regno in ſcripturis vſurpatur. 280.
Pingues dicuntur, diuites, proceres, et principes. 122.
Portæ, ſchemate Hebræo, pro iudiciis accipiuntur. 324. Eodem nomine ciuitates intelliguntur. 89. et 325. Item pro cœtu et domo vſurpantur. 325.
Præceptor, et doctor, pro principe, et rege adhibentur. 164.
Præparandi verbum, ad ſignificationem ſtabiliendi, et firmandi ſolet trahi, Hebræorum conſuetudine. 115.
Primogenitus, idem eſt atq. princeps et rex. 483.
Principis nomen in Scripturis, Meſsias ſibi vendicat. 455. Eandemq. appellationẽ Scripturę, ſacerdotibus tribuũt. 251. et 252.
Pro, idem valet quod cum. 44.
Propheta D. Paulo, interpres ſcripturarum dicitur. 265.
Prophetare quandoq. eſt Diuinas laudes celebrare. 265. et 266. Pariter etiam, ſacra vaticinia interpretari. 265. Alias, inſanire, et furore corripi. 276.
Prophetæ, aliquando Nuncii Dei, videntes, et angeli pacis nuncupantur. 466.

¶¶ ij Quia,

QVia per Hebraiſmum pro,et,certe,et deniq. vſurpatur.286. et 297. pro,quod.312.
Quoniam,idem quod certe ſonat.79.et 80. interdũ,quod. 312.
REſpondere, frequenti vſu Hebraicæ linguæ, ponitur, pro, loqui. 22.
Regis nomen ſacri vates, Meſſiæ tribuunt. 455.
Rugire Hebræi vſurpant,pro,ſæuire. 275.
SAcerdotum nomen, ad ſignificandos principes accommodatur. 251. et 252.
Sæcula ventura, ſiue futura D. Paulus et ſancti Prophetæ appellant tempora Euangelii. 446. et deinceps.
In Sæculum,in finem,in æternum appellant ſcripturæ, quod in genere ſuo magnum eſt,et excellens. 56.
Salus,et ſalutare, Hebræorum ſchemate, pro omni genere beneficii,et humanæ felicitatis,accipiuntur. 55.213. et 335.
Salutes magnificare,eſt,magna conferre beneficia. 55.
Sanctum,pro eo quod magnum eſt,et excellens in genere ſuo, accipitur. 90. et 122.
Sanctus,magnum,Regem,potentemq. ſignificat. 301.
Sanguines, pro peccato Originali, eiusque fomite vſurpantur. 342.
Sanguinis nomine,iniquitas,et ſcelus deſignatur. 215.
Aliquando, nex, et internecio. 268. et 271.
Sapiens,idem ſonat quod inclytus,potens, magnus, præclarus, princeps,et rex. 233. Item, Propheta. 234.
Sceptrum,pro Rege, et principe accipitur. 455.
Scientia Dei,legis diuinæ obſeruationẽ et cultum exprimit.139.
Scire,pro colere vſurpatur. 139. Eſt etiam vltionem ſumere, et vaſtare. 147.
Scire vnde aliquid veniat,et quo vadat. Et.Scire alicuius rei initium, et finem, Phraſi Hebræa, idem eſt quod perfecte illud intelligere. 359.
Scribere,idem eſt quod numerare. 128.

Scri-

Scriptura, prophetia appellatur. 97.
Semen per Hebraiſmum,dicuntur filii. 57.
Semen in ſeculũ,eſt filius inclytus,vel,ſanctitate conſpicuus.57.
Semitæ,et viæ, pro regionibus vſurpantur. 182.
Seneſcere,idem eſt quod deficere. 300.
Separatum, idem ſonat quod immundum, pollutum, et profanum. 250.
Septenarius numerus,vniuerſitatem ſæpe denotat. 479.
Sermones nonnumquam,pro peccatis vſurpantur. 130.
Seruus idem valet quod Propheta. 165.
Siderum appellatione,Reges,ſiue regna ſignificantur. 201.
Sol,ſignificationem regni obtinet. 201.
Sol,et Luna,pro omni genere felicitatis accipiũtur. 202.et 203.
Somniandi verbum, cum verbo vaticinandi ſignificatione congruit. 264.
Sperare,eſt bonis potiri,beneficiis augeri,et cumulari. 61. Tutum eſſe,et ſecurum. 64.
Spes,pro mercede ſumitur,et munere quod ſperatur. 61.et 66.
Spirare,operandi ſignificatum comprehendit. 359. Item loquendi. 362.
Spiritualia nequitiæ, abuſiue, pro, ſpiritus nequam, vſurpant Scripturæ. 433.
Spiritus nomine,ſol ſignificatur. 4. et 352. aliquando etiam Deus. 253. 352. et 355. Item verbum,et ſermo. 363. Gens, et natio. 434. et 470. Similiter Euangelium in nouo Teſtamento. 386.
Spiritus gratiæ,D. Paulo,eſt Euangelium. 449. et 451.
Spiritus labiorũ,pro multis,grauiſsimiſq. peccatis ſumitur. 131.
Stare,eſt curam gerere,et fauere. 224.
Stare,vel eſſe ante faciem,pro miniſtrare ponitur. 224.et 295.
Stylo ferreo, vel adamantino ſcribere, pro, litteris mandare in ſæcula multa,ſcripturarum phraſi vſurpatur. 230.

Sub,pro coram adhibetur. 26. et 73.
Super,idem eſt quod In. 199.et 306.
TAbernacula,ciuitatum ſignificationem ſibi vendicant. 89.
Tacere,eſt affligi,grauiaq. pati. 105.
Templi nomine,palatium intelligitur. 42.
Tenebrarum nomine, genus omne malorum et calamitatis deſignatur. 270. et 432.
Terra,pro diuerſis orbis nationibus accipitur. 135. 139. 141. 235. 267. et 315.
Terra,et aqua,mutua inter ſe ſignificatione gaudent. 2.
Teſtamentum in ſæculum , ſiue a ſæculo, eſt pactum, ſiue promiſsio antiqua. 58.
Teſtis,Hebræorum tropo,iudicem ſonat. 481.
Teſtis velox,per idiotiſmum,pro iudice acerrimo accipitur.ibi.
Totum,magni,præſtantiſsimiq. vim obtinet. 305.
Tranſire,pro interire ſumitur. 300.
in VAporem fumi redigi, eſt citiſsime euaneſcere,et in nihilum redigi. 268.
Vbi,ponitur pro vnde. 245.
Vectes ciuitatis, Hebræorum locutione; ſignificant, ciuitatem fortem. 3.
Vectes maris,pro mari forti, et profundo accipiunt Hebræi. 3.
Venire,ambulandi vim refert, 463.
Venti appellatione, genus omne malorum et calamitatis intelligitur. 212.
Vepres, et ſpinæ, figurata locutione dicuntur hoſtes populi Dei. 124.
Verba quandoq. pro peccatis ſumuntur. 130.
Promiſsiones etiam eodem nomine nuncupantur. 444.
Veritatis nomine,Euangeliũ ſignificatur. 414. Item lex. 235.
Viæ,et ſemitæ,pro regionibus ponuntur. 182. Interdum pro operibus. 119.
Victus pro veſtitu ſumitur. 18.

Vlq;

Videns,idem eſt in Scripturis quod Propheta. 265.
Videndi ſignificatio,ad viuere accōmodatur. 19. Item ad vaticinari. 264. et 265.
Videre bona,idiomate Hebræo eſt bonis potiri. 68. et 467.
Videre lumen,pro lætis,et ſecuris potiri,accipitur. 68.
Vinculorum nomine,genus omne vindictæ,calamitatis,et plagæ ſignificatur. 253.
Vinum,per idiotiſmum linguæ ſanctæ,conniuium ſonat. 249.
Virgæ ſignificationem referunt voces,regnum,et potentia.130. Rex,ſiue princeps. 455. et 456. Plaga, omneq. genus vindictæ. 135.
Virtus,robur,fortitudinemq. frequenter exprimit. 78. Item opes,et diuitias. 446.
Viſio,pro vaticinio vſurpatur. 265.
Vita,pro felicitate collocatur. 69.
Viuere, eſt feliciter agere, et florere. 141.
Viuere coram Deo,eſt viuere vita immortali. 408.
Vnum,id quod præſtantiſsimū eſt in genere ſuo,indicat. 314.
Vocare,eandē vim refert cum verbis adducere,et conferre. 33. Aliquando cum facere. 185. et 222. Alias eligere. ibidem.
Vocare nomen alicuius, Bibliorum phraſi dicitur,pro, eligere aliquem. 31.
Vocare in nomine Domini.Hoc eſt,inuocare nomen Dñi. 33.
Volūtas,ex vi Hebraicę linguę,pro miſericordia adhibetur. 327.
Voluntas carnis,locutio æquiualens, Voluptati, et carnis delectationi, ſeu libidini. 341.
Voluptatis nomine,genus omne felicitatis exprimitur 64.
Vt,ex idiomate Hebræo,pro,Et vſurpatur. 313. Item pro,Quod voce declaratiua. 377.

FINIS IDIOTISMORVM.

SACRARVM SEMIOSEON, ANIMADVERSIONVM, ET ELECTORVM EX VTRIVSQVE TESTAMENTI LECTIONE *COMMENTARIUS ET CENTURIA.*

Tenebrae erant ſuper faciem abyſsi, & ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas. Geneſ. 1. 4.

CAPVT PRIMVM.

AGIT Moſes de creatione cæli et terræ, rerumq. omniũ quas Deus Opt. Maxi. vniuerſorũ conditor e nihilo creauit, ordineq. pulcherrimo diſtinxit. Vox *facies* abundat ex proprietate Hebræa. Sic ſcriptores ſacri ſæpe dicunt; Super faciem terræ, quod nihil aliud eſt, quam ſuper terrã. Abyſsi vero nomine, intellige duo elementa, ſcilicet terræ et aquæ, quæ ſimul erant permixta, donec ad imperium Dei, aqua collecta eſt in locum ſuum

Cum enim creata eſt terra, non nudata aquis creata eſt, ſed aquis cooperta. Cumq. hæc elemēta creata ſunt initio creationis: nondum lux creata erat. ideo ait Moſes, Tenebræ erant ſuper faciem abyſsi, hoc eſt, terra et aqua, caligine denſa obſidebantur. Itaq. abyſsi et aquarum appellatione congeries duorū elementorum terræ et aquæ ſignificatur: ſicut *Eccleſiaſtici cap.* 24. *a.* terræ nomine, eadem duo elementa intelliguntur. Sicut nebula (inquit Sapientia) texi omnem terram, hoc eſt, cum creaui Solem, terra et aqua (quæ permixta erant) tenebris denſiſsimis erant obductæ, maximis tenebris obtectæ. Similiter *Iob cap.* 38. *a.* eadem duo elementa, initio creationis rerum, Maris appellatione ſignificantur. Vbi eras, cum ponerem nubem veſtimentum eius? nempe Maris: id eſt, cum globum terræ et aquæ tenebris obtegerem; ſiue cum creaui terram et aquam, nōdum creata luce. Hinc factum eſt (vt mea fert ſententia) vt etiam poſtquam ſeparata ſunt ad imperiū Dei, in rerum creatione, hęc duo elementa; aliquando in diuinis litteris alterum pro altero accipiatur. Nam Moſes ſermonem faciens *Exod.* 15. *b.* de ſubuerſione exercitus Aegyptiorum in mari Rubro, cum dixiſſet, Operuit eos mare, ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus: ſtatim terram pro mari accipiens, adiecit, Extendiſti manum tuam, et deuorauit eos terra. Et Ionas Propheta

Dei in mare proiectus, et a Ceto deuoratus, in ventre Ceti ſic orauit, *Ionæ cap.* 2. Terræ vectes concluſerunt me in æternum, terram pro mari appellans. Sicut vero aliquando ſcriptores ſacri, phraſi Hebræa, Vectes ciuitatis pro Ciuitate forti dicunt; dictum eſt, Vectes terræ, id eſt Maris pro Mari forti, id eſt profundo. Nam forte vocant Hebræi quod magnum eſt in genere ſuo Quidpiam etiam in æternum vocant, quod magnum e excellens in genere ſuo volunt ſignificare. Itaque duplici Hebraiſmo eiuſdem ſignificationis, dictum eſt vectes terræ in æternum, pro mari profundiſsimo. Sic mare pro terra, atq. adeo pro variis gentibus et nationibus aliquando accipitur, vt *Pſal.* 95. *b.* cum dixiſset Regius Vates, Exultet terra: addit per repetitionem, Commoueatur mare et plenitudo eius, id eſt diuerſæ orbis nationes, relicta Idolorum cultura, Deum verum adorent. Et *Pſal.* 97. pro eadem re accipit mare et terram. Siue orbem terrarum, et plenitudinem maris vocat, quod aliis in locis ſolet appellare, plenitudinem terræ, id eſt omnis orbis nationes. Moueatur (inquit) mare, et plenitudo eius; orbis terrarum, et qui habitant in eo. Et *Pſal.* 92. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus. Quaſi dicat; licet magnæ ſint vires terræ, id eſt gentium, licet gentes inſurgant in populum Dei: non præualebunt, quia Dominus protector eius eſt. *Et ſpi-*

ritus Dei ferebatur &c.) Spiritus prò ſole ponitur, qui ſpiritum, ſiue vitam fere tribuit iis, quæ terra gignit, omnia fouet, omnia recreat. Sic ea vox vſurpatur a Salomone *Eccleſ. cap.* 7. Luſtrans vniuerſa in circuitu, pergit ſpiritus, vt exponit D. Hierony. in Commentariis ſuper eum locum. *Dei* dictum eſt, pro *a Deo*, ex idiomate ſermonis Hebræi. *Et*, pro *Donec*, vel *Cum*, accipi videtur, quod non abhorret ab vſu Sanctarum Scripturarum. Siquidem ea vox interdum ponitur pro aduerbio temporis, ſicut vice multarum particularum ex proprietate ſermonis Hebræi. Præteritum imperfectum pro perfecto poſitū eſt, quod frequenter reperitur in Arcanis litteris. Aquas vocat Moſes quod Abyſſum dixerat, ſcilicet duo elementa terræ et aquæ, quæ tunc erant permixta. Nam terra creata eſt aquis cooperta. Duoq. elementa, videlicet Terra et Aqua, quæ tunc erant permixta, cum nondum eſſet terra aquis nudata; et Aquarum et Abyſsi appellatione deſignantur. Erit ergo ſenſus, Quando condita ſunt duo elementa Terræ et Aquæ, tenebris denſiſsimis occultabantur, donec a Deo ſol adductus eſt in orbem, id eſt, donec ſol conditus eſt a Deo, qui duo illa elementa fecit conſpicua, quæ tenebris denſiſsimis obſidebantur, donec ſol conditus eſt, qui tenebras depulit, et illuminauit globum illum Terræ et Aquæ. Die vero primo Solem fuiſſe creatum, qui hic

Lucis

Digitized by Google

Lucis nomine appelletur; quorũdam doctiſsimorum virorum eſt ſententia. Nam cum primo die facta ſit lux, quæ diem effecit, quæq. diuiſit diem a nocte, vt ait Moſes: quæ alia lux potuit eſſe, aut hoc efficere, quam lux ſolis? Quin et Eccleſiaſticus *cap.* 24. *a.* aperte hoc mihi docere videtur, vbi ſapientiam ita loquentem inducit. Ego feci in cælis, vt oriretur lumen indeficiens, et ſicut nebula texi omnem terram. id eſt cum eſſet terra tenebris obtecta. Sed et magnus ille Dionyſius Areopagita libro de diuinis nominibus *cap.* 4. hoc aperte mihi inſinuare videtur. Sol ergo conditus eſt, cum terræ et aquæ congeries obducta eſſet tenebris, id eſt primo die, in quo facta eſt lux, quæ diuiſit lucem a tenebris, quę non potuit eſſe, niſi lux ſolis. Et quidem hoc ſonare videntur hæc verba Moſis. Nam lucem illam, quam dicit Moſes diem feciſſe, fuiſſe Solem; facile perſuaderi poteſt homini non proteruo, quod (ad alia) nomen lucis vel luminis in ſacris litteris frequenter ſit nomen Solis: vt *Eccleſiaſtici cap.* 24. *a. Iob* 36. *d. Habacuc* 3. *a.* & *Eſther* 10. *b.* & 11. *d.* legis Lux et Sol, vbi coniunctio copulatiua, ex idiomate Hebræo, expoſitiue accipienda videtur pro *id eſt*, vt intelligas in his locis, appellatione Lucis, Solem ſignificari. Nec fuit aliquid naturalius, quod ſit omnium corporearum formarum, omnis mundanæ vitæ auctor, pręſes, ac principium cunctarum re-

rum. Sed hæc ſententia ſiue vera ſit, ſiue non; nihil officit expoſitioni noſtræ, quæ (ni fallor) plena eſt, et filo orationis apta, vocesq. in ea vſurpantur in ea ſignificatione, quæ non abhorret ab vſu ſanctarum ſcripturarũ. Qua in re doctiſsimorum virorum expecto iudicium. Mirum eſt quam multa et varia a pleriſque coaceruentur circa voces Hebræas, quæ reſpondent his Latinis *Spiritus*, et *Ferebatur*: quæ vix ſibi cohærent, et ſenſus nõ planos, nec apertos, ſed inuolutos et implexos efficiũt.

Poſuit eum in paradiſum voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum. Geneſ. 2. c.

CAPVT II.

NON exigua difficultas eſt in ſignificatione verborum Operandi, et cuſtodiendi; nec triuialis, et vulgaris eorum ſignificatio. Aliquando ita locum interpretabar. Quia opus Hebræis nonnũquam ponitur pro fructu, Operari hoc loco eſt colligere fructus, potiri fructibus. Vt Operaretur (inquit) hortum voluptatis, id eſt colligeret fructus eius, Hiſpane, *Para que le desfrutaſe*. Et quia Opus Hebręis ſignificat aliquando

do hereditatem (vt *Eſaiæ* 40. *c.* Opus illius coram illo, & cum populus Iſrael vocatur Opus Dei, et Opus manuum eius, id eſt hereditas eius, vt *Eſai.* 5. *c.* 28. *e.* & *Abac.* 3. *a.*) vt operaretur, poteſt exponi, vt hereditate illa potiretur. Quia ergo Opus aliquando in ſacris litteris, ex idiomate linguæ Hebrææ ponitur pro hereditate; Operari hoc loco videtur idem eſse quod hereditare, id eſt poſsidere. Poſuit Deus (inquit Moſes) hominem in paradiſo, vt poſsideret illum. Ac forſan ex Hebraiſmo dictum eſt, Vt operaretur et cuſtodiret illum, pro eo quod eſt, quem operatus fuerat, ſcilicet Deus, vel quem fecerat, id eſt plantauerat, vt homo cuſtodiret illum. Sed re exactius expenſa, alia ratio locum explicandi, magis amplectenda videtur (eodem ſenſu manente) quia ſimplicior et magis accommoda. Nec Operari hortum, hoc loco, eſt colere, vt dicimus Latine, Colere, vel excolere agrum. Quamquam noui interpretes verterint Colere hortum, quorum ſententia mihi non probatur. Nec cuſtodire hortum, eſt quod hæc verba Latinis ſonant. Quin potius de vtroque verbo ita ſtatuendum arbitror. Quia opus aliquando ponitur pro hereditate, vel poſſeſsione (vt *Eſai.* 40. *c.* & 62. *d.* Opus illius coram illo, id eſt habet ille curam hereditatis ſuæ, ſiue populi ſui) factum eſt, vt hoc loco Operari ſit hereditare, vel poſſidere. Cuſtodire vero ponitur pro cuſtodem eſse. Nam

aliquando Scriptores ſacri, ex idiomate Hebræo, vtuntur verbis adiectiuis pro nominibus ab eis deductis, et verbo ſubſtantiuo; vt mori, pro mortalem eſse. Sic dixit Apoſt. *ad Roma.6.b.* Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur: hoc eſt, Poſtquam Chriſtus ſurrexit a morte, iam non eſt mortalis, ſiue morti obnoxius. Cuſtodire ergo eſt eſſe Cuſtodem, id eſt Pręfectum, Principem, Regem, ac Dominum. Sic enim aliquando vſurpatur vox *Cuſtodis.* Sic Sanctus Propheta Hieremias *c.4.d.* Cuſtodes vocat Reges gentium, qui magnis copiis venturi eſſent contra Hieruſalem. Ecce (inquit) auditū eſt in Hieruſalem, Cuſtodes venire de terra longinqua. Et Iob *c.7.d.* vocat Deum cuſtodem, id eſt Regem ac Dominum hominum. Et Nahum *c.3.d.* Cuſtodes tui quaſi locuſtæ. Vbi pro Cuſtodibus alii vertunt Maiores, Pręfectos, Principes. Poſuit itaque Deus primum hominem, quem in agro Damaſceno extra paradiſum formauerat ex argilla, in ipſo paradiſo voluptatis, vt operaretur illum, hoc eſt, vt illum poſsideret quaſi dominus, quamdiu diuinis mādatis obediret; et eſſet illius Cuſtos, id eſt Præfectus, Rex, ac Dominus. Eſt vero quædam ſpecies Hendiadys apud Hebręos (qui frequenter et diuerſimode hac figura loquendi vtuntur) qua duo verba ponuntur media coniunctione copulatiua expreſsa, vel ſubintellecta, quorum alterum per nomen

men

men eſt reſoluendum, aliquando vero ambo verba in nomina reſoluenda. Hoc genere locutionis dictum eſſe poteſt intelligi, vt operaretur, et cuſtodiret illum, pro eo quod eſt, vt eſſet Cuſtos, ſiue Dominus illius operis, hoc eſt illius hereditatis, nempe horti voluptatis: vt eſſet Cuſtos, Præfectus, Princeps ac dominus egregiæ hereditatis et poſſeſsionis, horti amœniſsimi, vt eo frueretur, ſi diuinis iuſsibus obtemperaret.

Tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea. Geneſ. 2. d.

CAPVT III.

PRO Repleuit carnem pro ea, plerique vertunt ex Hebręo, Clauſit, id eſt, *incluſit* carnem pro ea. Quidam in hunc ſenſum vertit, Carnem illius loco claudens, id eſt includens. Significat hęc lectio, locum illum a quo educta eſt coſta, oppletum fuiſſe carne, ne vacuus remaneret. Vulgata editio mihi plurimum placet, cuius lectio ita explicanda eſt. Ex idiomate Hebræi ſermonis addita eſt præpoſitio Pro: quia verbum implendi in lingua Hebræa prope ſemper habet auferendi caſum cum

a v præpo-

præpoſitione, quæ omittenda eſt, ſi locus in Latinum ſermonem transferatur. Præterea fit inuerſio caſuum (quæ aliquando reperitur in Sacris) Repleuit carnem ea, pro Repleuit eam *nempe coſtam* carne, id eſt, operuit coſtam carne ipſius Adæ. Eſtque Hendiadys Hebræa, Tulit vnam de coſtis eius, et repleuit eam carne; pro eo quod eſt, Tulit vnam de coſtis eius plenam carne. Quibus verbis ſignificatur, Coſtam eductam e latere Adæ, non fuiſſe nudam carne; ſed eductam cum carne adiacente. Atque idem ſignificatur verbis illis, Os ex oſsibus meis, et caro de carne mea. Si enim coſta Adæ educta fuiſſet nudata carne, quomodo dicere poſſet Adam Caro de carne mea? Eadem ratione veritas Hebræa explicanda eſt, vt Clauſit carnem pro ea, dictum ſit pro Clauſit vel incluſit, operuit, et texit coſtam carne; Poſuit Deus carnem (eductam ex latere Adæ) in circuitu coſtæ, hoc eſt, eduxit coſtam incluſam atque opertam carne. Optime ergo vulgatus interpres reddidit Hebręa, et aptiſsime ſenſum illorum inſinuauit. Coſta itaque ex qua formata eſt prima femina, non erat nudata carnibus, ſed cum carne adiacente educta eſt ex latere Adæ. Quod fit manifeſtum ex verbis illis (vt diximus) Et caro de carne mea. Educta eſt coſta cum carne adiacente, et oppoſuit Dominus carnem tantum, loco coſtæ cum carne eductæ. Hoc fortaſſe eſt quod ait Moſes, Repleuit

uit carnem pro ea, id eſt, pro coſta ſcilicet cum carne adiacente Repleuit Dominus locum illum carne, eduxit Dominus coſtam et carnem, et appoſuit tantum carnem. Repleuit ergo Deus carne ſcilicet locum illum vnde educta eſt coſta, appoſuitque carnem pro ea, id eſt loco coſtæ.

Quare iratus es? & cur concidit facies tua? nonne ſi bene egeris, recipies? ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit? ſed ſub te erit appetitus eius, et tu dominaberis illius. Geneſ. 4. b.

CAPVT IIII.

CONCIDERE faciem alicuius, eſt quod Latini dicunt Obſtipo capite eſſe, id eſt mæſtitia deprimi, et mæſtum eſſe. Nonne ſi bene egeris, recipies (ſcilicet mercedem a Deo) ſi autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit? Sic vertit vulgatus interpres, licet in Hebræo paulo ſecus habeatur, aliiq. aliter interpretentur. Sed recte ad ſenſum mihi vertiſſe videtur. *Statim*, non eſt in Hebræo, ſed additum eſt a vulgato interprete, explicationis gratia. Quod vero ait, In foribus peccatum

ſime veniet et quaſi paratus eſt. Qua etiã phraſi loquen di Hiſpanorum lingua vtitur. ad ianuam enim vulgo dicimus eſſe, quod proximum et paratum eſt. Cum vero dicitur, ſtatim adfuturam pœnam peccati: intelligimus ſtatim pro certiſsime accipi. Sic *Iſai.c.60.d.* dixit, Tempore eius ſubito faciam iſtud, ſiue tempore ſuo accelerabo iſtud, (vt alii vertunt) hoc eſt, certiſsime faciã iſtud. Subito ergo faciendum, vel accelerandum dixit, pro eo quod eſt certiſsime faciendum. Alioquin vocatio gentium, de qua ibi Iſaias (vt alia prætermittam) non ſubito, non ſtatim poſt natum Chriſtum facta eſt, nec paucis annis conſummata: ſed initium ſumens a prædicatione Apoſtolorum, adhuc fit, et vſq. ad conſummationẽ ſæculi durabit per tempora Meſsiæ (vt vocant) quæ ſunt omne tempus inter Chriſti natiuitatem, et ſæculi conſummationem. Nec diſcrepat ab hoc, quod D. Petrus Apoſtolorum Princeps *c.2.a. ſecundæ epiſt. ſuæ Canonicæ* celerem perditionem dixit pro certiſsimo ſupplicio: (Niſi malis celerem perditionem pro grauiſsimo ſupplicio appellari, iuxta id quod alibi diximus de voce Velox.) Fortaſsis ſic dictum eſt *Iſaiæ* 58. *c.* Sanitas tua citius orietur, hoc eſt, ſalus, vel felicitas rerum omnium tibi certiſsime eueniet. Sunt enim firmiſsimæ promiſſiones Dei. Erat autem promiſſa copia bonorum ſeruantibus Legem. Et *Iſaiæ* 29. *b.* Eritq. repente, con-

feſtim

Digitized by Google

feſtim, pro, Certiſsime hoc eueniet. Hoc genere locutionis dictum exiſtimo *Habac.c.2.4.* Non tardabit, vel cito veniet, hoc eſt certiſsime veniet; vt ſit repetitio verborum præcedentium Veniens veniet, id eſt certiſsime veniet. Alioquin non video, quomodo hæc verba non ſint contraria iis, quæ præceſſerunt, Adhuc viſus procul, et apparebit in finem, id eſt, Prophetia hæc longinqua erit, ſiue poſt longa tempora implebitur; procul eſt, ſiue longe ab hoc tempore; ſed tandem eueniet, atq. implebitur. Itaq. In Foribus peccatum eſſe, ſiue pœnam peccati atq. ſupplicium, dictum eſt hoc loco pro fore certiſsimum ſupplicium, nec defuturum. Nam alioquin peccantibus non ſtatim adeſt diuina vltio, quin potius Deus expectat ad pænitentiam. In eundem ſenſum accipiendum eſt quod D. Hieronymus ex ſuo addidit, ſtatim, id eſt certiſsime. Cubat enim in foribus vindicta diuina peccantibus, hoc eſt certiſsime aderit ſuo tempore, niſi peccatum pænitentia deleatur. Deniq. Paratum eſſe, vel iam adeſſe, dicunt Hebræi, quod certiſsime euenturum volunt ſignificare, quaſi tam certum futurum ſit, quã id quod preſens eſt. *Sed ſub te eris appetitus eius & c.)* Quod noſtra editio vertit Sed, in Hebræo eſt Et, vt omnes interpretes vertunt. Quæ quidem vox hoc loco pro Sed (vt vertit Vulgatus interpres) accipi poteſt, vel pro Nam. *Eius*, ſubaudi peccati et ſceleris. Quæ quidem

dem vox Peccati in hac ſignificatione non præceſsit, ſed tantum voce. Latet enim vox Peccati (quo ad ſenſum) in verbis illis, Si autem male egeris et c. Fitq. aliquando apud Scriptores Sacros vt Nomen vel Pronomen Relatiuũ ponatur, cuius antecedens non fuerit expreſſum, ſed tantum ſenſu præceſſerit. Huius rei alibi teſtimonia producimus ex ſcripturis Sacris. Itaq. *Eius*, referendum eſt ad nomen *Malum*, quod latet in aduerbio *Male*. Licet ad malum et ſcelus (inquit) ſis propenſus, tamen ſub te poteſt eſſe hæc praua propenſio, quam inclinationem vocamus, et potes illi dominari. Vox ergo *Illius*, refert nomen *Appetitus*. Poteſt etiam relatiuum *Eius* ad nomen *Peccati* quod præceſsit, referri: ſed in alia ſignificatione. Nam hoc etiam in vſu eſt aliquando ſcriptoribus ſacris ex idiomate etiam ſermonis Hebraici, vt eadem vox aliter accipiatur, cum in relatiuo ſubintelligitur, aliter vero cum primum poſita eſt, et expreſſa. Eſt ergo ſenſus, Si bene egeris, recipies (mercedem a Deo:) ſi autem male, ſuſtinebis ſupplicium, dabis pœnas. Cur ita? quia licet ſis ad peccandum pronus, vt eſt omnis homo ab adoleſcentia ſua; tamen cum habeas liberum arbitrium, hic prauus appetitus peccati eſt ſub tua poteſtate, esq. dominus illius, et tibi illum potes ſubiicere. Duo autem futura ſic exponenda ſunt, *Eris*, id eſt poteſt eſſe; *Dominaberis*, id eſt potes dominari. Habent enim ali-

quan-

quando hanc vim Futura tempora in Arcanis Litteris, ex proprietate ſermonis Hebræi. Appetitũ vocat concupiſcentiam ad malum. Inuitat quidem hæc, et allicit hominem ad malum et ſcelus, ſed non cogit; cum habeat ille liberum arbitrium, relictusq. ſit in manu conſilii ſui, vt extendat manum ad quod maluerit. *Eccleſ.* 15.*c.* Ideo ait Dominus ad Caim: Etſi obnoxius ſis prauæ ſuggeſtioni, et concupiſcentiæ praua ſuggerenti; non tamen illa cogit, ſed tibi poteſt illa ſubiici, et potes tu dominari illi, ita vt non pareas ei, ſed rationi. Licet ad malum propenſus ſis, poteſt tamen hæc ad praua propenſio tibi ſubdi, potesq. tu illi dominari, eamq. tibi ſubiicere. Quidam voces *Eius*, et *Illius*, referunt ad Peccatum. Atque ita vertit Chaldæus Paraphraſtes; In manum tuam tradidi arbitriũ fomitis, id eſt, tuæ poteſtati commiſi fomitem et concupiſcentiam peccati, et tu dominus illius eris. Et licet Peccatum accipiatur pro vindicta et plaga, cum dictum eſt, In foribus peccatum aderit: poteſt etiam accipi pro ſuggeſtione et procliuitate peccati, et propenſione ad peccandum, quam concupiſcentiam et fomitem peccati appellamus, in ſuo relatiuo, iuxta ea quæ modo diximus, fieri aliquando vt eadem vox aliter accipiatur, cum ſola ponitur, aliter cum ſubaudiatur in ſuo relatiuo. Quale eſt illud (vt alia non pauca in proprium locum referamus) *Iob* 1.*d.* Nudus egreſ-

egreſſus ſum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc. Illuc dictum eſt, pro Ad terram, quæ eſt mater omnium viuentium. Poſſunt etiam pronomina relatiua *Eius*, & *Illius*, (vt ego quidem ſentio) ita exponi vt non peccatum referant, ſed ipſum Abel, ita vt ſit conſtructio Hebræa, *Eius*, id eſt, *contra illum*; atque huiuſmodi Hebraiſmi alibi exempla producimus. Appetitus pro deſiderio ponitur (vt alii vertunt) atque in vtramque partem poteſt accipi, et pro amore, et pro odio. Cũ ergo Caim odiſſet Abel fratrem, et apud ſe ſtatuiſſet illum occidere; Deus, qui nouit cogitationes hominum, ait ad eum; Sub te erit (id eſt *eſſe poteſt*) appetitus, vel voluntas quã habes occidendi fratrem, & odium quod habes contra eum. Licet enim odio habeas illum, et decreueris eum occidere; hæc tamen praua voluntas ſub te eſſe poteſt, tibi ſubiecta eſt, id eſt, potes illam retractare, et tu dominaberis (hoc eſt, *dominari potes*) appetitui et odio contra eum.

Hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum ſunt. & quocumque perrexeris, memento te reprehenſam. Geneſ. 20. d.

CAP. V.

QVIDAM genus neutrum pro maſculino poſitum eſſe exiſtimant (quemadmodum quędam dicta ſunt in Diuinis litteris) in hunc ſenſum. Hic, id eſt maritus tuus, poterit omnibus ſatisfacere, quod intacta manſeris. Atque ita vertunt, Dedi fratri tuo mille argenteos, et reliqua quæ Abimelech donauit Abrahæ. Et licet multi huius ſententiæ fuerint; intelligere non poſſum quo pacto hæc verba eluceſcant, ſi ita explanentur. Alii ſic exponunt: Velamen oculorum dixit pro pudore, rubore, et erubeſcentia; quia qui erubeſcit, ſoleat oculos operire. *In* ponitur pro *Pro*, ſicut apud Oſe. *cap*. 12. *d*. Seruiuit Iſrael in vxorem, id eſt, pro vxore. Mille argentei (inquit) quos do Abrahæ viro tuo, ſint pro erubeſcentia quam ſuſtinebis. Eris enim ſuſpecta de adulterio apud quoſdam; qui nouerint quod ego te abſtulerim viro tuo. Vel eodem ſenſu manente, Velamen (iuxta aliorum ſententiam) ponitur pro veſte, vel operimento, quod in Sara vocatur velamen oculorum, quia ſoleant feminæ veſte faciem et oculos operire, cum erubeſcunt. Sicut vero victus aliquando non ſolum pro alimonia et cibis, ſed etiam pro veſtitu et omnibus quæ agunt ad vitam tuendam, appellatur: ita velamen, ſeu veſtis hoc loco non ſolum pro veſtitu, ſed etiam pro cibis et omnibus ad vitam degendam neceſſariis, appella-

ri videtur: vt ſit ſenſus, Hoc quod dedi Abrahæ viro tuo, erit tibi & omnibus qui tecum ſunt, ſiue vniuerſæ familiæ veſtræ, in victum. Reprehenſa, pro reprehenſibili accipi videtur, vt ſit ſenſus: Reprehenſibilis es, quia dixiſti Abraham eſſe fratrem tuum; quo verbo me vt tecum rem haberem, prouocaſti. Quocumq. ergo perrexeris, nequid tale loquaris, ne et aliud peius tibi contingat. Hæc et alia multa partim legi, partim ingenio meo commentus ſum. Sed cum nihil horum intellectui meo ſatisfaceret; in hanc incidi cogitationem, quam proxime accedere ad germanam huius loci intelligentiam, mihi perſuadeo. Ea eſt huiuſmodi. Quia videre aliquando eſt viuere (vt *Pſal.* 39. *b.* Non potui vt viderem, id eſt, non poſſum amplius viuere præ malorum pondere, niſi ſuppetias feras mi Deus) appellatione oculorum vita ſignificatur, vt *Pſal.* 117. *b.* & *Iere.* 7. *c.* quod alibi exponimus. Rurſus, quia aliquando vita ponitur pro victu; oculorum nomine hoc loco victus ſignificatur. Atque huiuſmodi progreſſus in vocum ſignificatione, frequens eſt in Sacris Litteris ex proprietate linguæ Hebraicæ. Hinc de Ionatha filio Saulis, dicitur 1. *Regum* 14. *d.* quod cum eſſet deficiens corde, et viribus, ſumpſit parum mellis, et aperti ſiue illuminati ſunt oculi eius, id eſt, ſumpto cibo confortatus, ſiue roboratus eſt, et quaſi reuixit. Hoc ergo (inquit Rex

 Abi-

Abimelech) quod trado viro tuo; ſcilicet mille argentei, et alia; erunt vobis et omnibus qui ſunt coram vobis id eſt famulis, ſeruis, et ancillis, vniuerſæq. familiæ veſtræ in velamen oculorum, ſiue in velamen victus, ſiue in adminiculum victus (*Hiſpane, para ayuda de coſta*) qui cum peregrinemini, non poteſtis non egere. Velamen pro auxilio et firmamento; id eſt alimento.

Abſque me Deus reſpondebit proſpera Pharaoni.
Geneſ. 41. *b.*

CAPVT VI.

VERBA hæc *Abſque me*, maiorem præ ceteris habent difficultatem. Hebræa habent, vt reddidit noſter interpres. Quidam vero verterunt Præter me. Sed non placet eorum ſententia qui ita interpretantur, Præter me Deus, qui reſpondebit proſpera Pharaoni: quaſi dicat, alius eſt præter me, qui interpretabitur ſomnium, nempe Deus, qui proſpera Pharaoni interpretabitur. Sed de voce *Abſque*, ita ſtatuendum eſt. obſeruamus multis in locis, ſæpenumero linguam Hebræam abuti præpoſitionibus, atque vna præpoſitione vti pro

alia

alia diuerſæ ſignificationis, et interdũ contrariæ. Quod hoc loco arbitror contingere. Nam *Abſque* pro *Coram*, accipi exiſtimo, et repetenda eſt vox Somniorum, quæ præceſsit; ſubaudiendum etiam verbum ſubſtantiuum, quod frequenter fit in Arcanis Litteris. Cum ergo dixiſſet Pharao, Audiui, te ſomnia ſapientiſsime coniicere: Reſpondit Ioſeph, Coram me *Sunt*. Quaſi diceret, Ita eſt vt dicis, o Rex; hoc mihi datum eſt diuino munere, Somnia ego interpretor, Noui ſomnia interpretari. Nam Hebraiſmus eſt, Somnia ſunt coram me; pro eo quod eſt, ſomnia intelligo. Quo genere locutionis quędam dicta ſunt in ſcripturis ſanctis, vt illud *Pſal.* 68. *c.* In conſpectu tuo ſunt omnes qui tribulant me, id eſt, ſcis qui ſint, vel quot ſint aduerſarii mei, ſicut dixerat, Tu ſcis improperium meum. Et *Pſal.* 37. Ante te omne deſiderium meum, id eſt, noſti deſiderium meum, vel animi dolorẽ quo intus crucior. Poteſt etiam eadem phraſis (eodem ſenſu manente) ita explicari. Coram me ſunt ſomnia, hoc eſt in mea ſunt poteſtate, ſiue poſſum illa interpretari, vt dictum eſt *Geneſ.* 13. *b.* Terra coram te eſt, pro In tua eſt poteſtate. Et *Geneſ.* 20. *d.* Terra coram vobis eſt. Sunt alia non pauca teſtimonia Sacræ Scripturæ, quæ ad hoc genus locutionis pertinent. Itaq. quod ait Ioſeph, Abſq. me, vel Corã me, non a ſequentibus pendet, ſed per ſe verba hæc ſenſum reddunt.

Qua phraſi dictum eſt apud. Iſai. *c*. 49. *e*. In manibus meis *es*, deſcripſi te, *ſed* muri tui coram oculis meis ſemper. Poſsit etiam *Abſque* pro *iuxta* accipi, vt ſit ſenſus, Vtinam adducat Deus proſpera Pharaoni iuxta me, id eſt iuxta deſiderium meum, vel vt ego opto. Sed quod dictum eſt prius, placet magis. Sicut vero Reſpondere non raro in Diuinis litteris ex idiomate Hebræo, ponitur pro Loqui, et Loqui aliquando ponitur pro Facere: ita et hoc loco Reſpondere poſitum eſt pro Dare, et Mittere. Futurũ vero Indicatiui poſitum eſt pro tẽpore Optatiui more Hebræorũ; quãquam poſsit vt iacet, recte intelligi. Quaſi dicat Ioſeph, Bono animo eſto, o Rex, mittet tibi Dominus proſpera. *Proſpera*) In Hebræo Pax legitur. Sed quia ea vox ſæpenumero in ſacris litteris ſignificat genus omne felicitatis, et ſonat idem quod Felicitas: docte et prudenter pro pace, noſter Interpres reddit Proſpera. Itaque ait Ioſeph ad Pharaonem: Coram me ſunt ſomnia Rex, vt audiſti et in mea ſunt poteſtate; noui ſomnia, valeo illa interpretari; atque vtinam cuncta felicia mittat tibi Deus, vt ego quidem opto.

Scyphus quem furati eſtis, ipſe eſt in quo bibit dominus meus, & in quo augurari ſolet. Geneſ. 44. a.

ET

ET

An ignoratis quod non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia? *Eodem cap. d.*

CAPVT VII.

NIHIL vmquã mihi legere contigit, quod horum locorum germanam intelligentiam aperiret. Tota vero difficultas ſita eſt in Augurandi verbo. Numquid auguriis Ioſeph, vt barbaræ gentes, vtebatur? Diſcimus quidem ex hoc libro Geneſis, illum noſſe arcana, et ſomniorum interpretem fuiſſe; ſed non per auguria, ſed diuina virtute, et Deo vero reuelante. Quid ergo eſt quod ille dicitur augurari? et quod illi tribuitur augurandi ſcientia? Quare non placet, quod pro eo quod eſt in Hebræo, *In quo augurando auguratur*, quidam noui interpretes vertunt, *In quo auguriis ſcrutatur.* Mea autem ſententia hæc eſt. Quia veteres per auguria, deorum ſuorum voluntatem ſe indagare credebant; *Augurari* ponitur pro *Inquirere*. Rurſus extenſa vocis ſignificatione *Inquirere* ponitur pro *Inuenire*, vel *Cognoſcere*. Nec raro fit huiuſmodi extenſio vocum in ſignificando, in lingua Hebræa. Itaque *Augurari*, in his locis, ponitur pro *Cognoſcere*. In Hebræo eſt, *Augurando auguratur*, ſiue *cognoſcendo cognoſcit*; id eſt, *certiſſime cognoſcere*

poteſt.pro quo vulgatus interpres reddidit, *Augurari ſolet*. ſolet, pro *Augurari poteſt*, id eſt, quem indagare poteſt variis modis, cum ſit Princeps magnus. Atque is exponendi modus non alienus eſt a ſacris litteris. Eſt autem conſtructio Hebraica, In quo auguratur, pro de quo auguratur, vel de quo cognoſcere poteſt. Noſſe poteſt de furto poculi, non quidem per miniſtros (vt vocant) iuſtitiæ, ſed diuinando, prophetando, vt qui arcana agnoſcat. Atque hoc modo fures deprehendendos dicere diſpenſatorem Ioſeph, conſtat ex verbis his, An ignoratis quod non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia? Scyphus (inquit) quem furati eſtis, ipſe eſt in quo bibit dominus meus, et de eo certiſsime cognoſcere poteſt, quis eum furatus ſit. Eſt enim inſignis occultorum cognitor. Furtum ergo veſtrum minime latere poterit. *In augurandi ſcientia?)* Non placent mihi pauca quæ adducunt Eugubinus et Vatablus viri doctiſsimi, ſuper hunc locum; magisq. perſpicue vertit noſter interpres, quam alii vertentes, Nonne noſtis quod tentando tentat vir qui eſt ſicut ego? Sed Augurandi verbum eodem modo accipiendum eſt, quo dictum eſt. An ignoratis (inquit Ioſeph) quod non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia? id eſt, in prophetando, ſiue in cognitione rerum abditiſsimarum per ſpiritum prophetiæ. Id quidem notiſsimum eſt in vniuerſa Aegypto. Nam

ob id

ob id gratiam inueni apud Regem. Quid ergo eſt quod mihi furtum facere voluiſtis? An neſcitis, quod occulta cognoſcam, et magnus ſim coniectator, vnde et poſſum cognoſcere furtum veſtrum occultum? Nonne peruenit ad aures veſtras, me inſignem eſſe occultorum interpretem, ob quod me euexerit Pharao ad principatum Aegypti? Poſsum ergo cognoſcere furtum veſtrum. Itaque cognoſcebat Ioſeph occulta (vnde *Geneſ.* 41. *f.* abſconditorum expoſitor appellatus eſt) non per auguria, ſed ſpiritu Dei reuelante. Ignoratis (inquit) quod non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia? hoc eſt, in notitia arcanorum; et quod ſim excellens et inſignis in diuinando, ſiue in cognoſcendo occulta? Nam in vniuerſa Aegypto, et apud gentes finitimas notum erat quam ſtrenue et vere Ioſeph expoſuiſset ſomnia Pharaonis, et miniſtrorū eius in carcere. Inquit ergo Ioſeph: Cum poſsim occulta cognoſcere, et ſcire q[illegible]vos furati eſtis ſcyphum meum; quonam pacto auſi eſtis id facere, quaſi me latere poſset? Eundem ſenſum reddunt Hebræa, An neſcitis, quia augurando auguratur vir ſicut ego, id eſt, is qui ſit inſignis in interpretatione arcanorum, qualis ego ſum? Hunc ſenſum inſinuant qui vertunt, An non ſcitis quod certiſsime augurari (id eſt, cognoſcere ſcilicet furtum veſtrum occultum) poteſt vir talis qualis ego ſum? Species ergo pro genere accipitur,

pitur, quod ſæpe fit in ſcripturis ſanctis. Nam, *Augurari* ponitur pro *Inquirere*, vel *cognoſcere occulta*.

Filii quoq. Machir filii Manaſſe nati ſunt in genibus Ioſeph. Geneſ. 50. d.

CAPVT VIII.

NON parum habet difficultatis illud, *Nati ſunt in genibus Ioſeph*. Vatablus vir alioqui doctiſsimus, et plurimum verſatus in lectione ſanctarum ſcripturarum, ſic intelligendum putat. Educati ſunt ad genua, vel in gremio Ioſeph, id eſt educati apud Ioſeph, amanter ſuſcepti, et plauſibiliter in ſinum repoſiti, tractatiq. cum gaudio. Nec aliorum ſententias expedit commemorare, meam paucis explicabo. Hanc quidem phraſim, *In genibus Ioſeph*, nullo alio in loco inuenire potui, ſed plures illius ſimiles reperiuntur. Dicunt enim Hebræi In manibus, In oculis, In auribus, pro Coram. Similiter Ante pedes eius, et Sub pedibus eius, pro Coram eo. Harum omnium phraſium exempla adducamus. In manibus ergo dicunt Hebræi, pro Coram, vt *Habac. 3. a.* Cornua in manibus eius, id eſt, veniebant coram eo ſplen-

ſplendores, hoc eſt fulgura et fulmina ad vaſtationem gentiũ et c. Et *Pſal.* 7.*a.* Si eſt iniquitas in manibus meis, id eſt, ſi eſt iniquitas coram me: quaſi dicat, ſi cogito ma lum. Ad hanc phraſim ſpectat illud *Pſal.* 118. Anima mea in manibus meis ſemper: id eſt, aſsidue verſor in lethalibus periculis, ſemper mihi mors obuerſatur, et tamen legem tuam non ſum oblitus. Nam per Antiphraſim Anima ponitur pro morte, vel mortis diſcrimine, vt *Thren.* 5. *b.* In animabus noſtris, id eſt, cum diſcrimine animarum noſtrarum, ſiue vitæ noſtræ. In oculis, pro Coram oculis, vt 1. *Machab.* 2. *c.* In omnium oculis, id eſt, Videntibus omnibus. Et 1. *Reg.* 18. *b.* Acceptus erat Dauid in oculis vniuerſi populi, id eſt, Coram vniuerſo populo, acceptus erat in vniuerſo populo. Hinc phraſis illa, Si inueni gratiam in oculis tuis, id eſt, Coram te. Vt *Geneſ.* 33. *b.* & 1. *Reg.* 27. *b.* In auribus omnium, pro Coram omnibus. Et *Exod.* 10. *a.* Vt narres in auribus filii et nepotis tui, id eſt, Coram filio, et nepote; vel Vt narres ea poſteris tuis. Et *Iſaiæ* 5. *b.* In auribus meis ſunt hæc *verba*, Domini, id eſt, Coram me, *pro mihi*, dixit Dominus hæc. Et *Ieremi.* 2. *a.* Clama in auribus Ieruſalem, id eſt, Corã Ieruſalem: quaſi dicat, Dic clamore magno ipſi Ieruſalem. Et *Luc.* 4. *d.* Hodie impleta eſt hæc ſcriptura in auribus veſtris, id eſt, Coram vobis. Eadem ſignificatione dicunt Hebræi, Ante pedes eius, & Sub

pedi-

pedibus. vt *Habac.* 3. *a.* Egredietur diabolus ante pedes eius, id eſt, veniebat peſtis coram eo, vel ante eum. Et *Pſal.* 17. *a.* Caligo ſub pedibus eius. Rurſus, huiuſmodi phraſes, ex idiomate ſermonis Hebræi, aliquando ſic explicandæ ſunt: In oculis tuis, vel Coram te, vel Ante te, id eſt, te viuente, vt *Geneſ.* 11. *d.* Mortuus eſt Aran ante Thare patrem ſuum, id eſt, adhuc viuente patre ſuo Thare. Et *Num.* 3. *a.* Functiq. ſunt ſacerdotio Eleazar, et Ithamar corã Aaron patre ſuo; id eſt, adhuc viuente Aaron. Et 1. *Paralipom.* 24. *a.* Mortui ſunt Nadab, et Abiu ante patrem ſuum. Et *Lucæ* 4. *d.* Impleta eſt hæc Scriptura in auribus veſtris, ſiue coram vobis, hoc eſt, his veſtris diebus. Sic in oculis noſtris, id eſt, in vita noſtra. vt *Iere.* 7. *c.* Numquid ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, et c. in oculis veſtris? Hoc eſt, Numquid in vita veſtra, facta eſt ſpelunca latronum domus hæc, in qua colitur nomen meum? Et *Iere.* 16. *b.* Auferam in oculis veſtris, et in diebus veſtris vocem gaudii. In oculis veſtris, dictum eſt, pro Coram vobis. Rurſumq. alio genere Hebraiſmi, Coram vobis, idem eſt quod diebus veſtris. Quod ipſe Ieremias exponit, adiiciens: Et (id eſt) in diebus veſtris. Nam Et, expoſitiue accipitur pro Id eſt. Et *Iſa.* 65. *d.* Nepotes eorum cùm eis, pro Coram eis, id eſt, viuentibus adhuc electis meis, filii eorum generabunt, electi mei videbunt longam poſteritatem.

Ad

Ad hanc phraſim pertinet illud. *Pſal.* 71. *a.* Permanebit cum Sole, vel coram ſole: et ante Lunam, id eſt, dum ſteterint Sol et Luna. Sic dictum eſt *Pſal.* 78. *b.* Innoteſcat in nationibus coram oculis noſtris vltio ſanguinis ſeruorum tuorum, qui effuſus eſt. In oculis noſtris (inquit) ſiue coram nobis, hoc eſt, nobis viuentibus, quod vulgo dicitur, In vita noſtra, quaſi dicat, Ne differas ſumere ſupplicium de hoſtibus noſtris, ſed dum vita nobis ſupereſt, exerce vindictam, videamus illam. Sic illud *Pſal.* 117. *c.* A Domino factum eſt iſtud, et eſt mirabile in oculis noſtris. quaſi dicat, opus mirabile eſt hoc, quod a Domino factum eſt in oculis noſtris, id eſt, diebus noſtris. Sic intelligendum eſt illud *Iſa.* 1. *c.* Regionem veſtram coram vobis alieni deuorant. Hoſtes (inquit) regionē veſtram depopulantur corā vobis, vel vobis viuentibus, hoc eſt, his veſtris diebus. Quo genere locutionis dictum videtur illud *Lucæ* 7. *c.* Propheta magnus ſurrexit in nobis, vel coram nobis. Ille Propheta magnus, qui dicitur Meſſias, his diebus noſtris venit. Quaſi dicerent, O felicia hæc tempora, in quibus magnus ille Propheta promiſſus a Deo, venit. In nobis ergo, vel coram nobis, id eſt, noſtris diebus. Eſt itaque aliud genus Hebraiſmi in his phraſibus. In oculis meis, In auribus meis et c. Nam dicunt Hebræi, Coram illo obiit filius eius, pro eo quod eſt, Illo ſuperſtite, adhuc

illo

illo viuente, obiit filius eius. Ad hoc genus Hebraiſmi referenda ſunt hæc verba, In genibus Ioſeph, quod eſt coram Ioſeph, id eſt, viuente adhuc Ioſeph, vel eo adhuc ſuperſtite. Erit ergo ſenſus huius loci. Adhuc viuente Ioſeph, nati ſunt filii ipſi Machir filio Manaſſe, ita vt viderit Ioſeph pronepotes ex Manaſſe, quemadmodum vidit poſteros Ephraim vſq. ad tertiam generationem. Hunc ſenſum manifeſte expoſcit ipſa orationis ſeries.

Inuenisti gratiam coram me, & te ipſum noui ex nomine. Qui ait, Oſtende mihi gloriam ſuam. Reſpondit, Ego oſtendam omne bonum tibi, & vocabo in nomine Domini coram te, & miſerebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit. Exod. 33. d.

CAPVT IX.

MAGNA huius loci difficultas eſt in cognitione locutionum Hebraicarum. Ac primum ſeſe offert idiotiſmus Hebræus familiaris Scriptoribus Sacris, ac omnibus notus, et propterea in illo non eſt immorandum. Is eſt, Inuenire gratiam coram aliquo, pro Illi

ſſe gratum, illi placere. Sed quid eſt, Noui te ex nomine? Phraſis Hebræa eſt, quæ non parum habet difficultatis. Nomen in hac phraſi pro Munere, et functione, et dignitate (quia ſecum affert cognomentum) arbitror appellari, quod non eſt alienum ab vſu Sanctarum Scripturarum. Noui ergo te ex nomine, hoc ſonat, Elegi te ad munus *hoc honorificum*, ſcilicet vt ſis Dux et Princeps populi mei Iſrael. *Et* vero ponitur pro *Ideo*, ex Hebraiſmo. Simili phraſi dictum eſt *Iſai. 45. a.* Vocaui te nomine tuo, pro, Elegi te o Cyre ad potentiam et regnum, ego effeci te potentem, et conſtitui in regno et potentia, quam nunc habes. Vel ego decreui eligere te ad potentiam quam habiturus es. Quia Nomen interdum ponitur pro potentia, regno et opibus. Vel nobilitabo te dignitate: et (id eſt quia) inueniſti gratiam et c. Sicut vero Caro frequenter in ſacris ponitur pro perſona, et aliquando pro Gente et Natione: ita dicendum arbitror de voce Nominis, quæ hoc loco forſan ponitur pro Populo. Noui te (inquit) ex Nomine, Id eſt, Elegi te ſuper populum, ſcilicet meum; et paulo poſt, Inueniſti enim gratiam coram me, et te ipſum noui ex nomine. Vel certe nomen ponitur pro perſona, ex idiomate Hebræo. Vt *Actuum 1. c.* Erat autem turba nominum et c. Erit ergo Vocare nomen tuum, idem quod Eligere te. *Oſtende mihi gloriam tuam.*) Quia gloria aliquando po-

nitur

nitur in Sacris Litteris pro Miſericordia: poſſunt hæc verba ita exponi. Impende mihi tuam miſericordiam, vtere mecum tua miſericordia hac in re, vt me eximas graui onere Principatus, vel ſaltem gradiaris nobiſcum Dux et protector. Sed germanus ſenſus huius loci (mea ſententia) hic eſt. Gloria ponitur pro Maieſtate, quod non in paucis Scripturæ Sacræ locis reperitur. Cum ergo ait Moſes, oſtende mihi gloriam tuam: idem eſt ac ſi poſtulet, oſtende mihi te ipſum, præbe te mihi videndum: atq; ita ab omnibus hæc verba intelliguntur. Quod ex Domini reſponſo ad quæſita, fit apertum. Ait enim, Non poteris videre faciem meam: quaſi diceret. Quod petis vt tibi oſtendam faciem meam, et maieſtatē meam: fieri non poteſt. Nam mortalis homo tantam maieſtatem ſuſtinere non poteſt, non tantum lumen, ac tanti Numinis conſpectum valeat ſuſtinere. Deum enim nemo vnquam vidit, *Ioan. 1. c.* et non videbit (id eſt, non poteſt videre) me homo, et viuet, hoc eſt quamdiu vixerit. Vel eſt Hendiadys Hebræa, Homo et viuet, pro Homo viuens. Ego quidem oſtendam tibi omne bonum, ſed faciem meam non videbis, quamdiu es mortalis in corpore morti obnoxio. Oſtendam (inquit) tibi omne bonum, ſiue magnam miſericordiam, impendam tibi magnam benignitatem, multiplicem miſericordiam præſtabo, cumulabo te bonis, augebo te beneficiis, im-

pen-

pendam tibi omnia, ſiue multa bona. Hoc tantum, in pręſentia, tibi nō concedam; in hoc ſolum repulſam ſuſtinebis, quod petis vt oſtendam tibi faciē meam. Quod vero addit Dominus, Et vocabo in nomine Domini coram te, difficilem habet intelligentiam. Vocare eſt adducere, vel conferre, quod in aliis locis reperitur. Nomen vero hoc loco maiorem habet difficultatem, fortaſsis ponitur pro munere et functione, vt dictum eſt Noui te ex nomine. Nomen Domini Hebraiſmus eſt (quales illi, Montes Dei, Cedri Dei) pro munere honorifico. Et quia ſermo Hebræus non raro vtitur præpoſitione In, vel De, in phraſibus quas effert ſermo Latinus ſine præpoſitione: Vocare in nomine Domini, dictum eſt, pro Vocare nomen Domini: vt ſit ſenſus, Multis beneficiis, et quidem magnis te augebo præter munus honorificum quod tibi contuli, vt ſis Dux et Princeps populi mei. Nam Futurum pro Præterito poſitum eſt more Hebræo. Coram te, etiam idioma Hebræum eſt, pro Tibi. Vel adducam tibi in nomine Domini, hoc eſt propter me, ſcilicet multa bona, vel In nomine Domini, ſiue propter nomen Domini, id eſt, propter munus honorificū, quo præes huic populo. Oſtendam ergo omne bonum, id eſt, multa bona et beneficia tibi, et Vocabo, vel adducam tibi nomen Domini, hoc eſt ampliſsima beneficia. Nam Nomen in ſingulari po-

nitur pro plurali, atq. coniunctio Et, recte expoſitiue accipi poteſt, pro Id eſt. *Et miſerebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit*) In Hebræo eſt, miſerebor cuius miſerebor (id eſt, miſerebor cuius miſereri voluero) et Clemens ero in quem clemens ero (id eſt, clemens ero in quem mihi placuerit:) hanc enim vim habet aliquando tempus futurum apud Scriptores Sacros, ex idiomate linguæ ſuæ. *Et*, vero hoc loco ponitur pro *Nam*. Nam *miſerebor*, inquit, id eſt (poſſum miſereri) cuius voluero miſereri. *Et clemens ero* (id eſt, clemens eſſe poſſum) in quem voluero eſſe clemens. Habet etiam futurum tempus hanc alteram vim aliquando in Sacris. Interdum enim futurum tempus ſignificat potentiam, interdum vero voluntatem. Docte ergo reddidit noſter interpres hos Hebraiſmos.

Uxor in domo viri cum ſe voto conſtrinxerit, et iuramento: ſi audierit vir, et tacuerit, nec contradixerit ſponſioni, reddet quodcumq. promiſerat.

ET

Si vouerit, & iuramento ſe conſtrinxerit &c. Sin autem contradixerit poſtquam reſciuit, portabit ipſe iniquitatem eius. Num. 30. c.

CAP.

CAPVT X.

VVLGATVS interpres perſpicue reddidit locū, qui in Hebræo obſcurus eſt, quemq. alii interpretes obſcure vertunt. Sic vero habet Hebraice, et ita exponendus eſt. Omne votum, atque omne iuramentum, quod obligat vt affligatur anima (id eſt, vt quiſquam de familia caſtigationem aliquam, aut abſtinentiam ſuſcipiat) vir eius ſtabiliet illud, et vir eius irritabit illud, hoc eſt, poteſt pater familias vel confirmare, vel irritum facere. Habent enim hanc vim duo futura hoc loco, ex idiomate Hebræo. *Et*, id eſt *Nam*, ſi tacendo tacuerit vir eius de die in diem (id eſt, ſi omnino tacendo diſsimulauerit diebus aliquot pater familias) ſtabiliet omnia vota eius, vel omnia ligamina eius, quæ ſunt ſuper ſe, quia tacuit ei in die qua audiuit; id eſt, rata habet omnia vota familiæ, & omnes obligationes quas habet ſuper ſe, cum ſcilicet tacuerit eodem die, quo audiuit illud. Eodem ſenſu cum dicitur, Stabiliet omnia vota eius; de vxore intelligi poteſt, cui rata fiunt vota ſua, non contradicente viro, qui id reſciuit. Et ſi irritando irritauerit ea poſtquam audiuit, luet pœnas iniquitatis ſuæ. Ita vertit Pagninus. Tranſlatio Tigurina eodem fere ſenſu vertit, Sin poſtea quam audiuerit, omnino irrita iſta faciet, feret ipſe culpam familiæ. *Et Dominus ei propitius*

erit) quaſi dicat, Deus dimittet ei votum, quia non eſt obligata ad illud. Vel,quamuis non reddat votum,nihilominus dabit ei quod illa per votum a Deo intendebat obtinere. Hæc tam multa verba et ſubobſcura, vulgatus interpres optime in ſummam, et in hanc ſentētiam redegit. Denique, ait, Vxor (ſub vxoris nomine intellige etiam filium, vel filiam adhuc ſub tutela paterna exiſtentem) ſi vouerit quidquam, & id cognouerit vir eius, nec contradixerit: illa reddet, id eſt, tenebitur reddere. Habet enim etiam hanc vim aliquando futurum tempus in ſacra pagina. Vel (quod idem eſt) *Reddet* pro *Reddat* poſitum eſt. Frequenter enim futura Indicatiui ponuntur pro temporibus Imperatiui, vt *Exod.* 20. *c.* Non occides, non mœchaberis et c. et alia eiuſmodi multa habentur eodem capite. Alter locus difficilis eſt, in cuius interpretatione inueſtiganda non parum laboraui. Non placet quod Pagninus hoc loco vertit Iniquitatem, pro pœna iniquitatis, cum ait Moſes, Portabit ipſe iniquitatem eius. Sic enim transfert, Luet pœnas iniquitatis ſuæ. Nam licet aliquando in arcanis litteris Iniquitas et Peccatum, pro pœna iniquitatis accipiantur, huic tamen loco non congruit ea ſignificatio. Neq. etiam tralatio Tigurina apte locum vertiſſe videtur. Sic enim habet, Feret ipſe culpam familiæ. Quin potius Iniquitas et Peccatum pro ſacrificio et oblatione po-

ne ponuntur, quod non eſt alienum ab vſu Sanctarum Scripturarum, vt *ad Rom.* 8. *a.* De Peccato damnauit Peccatum. Et *Oſee* 4. *b.* Peccata populi mei comedent, (hoc eſt potiuntur oblationibus, quas populus offert,) et ad Iniquitatem eorum ſubleuabunt animas eorum, ſiue animas ſuas; Id eſt, inhiant oblationibus populi, easq. auidiſsime expectant. Portare vero (ſicut non raro ponitur Afferre) pro offerre accipiendum eſt. Idiomaq. Hebraicæ linguæ eſt (vt modo diximus) *Portabit*, pro *Tenetur portare*, *vel offerre*. Itaque portare iniquitatem hoc loco (aliis enim locis Scripturæ Sanctæ, aliud ſonat Portare iniquitatem vel peccatum, quia Iniquitas et Peccatum aliud ſignificant) eſt oblatum promiſſum offerre, reddere oblationem quæ promiſſa eſt. Eſt verò animaduerſione dignum, et ad huius loci germanam intelligentiam plurimum faciens, noſſe aliquando Scriptores Sacros ex conſuetudine linguæ ſuæ, vti Inuerſione verborum, et nonnumquam Inuerſione partium ſententiæ, quod alibi copioſe tractamus. Hoc oportet attendat diligens Lector Sanctarum Scripturarum, niſi velit in magnas difficultates, et nodos inextricabiles ſe ipſum coniicere. Exemplum oppoſitum ſatis huius rei, eſt locus hic quem enarrandum ſuſcepimus. Quod ſi audiens vir tacuerit, et in alterum diem diſtulerit ſententiam: quidquid vouerat, atq. promiſerat, reddet; id eſt,

 tene-

tenebitur reddere; quia ſtatim vt audiuit, tacuit; ſin autem contradixerit poſtquam reſciuit; portabit ipſe iniquitatem eius. Vbi hæc verba, Portabit ipſe iniquitatem eius, ita connectenda ſunt. Quod ſi audiens vir, tacuerit, et in alteram diem diſtulerit ſententiam; quidquid vouerat, atque promiſerat, ſcilicet vxor, reddet, ſcilicet ipſa, aut potius vir vxoris vouentis. Statim addantur quaſi per repetitionem verba illa, Portabit ipſe iniquitatem eius, ſcilicet vxoris, hoc eſt, tenetur vir offerre (habet hanc vim aliquando Futurũ ex idiomate Hebræo) quod vxor offerre vouit, ſiquidem non contradixit voto illius. Ideo additur, Quia ſtatim vt audiuit, tacuit. Sequitur, *Si autem contradixerit, poſtquam reſciuit &c.*) Repetitio eſt eiuſdem ſententię per oppoſitum. Eſt autem oratio defectiua, deficit enim altera pars ſententiæ, quæ facile colligitur ex filo orationis. Sic ergo ſenſum perficies. Si autem contradixerit, poſtquam reſciuit, *non reddet, vel non tenebitur vir reddere quod vxor vouit.*

Conſiderabo nouiſſima eorum. Deut. 32. c.

CAPVT XI.

VERBA Dei ſunt de filiis Iſrael, qui ad culturam Idolorum declinauerant. Pro *Conſiderabo*, recte verterunt Septuaginta *Oſtendam*, vel reclamante Eugu-

te Eugubino, qui ait in eo erraſſe Septuaginta, quod verbum Hebræū putarint eſſe tertiæ inflexionis, quod eſt primæ. Nam in prima inflexione, conſiderare et videre ſignificat, in tertia vero ſignificat oſtendere. Ipſe Eugubinus miratur Septuaginta ita vertiſſe: ego non miror eos ita vertiſſe; quin recte transferre ad ſenſum conſtanter aſſeuero, intelligentes nimirum verbum Hebræum in prima inflexione poſitum eſſe in Hebræo, pro eodem in tertia. Miror vero Eugubinum multum in lingua Hebræa verſatum, non conſideraſſe multiplices huius linguæ abuſus, vt nihil mirum ſit verbum in vna inflexione, accipi pro eodem in alia inflexione, vt mutata inflexione ſignificatio argumento conueniens reddatur. Nam apud Hebræos, diuerſitas inflexionis, diuerſas affert ſignificationes. Itaq. tam vulgatus Latinus interpres, quam Septuaginta, recte locum reddiderunt. Quia ille quod eſt in Hebræo reddidit; hi vero verterunt iuxta ſenſum et expoſitionem litteræ Hebraicæ. Et quidem non raro lingua Hebræa, vna verbi inflexione vtitur pro alia. Nouiſsimum aliquando pro vltione dicunt Hebræi, vt hoc eodem capite paulo poſt hæc verba, inquit Moſes, Vtinam ſaperent et intelligerent, ac nouiſsima prouiderent, id eſt, vtinam imminentem vltionem præcauerent. Et *Iſa. 47. a.* Atque ita ea vox accipitur hoc loco. Eſt vero oſtendere vindictam,

irrogare mala, adducere vltionem, inferre vindictam. Idioma etiam Hebræũ eſt. Genitiuus *eorum* poſitus eſt pro datiuo, quod ſæpe fit apud Hebræos, vt *Pſal.* 144 *b.* Tu das eſcam illorum, pro illis. Sic olim legebatur in veteri translatione illud *Sapi.* 10. *d.* Reddidit Deus mercedem laborum ſanctis ſuis, quod modo dicimus Sanctorum ſuorum. Et vulgatus interpres habet, Reddidit iuſtis. Eſt ergo ſenſus huius loci, quem non exacte expendit Hieronymus ab Oleaſtro; Afferam eis vltionẽ duriſsimam, grauiter animaduertam in eos. Niſi malis, Nouiſsima eorum, vltionem quam merentur, appellari. Cuiuſmodi locutio in vſu eſt aliquando Scriptoribus Sacris. vt *Pſal.* 75. Dormierunt ſomnum ſuum, dictum eſt, pro Dederunt pœnas debitas, paſsi ſunt vltionem quam merebãtur. Et idem vates Regius Dauid *Pſal.* 27. retributionem eorum, dixit pro vltione commerita, et illorum ſceleribus debita. Et *Iſa.* 3. *b.* Agnitio vultus eorum reſpondit, pro, *reſpondebit* eis. Veniet (inquit) eis plaga eorum, id eſt plaga, calamitas, et vindicta quam merentur. Sed et lingua Hiſpana hac locutione vtitur, *Tiene ſu pago, lleuo ſu pago.*

Non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos, & claudos.
2. *Reg.* 5. *b.*

ET

ET paulo poſt eodem capite.

Idcirco dicitur in prouerbio, Cæcus et claudus non intrabunt in templum.

CAPVT XII.

CAECOS, et Claudos vulgo vocare ſolemus, eos qui ad munus aliquod inepti ſunt et impares. Ideo exercitum filiorum Iſrael crediderim vocaſſe Iebuſæos, cæcos et claudos, id eſt, ineptos ad bellũ, ſi cum Dauid conferrentur. Iebuſæi ergo ſcientes ſe ab exercitu Dauid, ad contumeliam et contemptum, vocari cæcos et claudos, ſe ipſos eo nomine vocabant, quaſi dicerent ad Dauid: Vos vocatis nos Cæcos, et Claudos, quaſi ineptos ad bellum, et impares ad reſiſtendum tibi; ſed certe non ingredieris huc, id eſt, in arcem Sion, niſi abſtuleris Cæcos et Claudos, hoc eſt, niſi e medio abſtuleris nos, quos vocatis Cæcos et Claudos, quaſi ineptos ad bellum, inertes et imbecilles ad pugnam. Non prius intrabis in arcem, quam nos occidas; moriemur pro defenſione arcis, *ni nos rendiremos, ni daremos a merced, ni a partido*; ſed viriliter pugnando occumbemus. Nec minus habet difficultatis quod paulo poſt ſequitur eodem capite; *Idcirco dicitur in prouerbio, Cæcus & Claudus non intrabunt in templum.* Verbum, inquit, erat vulgare

inter filios Iſrael, Cæci et Claudi (ſic vocabant Iebuſæos, vt dictum eſt) non intrabunt in templum. Tanta enim erat fiducia filiorum Iſrael in fortitudine Dauid, et bellatorum eius, vt certo ſibi promitterent, arcem Sion ab eo expugnandam. Nam vox Templi in arcanis litteris, aliquando idem ſonat quod palatium (vt Hiſpane etiam loquimur) id eſt, domus Regia, vel palatia magnifica. Sic vſurpatur ea vox *Pſalmo*. 44. *b*. Vbi Regius Vates Dauid de Eccleſia Chriſti ſub typo terrenæ ſponſæ, et pediſequarum eius, quę adducitur in Regiam nuptura Regi, ſermonem texens, ait; Adducentur in templum Regis, quod eſt, in domum et palatium Regis. Sic accipi crediderim vocem Templi, *Nahum cap*. 2. Templum ad ſolum dirutum: quamquam multi dicant de templo dicato Idolo Niniuitarum, dicta eſſe hæc verba. Sed templa Idolorum in agris conſtruebantur. Sic hoc loco templum vocatur Arx Sion, quæ fuerat domus Regia Iebuſæorum, vel quæ fuit Dauidis, et Regum poſterorum populi Iſraelitici. Non intrabunt cæci et claudi in templum, hoc eſt, non diu potientur Iebuſæi arce Sion; cito eiicientur ex ea, expugnabit atq. capiet eam Dauid. Nonnumquam enim Hebræis, Intrare in rem quampiam, ſignificat ea potiri. vt *Pſal*. 68. *c*. Non intrent in iuſtitiam tuam, id eſt, non potiantur æquitate, vel clementia tua (interdum enim id ſignifi-

cat

cat Iuſtitia.) Et *Matth.* 25. *b.* Intra in gaudium Domini tui, hoc eſt, potieris felicitate, ſiue bonis et opibus Domini tui. Itaque cum vulgari verbo iactarent filii Iſrael, Cæci et Claudi non intrabunt in templum; hoc ſignificabant, Iebuſæi non diu potientur arce Sion, ad minimum conſiſtent in ea.

Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima ſua. Iob. 2. b.

ET

De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Ioan. 1. b.

CAPVT XIII.

QVIA ad idem genus locutionis hæc duo loca ſpectant, placuit eodem capite coniungere, et explanare. Primum ergo ſeſe offert locus Iob, in quo Pellis per duplicem Synecdochem, pro facultatibus, et re familiari appellatur. Nam primo Pellis pro pecore ponitur. Rurſum vero, quia vniuerſa pęne ſubſtantia veterum illorum gregibus et armentis conſtabat, et cunctæ opes antiquorum Patrum, ac hominum illius temporis ſubſtan-

ſubſtantia, præcipue pecoribus et iumentis æſtimabatur (vt videre eſt in ſancto Iob, qui cum eſſet vir magnus, et ditiſsimus inter omnes Orientales, cuncta illius ſubſtantia ad oues, camelos, boues, et aſinas, redigitur, *Iob.* 1. *a.*) hinc factum eſt, vt Pellis pro vniuerſa re familiari appelletur. Sed maior eſt difficultas in huiuſmodi phraſi, Pellis pro Pelle. Poſsit aliquis non inepte ita exponere: Pro, aliquando ponitur pro Cum; vt 2. *Regum* 18. *g.* Quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te? id eſt, ſimul tecum. Sic Pellis pro pelle, pro, Pellis cum pelle, id eſt, Pellis et Pellis, ſiue omnia pecora. Sed magis placet vt locus hac ratione explanetur. Ego quidem eam phraſim ita reſoluendam exiſtimo, vt Pellis pro pelle idem ſit quod Pellis Pellis. Dixi hanc eſſe phraſim Hebræam, quia inuenio ſimile genus locutionis apud ſcriptores ſacros, coniicioq. præpoſitionem Pro, aliquando ex Hebraiſmo iungi ablatiuo pro caſu ſimili præcedenti, vt *Exod.* 4. *d.* vbi docte et prudenter vulgatus interpres (magis ſenſum quam verba ſecutus) reddit Erit os tuum, tu autem eris ei in iis, quæ ad Deum pertinent; in Hebræo ad verbum legitur, Ipſe erit tibi pro ore, et tu eris ei pro Deo. Vbi Erit tibi pro ore, dictum eſt phraſi Hebræa, pro eo quod eſt, Erit tibi os tuum; vt recte habet editio vulgata; hoc eſt, Erit interpres tuus. Sic etiam Eris ei pro Deo, pro eo quod eſt, Eris ei Deus,

id eſt,

id eſt, Princeps legationis eris. Nam eadem vox Hebræa et Deum ſignificat et Legatum. Et quia legati ſolent eſſe viri Principes, factum eſt, vt vox Hebræa Principem ſignificet. Præterea *Geneſ.* 30. *a.* Num pro Deo ego ſum? dictum eſt pro Nunquid Deus ego ſum? Denique Hebræus ſermo, vtitur auferendi caſu cum præpoſitione Pro, pro caſu ſimili præcedenti. Ad hanc phraſim, hæc duo loca quæ exponimus, alterum ex libro Iob, alterum ex Euangelio. D. Ioannis, pertinere exiſtimo. Itaq. Pellis Pro Pelle, idem eſt quod Pellis pellis, id eſt, vniuerſa pellis. Nam geminatio eiuſdem vocis apud Hebræos, aliquando multitudinem, aliquando vero vniuerſitatem ſignificat, et nonnumquam id quod in genere ſuo magnum eſt. Pellis pellis ergo idem erit; quod omnia pecora, et omnia armenta, et iumenta omnia; id eſt, cuncta ſubſtantia. Atque ita, *Et* hoc loco expoſitiue accipienda videtur pro *Id eſt*. Quod non raro contingit in Scripturis Sanctis. Dabit homo, inquit, pro anima ſua, ſiue pro vita et ſalute ſua, vniuerſam pellem, id eſt, cuncta quæ habet, ſiue omnem ſubſtantiam ſuam. Nam cuncta quæ habet, dictum eſt pro vniuerſa ſubſtantia. Facile, inquit Satan, et non admodum ęgre dabit omnia quæ poſsidet pro vita ſua, non admodum ęgre feret iacturam omnium quæ poſsidet, ſi vita ſit ſuperſtes. Quod in iis, qui orta maris tempeſtate naufra-

gium

gium reformidant, videre licet, qui omnia quæ habent, in mare proiiciunt, quamuis cariſsima habeant, vt naui exonerata pondere, poſsint vitam ſeruare. Quam enim cõmutationem dabit homo pro anima ſua? *Matth.* 16. *d.* Arbitror vero hęc verba prouerbialiter dicta. Quędam enim ſunt in Scripturis Sanctis, quæ prouerbiali oratione dicta eſſe, obſeruarunt viri eruditiſsimi. Erat itaq. in vſu huiuſmodi adagium apud veteres, Pellem pro pelle quiſque dabit. Erat autem vſitata admodum rerum commutatio, cuius conſuetudinis adhuc ſuperſunt veſtigia in vicis inter ruſticos. Et quia vniuerſæ pæne facultates in pecoribus ſitæ erant, pecora pro aliis rebus commutabantur. Ponitur vero Pellis, vt dictum eſt, pro pecore, per Synecdochem. Cum vero ſecundo ponitur vox Pellis: ea accipitur pro qualibet re, quæ pro pecore commutabatur; vt ſit Paranomaſia, et alluſio vocum, quaſi Hiſpane dicas, *Tal trueco qualquiera le hara, tal coſa por tal coſa qualquiera la dara.* Aut certe Pellis ſecundo ponitur pro vita, ſicut Hiſpane vſurpatur. Dicimus enim, *Quedar con el pellejo, por quedar con la vida.* Hoc prouerbium exponunt ea quæ ſequuntur, *Et* pro *id eſt, cuncta quæ habet homo, dabit pro anima ſua.* Itaque Pellem pro pelle quiſque dabit, hoc eſt, æquo animo feret facultatum ſuarum amiſsionem, *Si queda con el pellejo*; æquanimiter quiſque dabit cuncta quæ habet,

bet, pro anima, id eſt, vita ſua. Sic apud Ioannem, Et, gratia pro gratia, Idem eſt quod gratia gratia, hoc eſt magna gratia, ſiue varia chariſmata ſpiritus, et diuerſa dona ſpiritualia. Coniunctio vero *Et*, vacare videtur more Hebræo. Itaq; eadem ratione locus B. Ioannis Apoſt. eſt enarrandus: ita vt dictum ſit, Accepimus *gratiam pro gratia*, pro eo quod eſt, accepimus gratiam gratiam, id eſt, magnam gratiam, ſiue ingentes miſericordias. Nam geminatio vocis Hebræis, vt diximus, ſignificat aliquando quod magnum eſt in genere ſuo, in bonam, vel in malam partem, iuxta ſubiectam materiam de qua eſt ſermo, vt *Pſal.* 12. Principes principes, pro magnis principibus. Et *Pſal.* 11. Cor et cor, pro animo iniquo. Et Apoſtolus *ad Philippenſ.* 2. *b.* Mortem mortem dixit, pro morte acerbiſsima et abiectiſsima. Et *Sopho*. 3. *a*. Mane mane, pro citiſsime. Et *Ioel* 1. *b.* Dentes leonis leonis, dixit pro Dentes leonis fortiſsimi. Aliquando vero, vt modo dicebam, geminatio eiuſdem vocis, multitudinem, et aliquando vniuerſitatem ſignificat: vt *Pſal.* 121. Tribus tribus, pro omnibus tribubus. Et *Iere.* 2. *c.* Ciſternæ ciſternæ, pro pluribus ciſternis. Et *Ioel* 3. *c.* Populi populi, pro multis populis. Itaque Pellis pellis, pro vniuerſo pecore, vel vniuerſa ſubſtãtia, dictum eſt, et Gratia gratia, pro magna gratia. Eodem genere locutionis paulo ante vſus eſt

D. Ioan-

D. Ioannes Euangeliſta, cum ait, Vidimus gloriam gloriam eius, Id eſt, immenſam glòriam et maieſtatem eius, et admirabile lumen, quo perfuſus eſt in monte Thabor. Vel, ſi gloriam appelles opera potentiæ, et miracula, gloriam gloriam dixit, pro ſtupendis miraculis, quæ geſsit in terra, dæmones pellens e corporibus ſolo verbo, reſtituens viſum cæcis, claudis greſſum, ſurdis auditum, et mortuos reuocans ad vitæ vſuram. Inquit ergo D. Ioannes, De plenitudine eius, id eſt, iuxta diuitias ſcilicet bonitatis et miſericordiæ illius (vt vocat Apoſt. Nam diues eſt in miſericordia) vel de opibus eius, accepimus gratiam gratiàm, hoc eſt, magnā miſericordiam, ſiue multiplices miſericordias. Nam remiſsionem peccatorum contulit vere pœnitentibus, poteſtatem dedit nobis filios Dei fieri, varia chariſmata donauit, in ſuam gratiam et amicitiam recepit, æternæ felicitatis heredes effecit (quo nihil maius, feliciusq. homini poteſt contingere) quos habebat inimicos, ius ad regnum cæleſte, atque illius arrhabonem tribuit. Has ingentes òpes, et miſericordias præclaras, atque alias eiuſmodi, Diuus Ioannes vocat gratiam gratiàm. Tuncq. reſoluenda eſt vocis geminatio iuxta vim quam habere ſolet huiuſmodi idioma Hebræum, vt dictum eſt. Poſsit etiam huiuſmodi phraſis ita explicari. Accepimus gratiam, id eſt, miſericordiam, et ingentia bona ſpiritualia, pro gratia,

ſiue

ſiue miſericordia ſua, non noſtris meritis, ſed ſua clementia. Vel, quia gratia ſæpe ponitur pro miſericordia, et miſericordia aliquando pro promiſsione; Pro gratia, idem eſt quod iuxta promiſsionem, vt ſit abuſus præpoſitionis, qui non raro contingit in diuinis ſcripturis, ex idiomate linguæ Hebraicæ. Accepimus, inquit, ab eo magna et præclara bona ſpiritualia, iuxta promiſsiones Prophetarum, qui vaticinati ſunt, nos magna dona ab eo percepturos, et ab eo ditandos opibus maximis, quæ ad animum pertinent. Poſsit quis non inepte arbitrari fieri abuſum præpoſitionis Pro, pro Super, vt Gratia ſuper gratia, idem ſit quod Gratia maxima, id eſt, exuberans miſericordia, phraſi illa, Contritio ſuper contritione, pro Maxima contritione; Plaga ſuper plaga, pro Maxima plaga. Accepimus, inquit, a Chriſto ingentes et exuberantes miſericordias; ſed illa præcipua eſt, et quæ excedit omnem modum clementiæ (quam optimo iure Apoſtolus vocat nimiam caritatem) qua pro nobis dignatus eſt mori, de qua canit Propheta, Copioſa apud eum redemptio. Iuxta idem genus locutionis, poſsit explanari locus Iob. Nam Pellem ſuper pelle dixit, pro vniuerſo grege et armento, pro multis pecoribus, & vniuerſa ſubſtantia.

Reſtituetur vt lutum ſignaculum, & ſtabit ſicut veſtimentum. Iob 38. b.

CAPVT XIIII.

SERMO Hebræus non raro vtitur Interiectione verborum, ſed et Interiectione partium ſententiæ; quin et nonnumquam integras periodos interponit, et redit ad intermiſſum ſermonem: quæ conſuetudo ſermonis Hebraici, cum aliis, Scripturas Sanctas non parum difficiles intellectu, efficit. De hac re alibi agimus, productis non paucis Sanctarum Scripturarum teſtimoniis. Aliquid ſimile hoc loco æſtimo contingere. Nam duplex genus interpoſitionis, vel tranſpoſitionis hic reperitur. Alterum eſt Interpoſitio ſententiæ; Alterum eſt, Interpoſitio vnius vocis ſuo loco non poſitæ. De priori interiectione primum dicamus. Quod dicitur, *Reſtituetur vt lutum ſignaculum, & ſtabit ſicut veſtimentum*: annectendum eſt verbis illis, *Confringes tumentes fluctus tuos*. Deniq. tota hæc ſententia interpoſita eſt, *Numquid poſt ortum tuum præcepiſti diluculo, & oſtendiſti auroræ locum ſuum? & tenuiſti concutiens extrema terræ, &*

ræ, &

ra, & excuſsiſti impios ex ea? Sic ergo habet locus, ſi ſuo ordini reſtituatur. *Hic confringes tumentes fluctus tuos. Reſtituetur vt lutum ſignaculum, & ſtabit ſicut veſtimentum. Numquid poſt ortum tuum precepiſti diluculo, & oſtendiſti auroræ locum ſuum? Et tenuiſti concutiens extrema terræ, & excuſsiſti impios ex ea? Auferetur ab impiis lux ſua, & brachium excelſum confringetur.* Alterum genus inuerſionis eſt in voce *Luti*. Nam Hebræa ſic habent, Vertet ſe ſicut lutum ſigilli, et ſtant (pro ſtabant ſcilicet aquæ) ſicut veſtimentum. Pro eo quod eſt, vertet ſe ſicut ſigillum, et ſtant ſicut luti veſtimentū. Locus eſt difficilis, quem noui interpretes ita obſcure vertunt, vt vix ſenſum aliquem exhibeat eorum tralatio. exiſtimant enim induci ſimilitudinem de ſigillo luti, quaſi ſenſus ſit, Sicut ſigillum luti facile multas accipit et expellit figuras: ita terra multas ſuſcipit et excutit impiorum generationes. exiſtimantq; iſti de terra fieri ſermonem, cum dictum eſt, Vertet ſe, vel reſtituetur: cum potius de mari, ſiue aqua; quæ initio creationis rerum totam terram tegebat, ſit ſermo. Multo aptius reddidit vulgatus interpres, cuius verſio ſic intelligenda eſt. Duo futura *Reſtituetur*, et *Stabit*, pro præteritis poſita ſunt, more Hebræo. *Signaculum*, vel Sigillum, capitur pro Clauſura, et quaſi pro Sera. Sicut ergo mare, ad imperium Dei dicitur terminis ſuis, quaſi vectibus et ſera incluſum: ita di-

citur ſigillo clauſum. Coniunctio vero copulatiua pro nomine Relatiuo poſita eſt, ex idiomate ſermonis Hebræi. Quod ſæpe vſu venit Scriptoribus Sacris, vt alibi obſeruamus. Lutum vocatur terra cooperta aquis eo tempore, atque adeo abyſſus cænoſa. Terminos terræ mari præſcriptos, vocat ſignaculum, ſiue Sigillum, et Clauſtrum; ſicut vectes et oſtia, ſiue portæ et ſera aliquando appellantur, vt hoc eodem capite paulo ante dictum eſt, Quis concluſit oſtiis mare? et, Poſui vectem, & oſtia. Inquit ergo Dominus ad Mare, aſsignans ei terminos et limites. Hic confringes tumentes fluctus tuos. Reſtituetur, vel vertet ſe (ſcilicet aqua) id eſt, mutata eſt, reſtituta eſt, vel retro acta eſt, reducta eſt, et quoddam quaſi ſigillum, ſcilicet appoſitum eſt illi, quæ ſteterat, vel fuerat velut veſtimentum terræ, quia totam terram cooperiebat, *Pſal.* 103.4. Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius. Cum mare (inquit Dominus) concluſi, cum intra certos limites coartaui, ne totam terram obtegeret, et illam aquis nudaret: mutatum eſt, mutauit locum, intra ſibi præſcriptos terminos ſe recipiens; et quod ſteterat, vel fuerat (nam ſtare, aliquando ponitur pro eſſe) velut Veſtimentum luti, vel terræ: ipſi velut ſigillum, ſubaudi appoſitum eſt, vel aliquid ſimile. Mare, quod libere vagabatur ſuper vniuerſam terram, coercitum eſt quaſi quodam clauſtro, intra certos limites.

tes. Numquid (ait Dominus ad Iob) poſt ortum tuum præcepiſti diluculo, et oſtendiſti auroræ locum ſuum? Quia aliquando Scriptores Sacri, ex proprietate linguę ſuæ de duabus perſonis loquentes, vni illarum tribuunt quod alteri tribuendum erat (quod alibi fuſius diſſerimus) vt 1. *Pet.* 4. *a.* Qui paſſus eſt in carne, deſiit a peccatis: in ſuſpicionem adducor, tale aliquid hoc loco contingere, ac dictum eſſe Poſt ortum tuum, pro Poſt ortum auroræ. Numquid ait, poſt ortum aurorę, præcepiſti ei? quaſi dicat, Numquid Soli leges oriundi et occidendi indidiſti? Numquid et oſtendiſti, vel aſsignaſti locum eius, locum vbi oriretur, et locum vbi occideret et abſconderetur? Nam ſtatim vt Sol ortus eſt, id eſt, creatus eſt a Deo: accepit ab eo leges curſus ſui, oriendi et occidendi ſingulis diebus, et virtutē accepit quam refunderet in hæc inferiora. Et quidem hunc ſenſum ſuadet filum orationis. Vbi, inquit, eras cum me laudarent ſimul aſtra matutina? id eſt, quando omnia aſtra condita ſunt a me, quæ ſtatim vt creaui, me laudare cœperunt? *Et*, pro, *id eſt*, iubilarent omnes filii Dei, ſiue omnes Angeli? Vbi eras, cum ponerem nubem veſtimentum maris, hoc eſt, cum creaui mare obſitum tenebris? Nubem vocat tenebras, de quibus *Geneſ.* 1. *a.* Tenebræ erant ſuper faciem abyſsi. Inquit ergo Dominus, Numquid poſt ortum auroræ, vel ſolis, præcepiſti

ei? hoc eſt, Numquid Soli ſtatim vt creatus eſt, poſuiſti præcepta & leges curſus ſui? Et numquid oſtendiſti ei locum ſuum, id eſt, dediſti ei tabernaculum, vel habitaculum in cælis? Numquid tenuiſti concutiens extrema terræ? hoc eſt, Numquid tenuiſti, potuiſti, habuiſti in poteſtate tua extremos fines terræ, ſiue vniuerſam terram? Numquid potuiſti concutere, mouere, perdere, et deſtruere vniuerſum orbem? Et excuſsiſti impios ex ea? Hoc ad diluuium illud quod contigit tempore Noe, *Geneſ.* 7. referendum videtur, quo inundante vniuerſitas impiorum hominum periit, præter iuſtum Noe, cum familia ſua. Numquid, ait, tu e medio tuliſti impios homines & ſceleratos illius temporis? Numquid hoc opus æquiſsimæ vindictæ tu feciſti?

Magnificans ſalutes Regis eius, & faciens miſericordiam Chriſto ſuo Dauid, & ſemini eius vſque in ſæculum. Pſal. 17. e.

ET

Sicut locutus eſt ad Patres noſtros Abraham, & ſemini eius in ſæcula. Luca 1. e.

CAPVT XV.

QVIA

QVIA hæc duo loca,inter ſe cognata ſunt, et ex parte eadem ratione explicanda ; in idem caput coniiciemus : ac primum agemus de loco Regii Vatis . Arbitror ego hunc locum ita explicandum . Salus Hebræis ſæpe ſignificat omne genus beneficii, omne genus bonorum et humanæ felicitatis (Nam latiſsime patet huius vocis ſignificatio in Scripturis Sanctis) quã vocẽ Hebræi efferunt plurali numero, cum apud Latinos ſin gularis tantũ ſit. Magnificare ſalutes eſt, Magnas facere ſalutes, id eſt, magna conferre beneficia, Hiſpane, *Hazer grandes mercedes*. *Regis*, genitiuus eſt pro datiuo, ex Hebraiſmo, quod ſæpe in Scripturis Sanctis reperitur. Eſt etiã idioma Hebræũ *Eius*, pro *Sui*, vel *Suo*. Cum vero varius ſit vſus coniunctionis *Et*, in lingua Hebræa (vt alibi diffuſius dicturi ſumus) hoc loco pro Præſertim, accipi exiſtimo. Facere miſericordiam, hoc loco eſt, Facere promiſsionem. Coniunctio *Et*, ſecundo loco poſita, pro Præpoſitione accipitur ex Hebraiſmo. Eſt ergo conſtructio Hebræa, *Et ſemini eius*, pro *De ſemine*. Habet enim hunc vſum Datiuus in lingua Hebræa, vt *ad Gala*. 3. *c*. Abrahæ dictæ ſunt promiſsiones, et ſemini eius, hoc eſt, Abrahæ factæ ſunt promiſsiones de illo ſemine eius, de filio naſcituro ex poſteritate eius, nempe de Chriſto ; promiſſus eſt Chriſtus Abrahæ ex

poſteritate eius naſciturus. Quo genere locutionis dicunt Hebræi, Loqui, vel Dicere alicui, pro Dicere de aliquo. vt *Pſal.* 40. *a.* Inimici mei dixerunt mala mihi, id eſt, de me. Et quia lingua Hebræa aliquando dicit, aliquid eſſe in ſæculum, in ſæcula, in finem, vel in æternum; quod ſignificat in genere ſuo eſſe magnum et excellens: ſemen in ſæculum, vel vſque in ſæculum, vocat Regius Vates Dauid filium inclytum, qui eſſet futurus Rex glorioſus, ampliſsimus, Rex Regum, Rex ac Dominus omnium gentium, et vniuerſorũ quæ ſubſiſtunt. Hæc oportuit obſeruare ad inueſtigandum germanum ſenſum huius loci, qui talis eſt. Magnas quidem ſalutes, inquit Dauid, facit Dominus Regi ſuo (de ſe loquitur,) præſertim quod illi promiſsionem fecerit de Meſſia Rege ampliſsimo ex eius poſteritate naſcituro. Magna beneficia mihi Regi ſuo, ſiue quem Regem conſtituit, exhibuit Dominus: ſed illud præ ceteris longe æſtimo, quod mihi pollicitus eſt, ex poſteritate mea naſciturum Regem illum optimũ, maximum, Regem illum ampliſsimum, quem vulgo Meſsiam vocamus. Non tanti æſtimo, quod ex paſtore ouium me Regem fecerit, quod me in Regem Iſrael populi ſibi electi delegerit, quod me Ducem populi ſui conſtituerit, quod Regnum florentiſsimum tradiderit in manus meas, quod mihi inſignes victorias de hoſtibus conceſſerit. Eadem ratione

expli-

explicanda ſunt eadem fere verba, quæ eiuſdem ſunt argumenti, apud Lucam *Cap.* 1. Sicut locutus eſt ad Patres noſtros, Abraham et ſemini eius in ſæcula. Semen pro filiis ex idiomate Hebræo. Ex phraſi etiam ſcripturarum, idem eſt Semen in ſæculum, vel in ſæcula; quod filius inclytus, vel filii ſanctitate conſpicui. Semen ergo in ſæcula vocat Iſaac, Iacob, et Dauid inſignes Patriarchas, quibus eadem promiſsio de aduentu Meſsiæ facta eſt. Vel Semen in ſæcula, id eſt, filium inclytum, vocat ſolum Dauid Regem magnum et ſanctimonia inſignẽ, qui filius Abrahæ vocatur *Matthæi* 1. *a.* Ad hos enim duos tantum, nempe ad Abraham et Dauid, præcipue facta eſt eiuſmodi promiſsio, vt ait D. Hieronymus, de Chriſto. Dauid ergo vocatur ſemen Abrahæ a ſæculo, locutione Hebraica, id eſt, filius inclytus Abrahæ, quo nullus maior inter poſteros Abrahæ, dempto Chriſto. Ideo hoc loco beatiſsima Virgo de his duobus mentionem facit, ſicut et *Matthæi cap.* 1. *a.* Chriſtus appellatur filius Dauid, et filius Abrahæ. Vox itaque *Seminis* non vacat emphaſi, nam ſignificat ſemen illud quod eſt Chriſtus, de quo D. Paulus *ad Gala.* 5. *In ſæcula*) Græce eſt ab æuo, vel a ſæculo, id eſt, iam olim. Recordatus eſt (inquit) Dominus miſericordiæ ſuæ, ſiue impleuit promiſsionem ſuam, quam a ſæculo, vel iam olim, antiquis temporibus locutus fuerat, id eſt,

promiſit, quámq. fecit patribus noſtris, *præſertim* Abrahæ, de mittendo filio ſuo ; id eſt, filio Dei. Eſt enim Chriſtus filius Dei. Itaq. femen Abrahæ, ex idiomate linguæ Hebrææ, appellat filios eius et poſteros, nempe Iſaac & Iacob; quibus eandem promiſsionem confirmauit Deus. Quod vero ait, *In ſæcula*, ſiue, vt eſt in Græco, In ſæculum, idem eſt quod a ſæculo, et iungendum eſt voci *Miſericordiæ*. Suſcepit, inquit, Deus Iſraeliticum populum, recordatus miſericordiæ ſuæ a ſæculo, id eſt, promiſsionis ſuæ antiquæ, quam fecit Abrahæ et poſteris eius, immo promiſsionis ſuæ antiquæ; quam in Lege interpoſuit *Gene.* 3. Ipſe conteret caput tuum. Phraſi enim Hebræa, quod antiquum eſt, a ſæculo, vel in ſæculum eſſe dicitur. Qua loquendi phraſi, *Pſal.* 110. Teſtamentum in ſæculum, ſiue a ſæculo, appellatur pactum antiquum, et antiqua promiſsio. Præterea hoc genere locutionis, quod magnum et præſtantiſsimum eſt in genere ſuo, vt diximus, ſolet ſignificari, ita vt Miſericordia in ſæculum, vel a ſæculo, ſit idem quod promiſſio ampliſsima, feliciſsima et ſuperexcellens; et Teſtamentum in ſæculum, idem quod lex ſanctiſsima, vel pactum feliciſsimum. Ac fortaſsis quod ait in ſæcula, referendum eſt ad finem verſus præcedentis, quaſi locus ita diſpungatur, Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ (ſicut loquutus eſt,) ſiue quam pro-

v b

miſit

Digitized by Google

miſit Abrahæ, et ſemini eius) in ſecula, ita vt miſericordia in ſecula, ſiue in ſeculum, ſit Hebraiſmus pro magna miſericordia. Vel, ſicut locutus eſt ad patres noſtros Abraham, et ſemini eius in ſæcula, ſiue per ſæcula, hoc eſt, ſicut promiſit Deus Abrahæ, et poſteritati eius, nempe maioribus noſtris Patriarchis et Prophetis, per tempora ſubſecuta. Nam per omnia fere tempora quæ ab Abraham fluxerunt, Deus pollicitus eſt Sanctis Patribus et Prophetis aduentum Meſsiæ. Recordatus eſt Dominus (inquit beatiſsima Deipara Maria) miſericordię ſuę, ſiue promiſsionis ſuę, hoc eſt, impleuit promiſsionem ſuam (Hebraiſmus eſt) quam locutus fuerat, id eſt, promiſerat Patribus noſtris, *Præſertim* Abrahæ. Phraſis Hebræa eſt, Loqui ad aliquem, pro Polliceri alicui. Commemorat vero nominatim Abraham, quia ad eum ſimul cum Dauid, vt dictum eſt, facta eſt de Chriſto repromiſsio. Ideo D. Matthæus initio ſui Euangelii, Chriſtum Ieſum filium Abrahæ appellauit. Quod ſequitur, *Et ſemini eius in ſæcula*, ita diſpungit Tralatio Tigurina, Recordatus miſericordiæ ſuæ (ſicuti locutus eſt Patribus noſtris Abrahæ et ſemini eius) in ſæculum. Tempus Præteritum hoc loco vim conſuetudinis habere videtur, quod aliquando reperitur in Sacris Litteris ex phraſi Hebræa. Recordatus miſericordiæ ſuæ, pro Qui recordari ſolet miſericordiæ ſuæ, id

 eſt, qui

per abuſum prępoſitionis, Suſcepit Dominus Iſraelem, recordatus, atque rationem habens miſericordiæ ſuæ a ſæculo, hoc eſt, antiquæ ſuæ promiſsionis. Impleuit ergo Dominus (canit ſanctiſsima Dei mater) promiſsionem quã fecerat antiquis Patribus, præſertim Abrahæ, de Meſsia naſcituro ex genere eius.

Filii autem hominum, in tegmine alarum tuarum ſperabunt.

Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.

Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Pſal. 35. b.

CAPVT XVI.

FILII *autẽ) Autem* pro *Et*, vertit Vulgatus interpres, et quia *Et*, vice multarũ particularum fungi ſolet: hoc loco pro *Quidem*, vel *Nam*, commode accipietur. Sperare aliquando eſt potiri bonis et rebus ſecundis, beneficiis augeri, et cumulari: quia ſpes non raro ponitur pro Mercede, bono et munere quod ſperatur, denique

nique pro omni genere boni, et humanæ felicitatis. Sic accipiendum eſt verbum ſperandi hoc loco. *Nam* filii hominum, ſiue homines, id eſt, omnes nationes orbis (inquit Regius Vates Dauid) ſub tegmine alarum tuarum, ſiue ſub vmbra tua *ſunt*, potiuntur benignitate tua, tuæ curæ ſunt commiſsi. *Ideoq.* ſperant; hoc eſt, potiuntur bonis, et beneficiis augentur. Pluis enim iuſtis et iniuſtis, et Solem tuum oriri facis bonis et malis. Pleriq. ita locum explanant, vt his verbis Propheta veris Iſraelitis, qui ſpem ſuam in Deo locarent, promittat omnia læta et ſecunda, rerumq. omnium copiam, non ſolum earum quæ ad vitam tuendam ſunt neceſſaria, ſed etiam illarum quæ ad voluptatem honeſtam pertinent. Hiſpane dicimus *recreaciō, regalo.* Simile eſt illud *Pſal.* 33. 4. Inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono. Illud itaque hominum genus, qui fidunt Domino, quales ſunt Iſraelitæ veri Dei cultores, ſatiabuntur ab vbertate, et replebuntur rerum copia et fructibus domus tuæ, O Deus, id eſt, hereditatis tuæ, et regionis, quam populo tuo in hereditatem tribuiſti; replebuntur optimis fructibus, et deliciis regionis eius, tua benignitate prouenientibus. Itaque Domum Dei, iuxta horum intelligentiam, vocat Regius Vates Terram promiſsionis. Ego vero alia ratione intelligendum exiſtimo hunc locum. Nam Domum Dei vocat gentem Iudæorum, et

popu-

populū eius electum; quod frequens eſt in veteri Teſtamento, et Apoſt. *ad Hebræos* 3. *b.* ait, Quæ domus ſumus nos. Eſt autem idiotiſmus Hebræus, *Domus tua*, pro *De Domo tua*. Nam lingua Hebræa ſolet vti genitiuo pro auferendi caſu cum præpoſitione. Hoc genere locutionis dictum eſt *Pſal.* 64. *a.* Replebimur in bonis domus tuæ, pro eo quod eſt, Qui ſumus de domo tua, ſiue de populo tuo, Replebimur, vel repleamur bonis, et beneficiis tuis. Nam in his duobus teſtimoniis Regii Vatis Dauid, aliud etiam genus Hebraiſmi deprehenditur, iuxta quod, verbum ſubſtantiuum, et nomen relatiuum ſubaudiuntur. Itaque inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, hoc eſt, *qui ſunt* de domo tua, vel de populo tuo, inebriabuntur ab vbertate, id eſt, replebuntur copia bonorum, quod per repetitionem explicatur, *Et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Deniq. ſi locum inſpicias, hunc videtur habere ſenſum: Omnes quidem filii hominum, omnes homines, omnes gentes degunt ſub vmbra tua, o Deus, omnes a te aluntur, omnes quidem alis, ſed peculiari quadam ratione alis populum tuum (ſi ab officio, non diſcedat, ſi in legis tuæ obſeruatione perſeueret) vberius, copioſius, et indulgentiſsime tractans illum. Solent autem Prophetę, cum bonorum copiam, ampliſſimum fructuū terræ prouentum, delicias terræ, omnia denique læta et ſecunda volunt ſignificare; ſolent, in-

quam

quam, commemorare fontes, torrentes, flumina, et prę-terfluentes aquas; vt *Pſal.* 46. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Et *Pſal.* 64. Flumen Dei repletum eſt aquis. Et *Eſai.* 32. *d.* Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas. Et *cap.* 66. *c.* Ecce ego declino ſuper eam, quaſi fluuium pacis, quaſi torrentem inundantem, gloriam gentium. Sic hoc loco inquit Regius Vates, Quoniam apud te eſt fons vitæ. quaſi dicat, Et a te erit, vel prouenict fons vitæ, ſiue fons perennis omnium bonorum. Poſſunt et hæc verba (quod idem fere eſt) hac ratione explanari. Sperare, pro Tutum eſſe et ſecurum, poſitũ eſt, vt *Pſal.* 90. Sub pennis eius ſperabis, id eſt, ſub protectione illius tutus eris a malo. Populus *qui eſt* ſub tegmine alarum tuarum, ſiue populus tuus electus, qui tuæ curæ eſt commiſſus, cuius curam geris: tutus erit ab hoſtibus, et ab aliis vitæ calamitatibus, ſcilicet quamdiu in legis tuæ obſeruatione perſeuerauerit. Futura Indicatiui horum duorum carminum poſita eſſe poſſunt pro temporibus Imperatiui, more Hebræorum. Precatur enim Propheta, Domine, qui ſunt domus tuæ, ſiue de domo tua, de populo tuo, qui te vnum colunt, reiecta Idolorum cultura: inebrientur, ſiue ſatientur copia bonorum, et pota eos torrente voluptatis, hoc eſt, fac eos feliciter viuere; auge eos beneficiis, amplifica eos omni genere bonorum et felicitatis. Voluptas ponitur pro

omni

omni genere felicitatis humanæ. Omnes gentes experiuntur benignitatem tuam, ſed ampliora bona ſoles conferre cultoribus tuis, et largiori manu ſoles munificus eſſe in populum tuum, modo ille ab officio, et a lege tua non diſcedat. Omnes quidem filii hominum ſub alis tuis proteguntur, ſed qui ſunt de domo tua, inebriantur vbertate bonorum. Qui ergo ſunt populus tuus, et cultores tui, amplioribus bonis potiantur, ſatientur copia bonorum, ſint gentibus prælati, filii canibus præferantur. Neque enim æquum eſſe videtur, vt pari condicione ſint filii et canes, eodemq. pane, tantaque abundantia canes alantur, ac filii. Ad eundem modum precatur Regius Vates hoc loco, Experiamur benignitatem tuam, Deus, præ gentibus: quas licet non excludi volumus a benignitate tua, cuius participes eſſe vis volucres cæli, piſces maris, et beſtias cum reptilibus terræ; tamen ede ſigna benignitatis tuæ populo tuo, quibus manifeſte oſtendas tibi illum præ gentibus eſſe carum, maioraq. illi deberi, ad ampliora eſſe a te electum. Homines et iumenta alis, ſic multiplicas miſericordiam tuam Deus. Inter omnes vero gentes, qui ſperant in te, ſiue qui ſunt de domo tua, vel de populo tuo, ſatiantur bonorum copia, dum in obſeruatione legis tuæ perſiſtunt. Nam ſeruantibus legem, multa bona promiſſa ſunt. *Iſai.* 1. *f.* Filii, inquit, hominum, ſiue ii *qui ſunt* ſub

vmbra alarum tuarum; qui ſe, ſuaq. tuæ fidei committunt (quibus verbis ſignificatur populus Dei electus, qui peculiari quadam ratione eſt ſub protectione Dei, et illius curam agit Deus;) Sperant, id eſt, ditantur multiplici bonorum copia. Sic accipiendum eſt ſperandi verbum; Sicut ſpes frequenter ponitur pro munere, bono, præmio, vt dictum eſt. Deus omnium gentium curam habet, omnibus victum præbet, nulli genti quantumuis barbaræ denegat neceſſaria ad vitam tuendam. Sed licet omnibus affluenter tribuat, omnium gentium curam agat: peculiari quadam ratione prouidet populo ſuo electo, dum recta incedit via, nec ab officio, et diuinæ legis obſeruatione recedit. Repete veteres hiſtorias Sanctarum Scripturarum, et probabis quæ dico. In nullos homines æque eſt beneficus Deus, ac in cultores ſuos, qui eum vera religione, animi puritate, morum ſanctimonia colunt, iuxta legis diuinę pręſcriptum. Futura vero tempora hoc loco pro præſentibus poſita eſſe poſſunt, more Hebræo. Eſt ergo repetitio ſententiæ quod ſequitur, *Inebriabuntur et c.* hoc eſt, ſatiantur multiplici genere bonorum, qui ſunt de domo tua. *Apud te)* Vide an ſit ſenſus. Certe *his qui ſunt* apud te, vel coram te, eſt fons vitæ. Significari ergo videtur populus Dei electus, veriq. illius cultores. Fons vitæ idem ſonat quod fons perennis, iugiterq. ſcaturiens. Significaturq.

copia

copia bonorum, et felicitas diuturna, alio bono alteri ſuccedente ſine ceſſatione: Quibus bonis potiebatur populus Dei electus, dum a via mandatorum Dei non recedebat. *Et in lumine tuo et c.*) Repetitio eſt eiuſdem ſententiæ, mutatis verbis. Oportet vero ſubaudire nomen Relatiuum cum verbo Subſtantiuo, quod ſæpe fit in ſacris, ex idiomate ſermonis Hebræi, vt modo diximus. vt *Pſal.* 64. *a.* Replebimur in bonis domus tuæ, pro Repleamur bonis *qui ſumus* domus tuę, vel de domo tua. Et *Pſal.* 67. *c. Qui eſtis* de fontibus Iſrael, ſiue de fonte et origine Iſrael. Sic hoc loco, *Qui ſumus* in lumine tuo. Eſſe vero, vel Ambulare in lumine, Hebraiſmus eſt, pro eſſe coram, vel Ambulare coram (Nam *In*, pro *Coram* ponitur ex Hebraiſmo) id eſt, ſeruire, vt *Iſa.* 2. *b.* Ambulemus in lumine Domini, hoc eſt, ſeruiamus Domino; relicta Idolorum cultura, colamus Dominum. Et *Iſa.* 60. *a.* Ambulabunt gentes in lumine tuo, id eſt, coram te, quod eſt, Seruient tibi gentes, o Ieruſalem (quæ typum tenet Eccleſiæ Chriſti) tibi parebunt, obtemperabunt mandatis tuis. Ita hoc loco, Eſſe in lumine Dei, vel Ambulare coram Deo, eſt Seruire Deo, venerari Deum. Qui ſumus, inquit, coram te, id eſt, qui te colimus, videamus lumen. Hic Lumen idem ſonat quod Bonum, ſicut apud D. Iacobum Apoſtolum *cap.* 1. *a.* *Epiſtolæ ſuæ Canonicæ*, vbi Deum vocat Patrem luminũ,

 id eſt,

id eſt, auctorem omnium bonorum. Hinc ſicut Videre bona, eſt idiomá Hebræum, pro potiri bonis; ita et Videre lumen, eadem proprietate loquendi idem ſignificat. Qui ſumus ergo coram te, inquit Regius Vates, videamus lumen, hoc eſt, rebus lætis et ſecundis potiamur; potiamur bonis, et felici rerum euentu, qui te colimus, qui ſumus populus tuus. Mihi vero poſt hæc, altius cogitanti, aliud venit in mentem: quod quidem germanum ſenſum huius loci redolere videtur. Quam magna, inquit Dauid, eſt miſericordia tua, o Deus, erga id hominum genus qui ſub protectione alarum tuarum degunt. Nam ad ſatietatem gaudent deliciis domus tuę, et veluti torrente deliciarum potantur. Tecum enim, vel a te, aut coram te eſt fons vitæ (id eſt, maxima animi voluptas eſt adſtare coram te in templo) et lumine tuo, hoc eſt, fauore tuo videmus bona. Ingens beneficium tuum illud eſt, degere in ciuitate Solymorum, vbi qui habitant, ſub protectione tua ſunt. Nam Dominus in circuitu populi ſui, et propter templum maxime, quod inuiſere, adſtare coram Deo ad orandum, intereſſe Pſalmis et diuinis laudibus, et Deo puritate animi aſſiſtere, mira eſt iucunditas et animi oblectatio. Hæc erat maxima voluptas Regii Vatis Dauid, frequentare templum, aſsiſtere Deo mundo corde, ad Deum leuare animum, et laudibus diuinis intereſse. Hæ piæ mentis deli-

ciæ,

ciæ, hinc magnam capiebat voluptatem, quemadmodum idem ait *Pſal.* 26. *a.* Vnam petii a Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluptatem Domini, et viſitem templum eius. Domum Dei ergo templum vocat nomini eius dicatum, et voluptates domus huius appellat animi oblectationem incomparabilem, quam piorũ hominum mentes in templo Dei caperent. Hinc illæ voces. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, Quando veniam et apparebo ante faciem Dei? *Pſal.* 41. Et Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea, et c. *Pſal.* 62. Illud *Quoniam apud te eſt fons vitæ,* per parentheſim legendum videtur. quaſi dicat, namq. potes. Populus tuus, inquit, multis a te beneficiis augeatur, amplifica illum (namque potes, cum ſit apud te fons vitæ, hoc eſt, cum ſis origo omnium bonorum.) *Apud te eſt fons vitæ) Apud,* pro *In,* accipi videtur, eſtq. Hebraiſmus *In te,* pro *Tu.* Tu, inquit, mi Deus es fons vitę, id eſt auctor omnium bonorum, et omnis felicitatis. Nam *vita* ponitur (vt ſæpe alias) pro felicitate, et omni genere bonorum. Si quis vero locum ad myſticos ſenſus de gaudiis ſupernę felicitatis, vel miris animi deliciis et oblectationibus, quibus perfunduntur in hac vita. qui ſecundum ſpiritum ambulant, trahere velit: latiſſimus campus patet ad dicendum.

Ne ſileas, quoniam aduena ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes patres mei. Pſal. 38. c.

CAPVT XVII.

SILERE dicitur Deus ad preces noſtras, cum differt auxilium. Ecce clamo ad te (inquit Regius Vates) tum aduerſariorũ meorum ictibus impetitus, tum etiam diuerſi generis anguſtiis conturbatus, et malorum fluctibus pæne obrutus: ne obſurdeſcas ad clamorem meum, ne ſileas ad preces meas, reſponde mihi, id eſt, fer opem, veni auxilio. Sic idẽ Propheta, *Pſal.* 27. *a.* Deus meus ne ſileas a me, ne quando taceas a me. Et *Pſal.* 34. *d.* Vidiſti (quaſi dicat, Scis inſidias quas mihi parant aduerſarii mei) Domine, ne ſileas. *Quoniam aduena ego ſum apud te, et peregrinus et c.* Hieronymi. Chaldæus Paraphraſtes, ceteriq. interpretes vertunt, ſicut Vulgatus interpres. Locum vero ita enarrandum exiſtimo. Primum obſeruare oportet fieri inuerſionẽ verborum, qua non raro vtuntur Scriptores Sacri ex conſuetudine linguæ ſuæ. *Nam Aduena ego ſum apud te, & peregrinus*, dictum eſt pro Aduena & peregrinus ſum.

Poſt

Poſt ſequitur, *Apud te, ſicut omnes patres mei*. Aduenam et peregrinum eſſe, ſignificat eſſe omni ope humana et ſolatio deſtitutum, nullum habere adiutorem, non amicum, qui opem ferat in laboribus. Sic enim peregrini in aliena regione verſari ſolent, mæſti, egentes, afflicti, nullum habentes auxiliatorem, ſine amicis et omni humano præſidio. Audi me (inquit) clamantem, quoniam in magnis ſum afflictionibus conſtitutus, nec habeo qui me conſoletur, aut mihi opem ferat, vt ſolent eſſe peregrini, omni humano præſidio egentes. Hunc ſenſum innuit Chaldæus interpres, apponens particulam ſimilitudinis. Vertit enim, Velut aduena ſum; et peregrinus. Quod vero addit Propheta Apud te, meminiſſe oportet, non raro in Sacris Litteris contingere abuſum præpoſitionum, ex idiomate linguæ Hebraicæ, aliamq; præpoſitionem pro alia multum diuerſa, et aliquando contraria, ſubſtitui. Quod hoc loco vſu venit. Nam *Apud* pro *A*, vel *Coram* ponitur, ſubintellecto verbo ſubſtantiuo. Inquit ergo Regius Vates Dauid: In laboribus et afflictionibus poſitus ſum, me vndiq; mala perturbant, nec tamen eſt qui opem ferat, aut ſoletur afflictum; omni humano præſidio et ſolatio deſtitutus ſum. *Sim ergo* coram te Domine, id eſt, ſim tibi curæ (hoc enim aliquando Hebræis ſignificat Eſſe coram aliquo,) fer opem, recordare mei, veni mihi auxilio, nec ſinas me

malorum fluctibus amplius iactari. Sim ego coram te ſicut omnes patres mei, hoc eſt, ſicut tibi curæ fuerunt maiores mei, Sancti Patriarchæ Abraham, Iſaac, et Iacob. Hi fuerunt coram te, id eſt, horum fuiſti præſidium ſingulare, his opem tuliſti in laboribus, his te propitium et beneuolum exhibuiſti, hosq. mirum in modū donis auxiſti, et beneficiis amplificaſti. Sim ego coram te ſicut et illi, inueniam gratiam coram te ſicut illi inuenerunt: (quia diues es in miſericordia iis qui te ex animo colunt) et propter illorum fidem, merita, et mirabilem vitæ innocentiam. Et quia frequenter in Scripturis Sanctis, ex proprietate ſermonis Hebræi, *Omne*, capitur pro eo quod magnum eſt, vel inſigne in genere ſuo: omnes Patres dixit Propheta, pro antiquis Patribus, vel ſanctis Patribus.

Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime.

Specie tua & pulchritudine tua intende proſpere, procede & regna.

Propter veritatem & manſuetudinem & iuſtitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua.

Pſal. 44. a.

CAP.

Digitized by Google

CAPVT XVIII.

ALLOQVITVR Propheta Meſsiam promiſſum, obſecrans vt iam veniat in mundum ad debellandum gentes cultui Idolorum addictas, id eſt, ad vocandum eas ad gremium Eccleſiæ et fidem Euangelii, relicta Idolorum cultura. Obſeruamus enim, multis in locis Sanctos Prophetas conuerſionem gentium ab Idolorum cultura ad Deum verum, et Chriſti Eccleſiam, ſolitos adumbrare vocibus ſignificantibus bellum, acies hoſtium, cædem, ſanguinis effuſionem, et vaſtitatē ipſarum gentium. Quod huic loco accommodandum eſt. Nam cum Propheta alloquitur Meſsiam, dicens, *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum*, id eſt, oſtende potentiam tuam, ſcilicet aduerſus gentes (vt Chaldæus Paraphraſtes exponit) ſume arma contra illas, prœliare contra eas, effunde frameā, et aggredere trucidare illas: de gentiū vocatione intelligendū eſt. Ad eandē rem pertinet quod paulo poſt ſequitur, Sagittę tuæ acutę in corda inimicorum Regis, ſcilicet, infigantur; id eſt, in corda inimicorum tuorum, o Rex. Eſt enim ſubita mutatio perſonæ, more Prophetico. Iaculare, inquit, ſagittas in hoſtes tuos, ſiue in gentes barbaras, quæ Deos falſos colunt. Quod exponit id quod ſequitur. Populi ſub te cadent, vel coram te cadant, hoc eſt, variæ orbis gentes te colant, relicta Idolorum cultura. Nam *Sub*, pro *Co-*

ram ponitur, quod et aliis locis Sanctarum Scripturarum contingit. vt *Pſal.* 17. *b.* Caligo ſub pedibus eius, id eſt, Tenebræ erant ante eum, in quem ſenſum vertit Chaldæus Paraphraſtes: Hiero. et reliqui interpretes vertunt vt Vulgatus interpres. Et Futurum Indicatiui *Cadent*, poſitum eſt pro tempore Imperatiui *Cadant*, more Hebræo. Eſt autem Cadere, proſterni, et humi iacentem aliquid venerari. Populi, inquit, cadant coram te, hoc eſt, Te vnum adorent, te vnum colant et venerentur gẽtes omnes. Suntque hæc verba per parentheſim interiecta, atq. ideo per parentheſim legenda. Precatur itaq. hoc loco Propheta Meſſiam, nomine totius populi Hebræorum, vt iam veniens, per Apoſtolos ſuos, et eorum ſucceſſores in prædicatione Euangelii, gentes barbaras et a cultu veri Dei alienas, ad cognitionem ſui nominis adducat. More ergo Prophetico Regius Vates Dauid de vocatione gentium ſermonem ordiens, Meſsiæ tribuit gladium et ſagittas, ipſumq. ad vaſtandos inimicos, id eſt, barbaras nationes, precibus inuitat. Quod aperto ſermone eſt optare aduentum Meſsiæ promiſsi, cuius temporibus (quæ ſunt ab aduentu eius vſque ad finem ſæculi) Euangelium prædicandũ erat gentibus, et gentes relicta idolorum cultura, ipſum Euangelium erant ſuſcepturæ. Quod vero ait, *Specie tua & pulchritudine tua*, ita intelligendum eſt, vt verbum ſubau-

ſubaudiatur, vt quidam interpretes verterunt, et ſæpe fit in Scripturis Sanctis, id eſt, gloriam ſiue potentiam tuam *oſtende in gentes ipſas. Incede proſpere, procede et regna)* Hierony. et alii ita vertunt, Decore tuo, vel gloria tua proſpere aſcende, ſiue equita; id eſt, Iuxta potentiam tuam aſcende, ſiue exaltare: hoc eſt, Oſtēde illam. Nam *Aſcendere* pro *Exaltari* ſiue *Oſtendere potentiam;* dictum eſt. Oſtende, ait, potentiam tuam aduerſus gentes barbaras. Si legas *Equita*, idem ſenſus manet, nam quemadmodum Propheta tribuit Meſsiæ gladiū, ita equum tribuit, vtroque ſignificans prælium in gentes, et illarū vaſtationem, eo modo quo dictum eſt. *Procede et regna)* Hendiadys Hebræa eſſe videtur, pro Procede ad regnum, aſsume regnum, ſume regni habenas et gubernacula. Qui Rex Iſrael, et omnium gentium vocaris, veni iam ad populum tuum nimium deſideratus, noli tardare. *Propter veritatem et c.)* In Hebræo (vt Hierony. et alii vertunt) eſt, Propter verbum veritatis, quod recte vertit Vulgatus interpres; Propter veritatē. Nam vox *Verbum* aliquando redundat ex proprietate linguę Hebręæ; Poteſt etiam ſic locus intelligi, vt tam verbum, quam veritas pro promiſsione accipiantur, et verbum veritatis dictum ſit phraſi illa Hebræorum Pars hereditatis, pro promiſsione ampliſsima, inſigni, certiſsima. Tales enim ſunt promiſsiones Dei. Eadem præpoſitio

repe-

repetenda eſt cum vocibus *Manſuetudinem & Iuſtitiam*. Vel dilucide ita vertes. Iuxta veritatem (id eſt promiſſionem tuam in lege, et Prophetis) *Propter* manſuetudinem et iuſtitiam *veni* hoc eſt, Veni iam iuxta promiſsionem tuam, propter manſuetos, id eſt, afflictos et iuſtos. Afflictos et Iuſtos vocat populum Iſrael, qui iuſtorum et Sanctorum nomen ſępe habet apud Prophetas, quod is ſolus inter omnes gentes Deum verum coleret; quiq. Afflictorum nomen ſibi vēdicauit, propterea quod ab aliis gentibus aſsiduo bello impugnaretur. Ponunturq. conſuetudine Sanctarum Scripturarum, denominationes pro denominatis: Manſuetudo, ſiue Afflictio, pro Afflictis; et Iuſtitia, pro Iuſtis. *Et deducet te mirabiliter dextera tua* (*Et*, redundat ex Idiomate Hebræo. Pro *Deducet*, Hiero. Chaldęus Paraphraſtes, et reliqui interpretes vertunt, *Docebit*, pro *Oſtendat*, ita vt ſit tempus Indicatiui poſitum pro tempore Imperatiui, more Hebræo. *Te*) exiſtimo ex proprietate ſermonis Hebræi hanc vocem additam eſſe, vt *Cant*. 1. *b*. Si ignoras te. Erit ergo ſenſus; Conſurge in auxilium populi tui, iuxta promiſſionem tuam, ſume gladium, aſcende ſuper equum, prœliare aduerſus gentes nobis inimicas. Exurge, inquā, propter afflictos et iuſtos tuos, propter populū tuum iuſtorum a gentibus diuexatum. Oſtendat (id eſt edat, et operetur) manus tua, vel potentia tua, mirabilia, vt ſoles, vel quæ edere ſoles in gratiam populi tui.

Circum-

Circumdate Sion, & complectimini eam, narrate in turribus eius.

Ponite corda veſtra in virtute eius, & diſtribuite domos eius, vt enarrretis in progenie altera.

Quoniam hic eſt Deus Deus noſter in aeternum, ipſe reget nos in ſaecula. Pſal. 47.

CAPVT XIX.

DICAM ſententiam meam paucis, circa intelligentiam horum carminum: quae licet ab aliis multum ſit diuerſa, fortaſsis doctis non improbabitur. Verba ſunt Prophetę per ironiam dicta ad Reges et Principes gentium, hoſtes populi Dei, qui, vt dixit initio Pſalmi, cum veniſſent magnis inſtructi copiis ad vaſtandam Hieruſalem: inglorii receſſerant, non ſine magna iactura, et graui plaga. Ait ergo Propheta Dauid ironice: Eia hoſtes, circumdate, vel circuite Sion (vt quidam vertunt) et complectimini, id eſt, cingite (vt vertunt Hiero. et Chaldaeus Paraphraſtes, et alii Circuite) ſiue obſidete Hieruſalem in circuitu, et narrate vel numerate, hoc eſt, deſtruite (hoc enim ſignificat aliquando ver

bum

bum Numerandi) turres eius,vt vertunt Hiero. Chaldæus Paraphraſtes, et alii. *Circumdare* vero pro *Obſidere* poſitum eſt, vt *Lucæ* 19.*g*. Circumdabunt te inimici tui vallo. *Ponite corda veſtra in virtute eius*) *Cor* ſicut aliquando pro viribus & fortitudine appellatur, ita hoc loco machinas bellicas, et totum robur exercitus ſignificat. *Virtus* ſimiliter in Scripturis Sanctis robur et fortitudinem paſsim ſignificat, vnde hoc loco pro muro, vel muri propugnaculis et munitionibus appellatur. Hiero. Mœnia vertit, Pagninus Antemurale, Felix et Campenſis vertunt Murum, alii Propugnaculum. Eſt ergo ſenſus. Eia apponite machinamenta veſtra muris Hieruſalem, diruite muros eius bellicis machinis. *Et diſtribuite domos eius*) pro Diſtribuite, Hiero. vertit Separate, id eſt, deſtruite. Sic enim hoc verbum aliquando accipitur. Pro domibus, Hiero. Campenſis, Pagninus, et alii vertunt Palatia. Intelligit vero Propheta arcē Sion munitiſsimam, et palatiis inſignem. Euertite, inquit, arcem Sion. *Vt enarretis in progenie altera*) Hoc eſt, vt inſignis fortitudinis veſtræ, potentiæ, et victoriæ, relinquatis memoriam ſempiternam omnibus ſæculis duraturam, et vſq. ad nouiſsima tempora, et, vt vulgo loquimur, vſq. ad finem mundi prædicandam. Euertite vrbem Hieruſalem, et erit factum dignum memoria ſempiterna, quod narretur in generatione altera, id eſt, futuris

turis

turis temporibus. Hoc loco aliquid ſubaudiri oportet, quod ironiam explicet hoc modo, *Certe nihil efficietis viribus veſtris et potentia, nec praualebitis aduerſus Hieruſalem, quia Deum habet protectorem:* quoniam ipſe Dominus eſt Deus noſter potentiſsimus, ipſe reget ac proteget nos ab hoſtibus. Poteſt etiam hic ſenſus ſtare, ſi nihil ſubaudiatur, dummodo *Quoniam* pro *Certe* accipiatur, quod ſæpe fit in Sacra pagina. Obſidete Hieruſalem per circuitum, deſtruite turres eius, apponite machinas ad diruenda mœnia eius, auertite arcem illius, vt gloriam ſempiternam vobis comparetis a poſteris celebrandam. Certe Deus noſter eſt Dominus, potentiſsimus, qui ſemper curam habet de nobis, et ab hoſtibus nos proteget. Itaque vox eſt Prophetæ ad gentes et hoſtes populi Dei, adhortantis (ſed per ironiam) vt muros vrbis Solymorum, arcem, et turres ſubuertant ac demoliantur, vt nomen ſibi ſempiternum comparent, et famam futuris ſæculis duraturam. Eia, inquit, agite, circumdate, vel obſidete Sion, Complectimini eam, id eſt, vndique obſidione cingite eam. *Narrate in turribus eius*) conſtructio Hebræa eſt, pro *Narrate turres eius*. Narrare vero, pro Numerare, id eſt, perdere, et e medio tollere, poſitum eſt. Numerate, inquit, id eſt, deſtruite turres eius. *Ponite corda veſtra &c.*) Cor pro viribus et robore, vt diximus, appellatur: & virtus, pro arce fortiſsima:

ma: quaſi dicat, adhibete vires omnes ad euertendas munitiones eius, præſertim arcem eius. Diſtribuite domos eius, id eſt, diruite palatia eius, vt enarretis in progenie altera, hoc eſt, vt tam pulchrum facinus narretur futuris ſæculis. Et quoniã familiare eſt ſanctis vatibus ſub nomine Hieruſalem intelligere Eccleſiam Chriſti, tenetq. typum populi Chriſtianorũ; de ipſa Chriſti Eccleſia oportet locum intelligere, eadem ironia elegantiſſima manente ad hoſtes Eccleſiæ, qui ſunt infideles, et hæretici, variis modis, et mille nocendi artibus impugnantes Chriſti Eccleſiam, deſtruere conantes, et funditus delere. Eſt ergo Sarcaſmos, Eia gentes infideles, atq. potentiſsimæ, agite; eia hæretici omnes fœdere inito inſurgite veſtra magna potentia in Eccleſiam Chriſti, euertite illam, funditus delete. An poterit tantæ potentiæ illa reſiſtere? Sic Regius Vates Dauid eleganter irridet impios, et irritos conatus infidelium, et hæreticorum contra Eccleſiam Chriſti, cum ſit firmiſsima Chriſti promiſsio, *Matth.* 16.*c.* Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Poteſt hæc aduerſa pati, ſed non peribit, quamdiu orbis conſtiterit. Vtuntur non raro hac figura dicendi, quam Sarcaſmon eſſe diximus, auctores profani. *Quoniam hic eſt Deus &c.*) Hoc poſtremum carmen, poſt ironiam, ad hoſtes Eccleſiæ, ex propria ſententia eximii Vatis Dauid dictum eſt. *Quo-*

niam,

uiam, ponitur pro *Certe*, quod aliquãdo fit in litteris Sacris. Aperit vero hoc carmine Regius Vates ſe per ironiã fuiſſe locutum, ac ſi dicat, Quid inſanitis hoſtes populi Dei, qui exiſtimatis poſſe funditus delere illũ, quid moli mini aduerſus Eccleſiam Chriſti? Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus. *Pſal.* 67. *b.* Cõgregamini, et vincimini, accingite vos, et vincimini; inite cõſilium, et diſſipabitur; quia nobiſcum Deus. *Iſa.* 8. *b.* Certe fruſtra laboratis, dum conamini delere Eccleſiam Chriſti, et nomen Chriſtianum extinguere. Habet enim ipſa Chriſti Eccleſia protectorem Deum Opt. Max. qui pollicitus eſt ſe illius defenſorem futurum, illamq. numquam extinguendam vſque ad ſæculi conſummationem.

Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam de medio ſinu tuo in finem? *Pſal.* 73.

CAPVT XX.

AD huius loci germanã intelligentiam quædam oportet obſeruare ex vſu Sacrorum Scriptorum, ac proprietate ſermonis Hebræi petita. Ac primum quidem illud non eſt omittẽdum, Hebræos dicere *Ad quid*,

pro *Cur*, quod Vulgatus Interpres Pſalmorũ ſolet vertere *Vt quid.* vt *Pſalm.* 4. Vt quid diligitis vanitatem? Et *Pſal.* 87. *b.* Vt quid Domine repellis orationem meam? Et *Pſal.* 79. *a.* Vt quid deſtruxiſti maceriam eius? Et *Pſal.* 9. *b.* Vt quid Domine receſsiſti longe? Et *Pſal.* 73. *a.* Vt quid Deus repuliſti *nos, vt quid contra nos* iratus es in finem? id eſt, vehemẽter. Sed quod maiorem habet difficultatem, illud eſt, *Auertis manum tuam, & dexteram tuam.* Nam plerique putant, appoſitum *Manum tuam,* pendere a verbo *Auertendi.* Nec mirum, falletur enim vel doctiſsimus quiſque, niſi proprietatum loquendi Sacræ Scripturæ ex idiomate Hebræo emanantium, fuerit callentiſsimus et vigilantiſsimus indagator, atque in ea re fuerit aſsiduus. Conſueuerunt autem Scriptores ſacri aliquando reticere ſuppoſitũ, vel appoſitum verbi, quod ſubaudire oportet, quod ſit verbo cõgruens iuxta vſum Scripturarum, et argumento conueniens. Hoc alibi obſeruamus, multis Sacrarum litterarum inductis teſtimoniis, quorum pauca in præſentia cõmemorabo, quæ huic loco ſunt accõmoda. vt *Pſal.* 88. *e.* Vſque quo Domine auertis in finem? Vbi oportet ſubaudire appoſitum hoc modo. Vſque quo Domine auertis *faciem tuam a nobis* in finem? id eſt, Vſque quo tandem iratus es nobis? Et *Amos* 9. *c.* Concutiam in omnibus gentibus domum Iſrael, ſicut concutitur *triticum* in cribro. Et

2.*Co-*

2. *Corin.* 5. *c.* Et ſi cognouimus ſecundum carnem *prius quam cognoſceremus* Chriſtum: ſed nunc iam non nouimus. Hoc eſt, Quod ſi diligebamus, et æſtimabamus ea quæ ſunt ſecundum carnem, ſiue carnalia, id eſt temporalia, cũ nondum Chriſti notitiam haberemus: ſed iam non illa temporalia diligere debemus. Et *Lucæ* 12. *a.* Timete eum qui poſtquam occiderit *corpus*, habet poteſtatem mittere *animam* in gehennam. Sicut vero diximus, Hebræos non raro reticere ſuppoſitum, vel appoſitum verbi, quod oporteat ſubintelligere: ita modo dicimus, æque illos ex proprietate linguæ ſuę, aliquando reticere ipſum verbum, quod oporteat nos ſubaudire, quod ſit conueniens propoſito argumento, vt hoc loco ſubaudiẽdum eſt verbum *Extrahe*. Manum tuam et dexteram tuam dixit, cum manus, vel ambas manus dicere vellet. Solet enim ſermo Hebræus dextro latere nominato ſiniſtrum reticere, et ſubintelligendũ relinquere, vt *Pſal.* 90. *a.* Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis, pro eo quod eſt, a dextris et a ſiniſtris. Et *Pſal.* 141. Conſiderabam ad dexteram, pro eo quod eſt, ad dexteram et ad ſiniſtram. De medio ſinu tuo, ex idiomate Hebręo dictum eſt, quod nihil aliud ſonat quam ſi tantum diceretur, De ſinu. Nam inter voces quaſdam quę ſæpe apud Hebræos redundant in ſerie orationis ex proprietate linguæ, vox *Medium* computanda eſt. *In finem*, pro

tandem, ponitur hoc loco, et aliis in locis, vt *Pſal.* 88.*e.* Vſque quò Domine auertis in finem? ſicut Hiſpane dicimus *en fin*, ſitque inuerſio illius. Nam verbo Extrahendi apponendum eſt In finem. Itaque ſubintellectis iis quæ diximus, ſic habet hoc carmen. Vt quid auertis *faciem tuam a nobis? Quin potius extrahe* tandem manum tuam et dexterā tuam, ſiue manus tuas de ſinu tuo. Eodem genere locutionis vtitur lingua Hiſpana, *Sacad las manos del ſeno, haſta quādo haueys de tener las manos en el ſeno? ſacaldas ya, y echa mano*. Impugna impugnantes me, apprehende arma et ſcutum, et exurge in adiutorium nobis. Effunde frameam, et cōclude aduerſus eos qui perſequuntur nos. *Pſal.* 34. Cur (ait Propheta) iratus es nobis Domine? Cur auertis manum tuam a nobis? id eſt, cur nobis denegas auxilium tuū? Eſt enim auertere manum, auxilium denegare. Quin potius, depoſita ira, extende manus tuas ad auxilium noſtrum, quas hucuſque retraxiſti, et (vt ſolent homines qui omnia miſſa faciunt, et nihil efficere volunt) in ſinu locaſſe videris. Diſcat ex iis quę diximus, diligens lector Sanctarum Scripturarum, frequenter oportere voces aliquot ſubaudire. Nec id vitio dandum, nec id eſſe Sacras Litteras corrumpere, ſi tamen rite fiat, iuxta conſuetudinem loquendi Scriptorum Sacrorum, qui in quibuſdam locis reticent quaſdam voces, quas aliis locis, in huiuſmodi phra-

di phraſibus exprimunt. Qua in re multum iuuat obſeruare proprietates loquendi Hebraicæ linguæ. Quod ſi fiat, non elicietur ſenſus contrarius alii loco Sacræ Paginę, aut ſanctionibus Eccleſiæ, et Sacrorum Conciliorum. Qua in re magna eſt cautio adhibenda. Ex idiomate ergo Hebræorum frequenter Scriptores Sacri quædam reticent, quæ nos oportet ſubaudire. Itaq. ait Propheta Dauid, *Vt quid auertis manum tuam?* id eſt ſubtrahis auxilium a nobis? Hiſpane, *alçays la mano de noſotros.* et (id eſt, quin potius) *profer* tandem dexteram tuam de ſinu. Itaque *Et*, pro *Imo*, vel *Quin potius*, hoc loco accipi poteſt. Ponitur enim in arcanis litteris, ex proprietate ſermonis Hebræi (vt ſæpe a nobis dictum eſt) vice multarũ particularum. Sic *Et*, ponitur pro *Imo*, *Ioan.* 5. *d.* Venit hora, et nunc eſt, pro Imo adeſt, quando mortui audient vocẽ filii Dei, et qui audierint, viuent. Eſt autẽ ſermo de mortuis in peccatis, qui fide audiẽtes verba Euãgelii, et opere ea explentes, ad vitam animę ſuſcitãtur.

Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis in menſura? Pſal. 79. a.

ET

In menſura contra menſuram cum abiecta fuerit, iudicabis eam. Iſa. 27. b.

CAP. XXI.

C*ibabis)* Repetendum eſt ex verſu præcedenti aduerbium temporis *Quouſque.* Panem lacrymarum vocat victum multo labore partum, vel victũ non ſine lacrymis ſumptum, ſicut alio Pſalmo vocat Panem doloris. Cibus, inquit, et potus non ſine multo labore nobis obtingit, cibum et potum multó cum dolore capimus, ſatiati ſumus malis. Sic Iſaias. *cap.* 30. *e.* Panem arctum, et aquam breuem vocat. Quouſque, ait, cibabis nos pane lacrymarum? Quouſque cibus noſter et potus, erunt lacrymæ? Sic alibi, Fuerunt mihi lacrymæ panes die ac nocte. Quouſque tandem affliges nos pondere malorum, iuxta grauitatem ſcelerum noſtrorum rationẽ expoſcens? Si iniquitates obſeruaueris Domine, *Pſal.* 129. Domine quis ſuſtinebit? *In menſura)* Scio quam varie interpretes hęc verba tranſtulerint, alii hoc, alii illud ſubintelligentes. Sed germanus ſenſus eſt quẽ vulgatus interpres innuit (ſi verba eius recte intelligantur) vertens vt eſt in Hebræo, nihil addens, aut demens. In menſura, id eſt, ad menſurám, vel iuxta menſuram, ſcilicet iniquitatum noſtrarũ. Numquid ſecundum peccata noſtra facies nobis? et iuxta delictorum menſuram *Deut.* 25. *a.* erit plagarum modus? Eodem genere locutionis in eadem ſignificatione vſus eſt Sanctus Propheta Iſa-

ta Iſaias *cap.* 28. *d.* Ponam (inquit Dominus ad homines ſceleratos de populo Iudæorum) in pondere iudicium, et iuſtitiam in menſura. hoc eſt, oſtendam vobis vltionem iuxta menſuram ſcelerum veſtrorum, ſumam ſuppliciũ de vobis, quod merentur ſcelera veſtra. Nam hoc loco Iſaiæ *Iudicium*, et *Iuſtitia*, pro vindicta et ſupplicio vſurpantur; et *In*, ponitur bis pro *Iuxta*. Oſtendam, inquit, vobis vltionẽ iuxta pondus, quod frequentius dicimus iuxta menſuram (vt ſtatim ait Propheta) peccatorum veſtrorum. Similis locus eſt apud Iſaiam *cap.* 27. *b. in menſura contra menſuram, cum abiecta fuerit, iudicabit eam.* Alii aliter vertunt hunc locum Iſaiæ, ſed aptiorem ſenſum reddit vulgatus interpres. *In menſura*, id eſt, *ad menſuram*, vel *iuxta menſuram*, ſcilicet vindictæ redditæ ab hoſtibus vineæ Domini. Sicut egerunt hoſtes cum populo Dei, ita aget Dominus cum illis. *Contra* pro *Vltra* accipi videtur (eſt enim frequens abuſus præpoſitionũ apud Hebræos, ita vt ſæpe vnam, pro alia multum diuerſa accipiant) et ſubaudienda eſt particula *Imo*, vel coniunctio *Et*, pro *Imo* accipienda ex Hebraiſmo, vt ſit ſenſus. Animaduertet Dominus in hoſtes populi ſui, iuxta menſuram malorum quæ populo eius irrogarunt. imo vltra menſuram: ſicut Hiſpane dicimus. *y aun con las ſetenas.* Grauius animaduertet Dominus in gentes, quæ afflixerunt populum eius, quam

ipſæ egerunt cum illo. *Cum abiecta fuerit*, ſcilicet vinea Domini (nam de hac eſt ſermo Prophetæ) id eſt, cum fuerit vaſtata ab hoſtibus, iudicabit eam Dominus, id eſt, vindicabit eam. Nam *Iudicare* aliquando ponitur pro *Vindicare*. Cum abiecta, id eſt, *diſſipata* fuerit vinea Domini, iudicabit, vel vindicabit eam. Si vinea Domini, inquit, abiecta, vel vaſtata fuerit ab hoſte, Dominus iudicabit eam, ſæuiens in hoſtem, idque in menſura, vel iuxta menſuram. hoc eſt, reddet Dominus hoſti parem vicem, vt tam graui plaga afficiat illum, quanta ipſe hoſtis afflixit populum eius. Iuxta menſuram ergo reddet illi Dominus, imo vltra menſuram. Sic loqui ſolent Scriptores Sacri, Reddere duplum, vel ſeptuplum.

Fundamenta eius in montibus ſanctis: diligit Dñs portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob.

Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei.

Memor ero Raab, & Babylonis ſcientium me.

Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethiopum, hi fuerunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, & homo natus eſt in ea: & ipſe fundauit eam altiſſimus?

Domi-

Dominus narrabit in Scripturis populorum &
Principum: horum, qui fuerunt in ea.

Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.
Pſal. 86.

CAPVT XXII.

PSALMVS hic de Chriſti Eccleſia eſt, quã more Prophetarum Sanctus Regius Vates Dauid adumbrat ſub nomine Sion. *Fundamenta eius &c.)* Inuerſio verborum eſt, qua frequenter vtuntur Scriptores Sacri ex proprietate linguæ ſuæ. Diligit, inquit, Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob, cuius quidem Sion fundamenta ſunt in montibus Sanctis. *Porta*, et *Tabernacula* pro *Ciuitatibus* appellantur. Vtrumq. frequens eſt in Scripturis Sanctis. Portas ergo Sion appellat Propheta ciuitatem Sion, ſiue Ieruſalem; et Tabernacula Iacob, reliquas ciuitates terræ Iſrael. *Diligere* pro *Eligere* poſitum eſt. Elegit, inquit, Dominus ciuitatem Ieruſalem, vt in ea templum ſibi conſtrueretur, vbi ſanctiſsimum nomẽ eius ſacrificiis legis coleretur, hymnis et canticis inuocaretur. Ad hoc elegit Dominus ciuitatẽ Ieruſalem præ cęteris aliis ciuitatibus regni Iudæorum, quæ fundata eſt in montibus Sanctis. Nam in Moria fundatum erat templum Domini, et in monte

Sion fundata erat Regia. Hos montes vocat Propheta, Sanctos, quia alterum, nempe Moriam, ſua apparitione velut ſacrauit Deus, cum (iuxta doctiſsimorum virorum ſententiam) apparuit Abrahæ, et in eo monte iuſsit ſibi immolari Iſaac, in eoq. conſtructum eſt templum ſanctum Domini. Adde, quod Sanctum aliquando vocatur quod magnũ et excellens eſt in genere ſuo, ſicut Latini vocant os ſacrum. *Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei)* Præclara, inquit, dicta ſunt de te, ſcilicet a Sacris Vatibus, qui ſpiritu Dei afflati, opes ſpirituales, et copiam bonorum ſpiritualium quę in Eccleſia Chriſti futura eſſent, cecinerunt; illius futuram felicitatem multis encomiis celebrarunt, variis rerum et verborum figuris adumbrarunt. Pręclara ſunt et ſublimia quę Sancti vates afflati diuino ſpiritu, prædixerunt Chriſti Eccleſiam habituram: et ipſam variis chariſmatibus, et Spiritus ſancti diſtributionibus, multiplici gratia et exuberanti, ornandam, variis rerum et verborum inuolucris adumbrarunt: ornandam, et Regum et gentium acceſſione augendam et amplificandam, diuerſis typis et rerum imaginibus prædicarunt. An non illud glorioſum eſt, Ambulabunt gentes in lumine tuo, id eſt, *coram te:* et Reges in ſplendore ortus tui? *Iſa. 60. a.* quaſi dicat, Seruient tibi reges et nationes, et Leua in circuitu oculos tuos, et vide, omnes iſti venerunt tibi, id eſt, venient ad te.

ad te. Filii tui de longe venient, et reges eorum miniſtra bunt tibi, et aperientur portæ tuæ iugiter, et Gloria Libani ad te veniet, et adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, et Suges lac gentium et mamilla Regum lactaberis. An non glorioſum eſt illud, Viuo ego, dicit Dominus, quia omnibus his (deſignantur diuerſa orbis regna cum Regibus et populis eorum) velut ornamento veſtieris: et erunt Reges nutricii tui, et Reginæ nutrices tuæ, vultu in terra demiſſo adorabunt te? Latiſsimus patet campus ad dicendum *de las grandezas* Eccleſiæ Chriſti. Multa enim de hac re mentio eſt apud Sanctos Prophetas. Magna itaque et præclara de te, Ieruſalem, prædicari poſsunt, quę te mirifice illuſtrant. Sed illud prę aliis longe ampliſsimũ eſt, quod te Deus elegit in ſuam, in qua nomen eius laudaretur, prę aliis ciuitatibus populi Iſrael. Glorioſa ergo dicta ſunt de te. Quo loco agit Regius Vates de gloria et felicitate futura Eccleſiæ Chriſti, ſicut dictum eſt. Multa de hac re, præter ea quæ diximus, apud omnes fere Prophetas, et paſsim apud Iſaiam. Huiuſmodi vaticiniis congruunt quæ dicuntur in Apocalypſi *cap.* 12. & 21. De hac re eſt illud *Lucæ* 1. *d.* Regnabit in domo Iacob in æternum, et Regni eius non erit finis; et illud præclarum encomium, Chriſti ore atteſtatum, *Matth.* 16. Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Glorioſa

dicta

dicta ſunt de te, ciuitas Dei, ſiue Eccleſia Chriſti. De hac Eccleſiæ gloria dictum eſt *Iſa.61.b.* Eris corona gloriæ in manu Domini, id eſt, Regnum glorioſum et feliciſſimum auxilio diuino. Vel *et eris* in manu Domini, ſiue coram Domino, hoc eſt, ſemper tibi aderit et fauebit Dominus, ſemper proteget, ſemper curã tui geret, numquam te deſeret, variis modis amplificabit te, beneficiis augebit, cumulabit bonis. Nam phraſes Hebrææ ſunt *Eſſe in manu*, pro *eſſe coram*; et *eſſe coram Domino*, pro *eſſe illi curæ*. Erisq. inquit, diadema Regni, ſiue Regnum Regni (nam Diadema, quod ſit Symbolum Regni, pro Regno appellatur) hoc eſt, Regnum florẽtiſsimum, et feliciſſimum, abundans opibus ſpiritualibus. Glorioſa ergo dicta ſunt de te etc. *Dicere* pro *promittere* poſitum exiſtimo, et *De te*, pro *Tibi*, vt ſæpe loquuntur Hebræi. Magna (inquit Propheta Dauid, Chriſti Eccleſiã alloquens ſub nomine et typo Ieruſalem) et præclara tibi promiſſa ſunt, ſcilicet a Deo per Prophetas. Sion vero, ſiue Ieruſalem; notiſsimum eſt paſsim in Prophetis typum habere Eccleſiæ Chriſti. Quare ad Eccleſiam ſub nomine Sion, ſermonem dirigens Propheta ait, Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei. Nam præclara cecinerunt Sancti Prophetæ de Eccleſia Chriſti, de opibus ſpiritualibus illius, de eius perpetuitate vſque ad ſæculi conſummationem, deque illius multiplici felicitate. Nam Iſaias ita cecinit

cinit

cinit *cap.* 61.*b.* Fortitudinem gentium comedetis, et in gloria eorum ſuperbietis. et *omnes gentes* laudabunt partem, id eſt *populum* eorũ, quaſi dicat, omnes prędicabunt felicem populum Chriſtianorum, et fœdus perpetuum feriam eis, et ſcietur in gentibus nomen eorũ, et germen eorum in medio populorum. Omnes enim qui viderint eos, cognoſcent illos, *et dicent*, Iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus. Et dabo opus eorum in veritate, hoc eſt, dabo eis opes veras, ſtabiles, ſiue maximas, ampliſſimas, et veras diuitias. Intelligit vero opes ſpirituales. Et *Ioe.* 3.*d.* In die illa ſtillabunt montes dulcedinem, colles fluent lacte, et per omnes riuos Iuda ibũt aquæ. Et *Ioel.* 2.*g.* Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem. Carnem dixit pro gente et populo, quod non eſt alienum ab vſu Sanctarum Scripturarum, et ſermonis Hebræi. Omnem vero carnem dixit phraſi etiam Scripturarum, pro populo electo et gente beata, intelligens nimirum populum Chriſtianorum, de quo Regius Vates Dauid ait, Beatus populus cuius Dominus Deus eius. Spiritum meum, inquit, ecce opes ſpirituales etc. *Memor ero Raab etc.*) Regius Vates Dauid inducit hoc carmine Deum loquentem. Solent enim Sacri Vates varias perſonas loquentes inducere, vtique mutatione (et quidem ſubita) perſonarum loquentium. Efficiam, inquit, vt Aegyptii (qui nomine Raab ſignificantur) et Babylonii

lonii inter ſcientes, ſiue colētes me annumerentur, quaſi dicat, Aegyptios et Babylonios adducam ad culturam nominis mei, eruntque de populo Chriſtianorum. Adducam etiam ad Euangelium alienigenas (id eſt Philiſtæos. Nam omnes interpretes vertūt Philiſtæam, vel Palæſtinam) Tyrios, et Aethiopes, hi enim omnes fuerunt illic, id eſt, venient ad eam, nempe ad Ieruſalem, ſiue Eccleſiam, cuius typum gerit Ieruſalem. Præteritum more Prophetico, more etiam Hebræorum, poſitum eſt pro futuro. Poniturque *Eſſe* pro *Ire* vel *Venire*. Et paulo poſt, *Qui fuerunt in ea*, quod aliquando contingit in Sacris Litteris ex idiomate Hebraico, vt alibi obſeruamus, aliquot teſtimoniis inductis. Omnes gētes, inquit, ibunt, vel venient ad Eccleſiam Chriſti, adiungētur populo Chriſtianorum, vt dictum eſt *Iſaiæ*. 2. *a*. Fluent ad eum omnes gentes. *Illic* ponitur pro *Illuc*, id eſt ad eam; niſi malis ita exponere, *Illic*, id eſt, *in ea*, ſcilicet Ieruſalem. Erunt in ea, vel coram ea, quod eſt, ſeruient illi. Deum vero memorem eſſe, vel recordari, eſt fauere, & beneficiis augere. Oportetq. ſubaudire particulam ſimilitudinis, quæ ipſam rei veritatem, non ſimilitudinem, dicat. vt *Ioa*. 1. *b*. Gloriam quaſi vnigeniti a Patre. Ita hoc loco ait Deus, Temporibus illis Aegyptios et Chaldæos (per quos oportet intelligere omnes gentes) locupletabo opibus, videlicet ſpiritualibus, quaſi ſcientes me

tes me

tes me, cognoſcentes, id eſt diligentes. Adducā Aegyptios et Babylonios ad gremium Eccleſiæ, adiungam eos Iſraelitis me colentibus, ait Dominus, efficiam vt ſint de numero colentium me, vt ſint pars populi mei, et ſint de populo meo. Aegyptios et Chaldæos (tunc potentiſsimas orbis nationes, et maxime infenſas populo Dei) adducam ad populum meum, adiungam colentibus me, vt ſint pars populi mei. Fortaſsis eſt inuerſio verborum, qua Scriptores Sacri non raro vtuntur, ex conſuetudine linguæ ſuæ. Ita ergo dictum eſt, pro eo quod eſt, Memores mei erunt Raab et Babylon, et ſcient, vel cognoſcent me, ſiue me colent relictis Idolis. Nam memores eſſe homines Dei, phraſi Hebræorum ſignificat eius eſſe cultores. *Numquid Sion dicet: Homo, et homo, etc.)* Inter cetera vero, inquit Regius vates Dauid, quæ a Prophetis prædicta ſunt de felicitate Eccleſiæ Chriſti, hoc vnum dictum eſt, *Homo, et homo natus eſt in ea.* Præteritum poſitum eſt pro Futuro, more prophetico. *Sion dicet*, conſtructio Hebræa eſt *Dicere alicui*, pro *Dicere de aliquo*: ita hoc loco, *Sion dicet*, pro *de Sion dicetur*, poſitum eſt. Rurſus *Dicetur*, pro *Dici poteſt*, ex proprietate ſermonis Hebræi. Vel *dicetur*, pro *dictum eſt*, videlicet a Sanctis Prophetis, quod gens et gens, hoc eſt, omnes gentes venient ad eam. Hoc enim eſt quod dixerat Regius vates, Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei.

In-

Inquit ergo nūc. Dictum eſt a ſanctis Vatibus *quod* homo et homo natus eſt in ea, et *quod* Altiſſimus fundauit eam. *Homo* ponitur hoc loco pro gente et populo. quod non raro contingit in Sacris litteris. Eſt etiam idioma Hebræum, Scriptoribus Sacris non inuſitatum, *Homo, et homo*, ſiue *Gens et gens*, pro *omnes gentes*. Eſt et Hebraiſmus. *Et eam* pro *Quam*. *Naſci* pro *reiuueneſcere*, vel *renaſci* poſitum eſt, ſcilicet per gratiam, et filium adoptionis fieri, iuxta verbum Chriſti, *Ioa.* 3. *b.* Niſi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto etc. Cum ergo Vates Regius prædicit gentes in Ieruſalem, quæ typum gerit Eccleſiæ Chriſti, naſcituras, diuino afflatus ſpiritu: de natiuitate ſpirituali intelligit, de qua loquitur Chriſtus Seruator noſter Nicodemo, *Ioa.* 3. *a.* dicens, Niſi quis renatus fuerit denuo: non poteſt videre regnum Dei. De qua etiam natiuitate dictum eſt *Ioa.* 1. *b.* Qui non ex ſanguinibus, neq. ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Quaſi ergo Sanctus Vates Dauid audiret hęc Chriſtum loquentem: ita vaticiniū texit de natiuitate ſpirituali, in Eccleſia Chriſti futura, eodem verbo Naſcendi vſus. Nam eſt quædam regeneratio ſpiritualis, qua qui erat filius iræ, fit filius Eccleſiæ, ac Dei. Vel *Naſci* ponitur pro *venire* et *ambulare*, ſicut e contrario *Ioa.* 1. *b.* Venire in mundum, dictum eſt pro naſci in mundo. Populi gentiū venient

ad eam

ad eam, vel ambulabunt coram ea, id eſt, ſeruient ei. Vel *Naſci* eodem ſenſu ponitur pro *viuere*. Viuent in ea, vel coram ea, hoc eſt, ſeruient ei, viuent ſub legibus Eccleſiæ. Itaque Homo et homo natus eſt in ea, id eſt, omnes gentes venient ad eam, nempe Eccleſiam Chriſti; omnes gentes erunt filii Eccleſiæ, ſuſcipient doctrinam et leges eius ſanctiſsimas, obedient illi, iugo eius et imperio colla ſubmittent. *Et ipſe fundauit eam Altiſsimus)* Eccleſiam Chriſti dicitur fundaſſe Altiſsimus, quia Chriſtus verus Deus, eſt illius fundator et fundamentum. 1. *Corin.* 3: *b.* et *Apoca.* 21. *a. Et*, pro *Quia* accipi videtur ex idiomate Hebræo. Præterea *Fundare* ponitur pro *protegere* et *principem eſſe*, quia quiſque princeps, dominus, ac protector eſt eius ædificii quod fundauit. *Et eam*, id eſt *quã. Dominus narrabit in ſcripturis etc.)* Semper hoc carmen difficile iudicaui, nec aliquid vmquam legere contigit, aut meo ingenio inuenire potui, quod animo meo ſatisfaceret. Nunc vero velut aliud agenti ſeſe mihi obtulit, quod ego non alienum puto a germano ſenſu huius loci. Mea ergo ſententia hæc eſt. *Scriptura* pro *prophetia* appellatur, ſicut in Symbolo Apoſtolorum, Reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas. *Narrare* pro *Annumerare* poſitum videtur, ſicut quidam vertũt illud *Pſal.* 47. Narrate in turribus eius. Illud vero *In Scripturis*, per parentheſim legendum eſt, niſi malis

per antapodoſin referre ad id quod præceſsit, *Sion dicet*, pro *De Sion dicetur*, ſiue *dictũ eſt* in Scripturis, vt ſit ſenſus. De Sion dictum eſt in prophetiis et vaticiniis Prophetarum, quod gentes omnes accurrent ad eam. *Eſſe* etiam hoc verſu, quemadmodum et in præcedentibus, pro *Ire* poſitum eſt. erit ergo ſenſus. Dominus (in Scripturis; id eſt iuxta vaticinia Prophetarum) annumerabit (ſcilicet cum colentibus eum, vel adiunget populo ſuo) Principes ſiue Reges, et horum populos, qui *omnes* venient ad eam. Præteritum *Fuerunt*, ponitur pro futuro more Hebræo. Genitiuus vero *Populorum* et *Principum*, ex idiomate etiam Hebræo, ponitur pro Auferendi caſu cum præpoſitione. Dominus, inquit, in prophetiis, ſcilicet Sanctorum Prophetarum, mentionem fecit de gẽtibus omnibus, et Regibus earum, quod omnes ſimul venient ad Sion. Dominus conteſtatus eſt, inquit, per prophetias Prophetarum de Principibus et populis eorum, quod venient ad eam, nempe ad Sion, quæ typum tenet Eccleſiæ Chriſti. Sancti Prophetæ ſpiritu Dei pleni, Reges cum populis et nationibus ſibi ſubditis, tẽporibus illis feliciſſimis Meſſiæ, relicta Idolorum cultura, ſponte ſua Eccleſię Chriſti aggregandos prędixerunt in populum vnum Chriſtianorum. Et quidem pleni ſunt libri Prophetarum teſtimoniis et vaticiniis de vocatione gentium ad Eccleſiam et Euangelium Chri-
ſti.

ſti. Principes gentium,inquit,Regius Vates Dauid,venient in Ieruſalem,id eſt adhærebunt Eccleſiæ Chriſti, nam ita futurum pollicitus eſt Dominus, qui in vaticiniis Prophetarum,ſiue per Prophetas dixit de gentibus et principibus earum,quod venient ad eam, ſcilicet Ieruſalem, quæ(vt ſæpius diximus) typum gerit Eccleſiæ Chriſti. Fuerunt, vel erunt in ea, id eſt coram ea, hoc eſt,ſeruient Eccleſiæ Chriſti. Dominus,inquit,in Scripturis,vel prophetiis,ſcilicet Sanctorum Prophetarum facit mentionem de populis, et Regibus, quod ſint futuri coram ea. Eodem modo exponendum eſt quod ſequitur, *Sicut lætantium omnium habitatio in te*. Ait ergo Propheta ad Eccleſiam Chriſti(redit enim ad Apoſtrophen) ſub typo Ieruſalem,Reges potentiſsimi gentium habitabunt,vel erunt in te,id eſt coram te,quod eſt,ſeruient tibi. Id enim ſignificat huiuſmodi locutio. *Sicut lætantium omnium etc.*) Eſt ergo Apoſtrophe Regii Vatis Dauid ad ipſam Chriſti Eccleſiã,quæ ſummam Pſalmi complectitur,nẽpe Regum et gentium vocationem ad Euangelium. Quia vero appellatione letitiæ et gaudii,ſolent Scriptores Sacri ſignificare genus omne humanæ felicitatis: Lætantes dixit Regius vates,cum felices dicere vellet. Particula vero ſimilitudinis vim habet augendi,niſi ipſam veritatẽ exprimere malis, ſicut dictũ eſt *Ioan.* 1. *b.* Gloriam quaſi vnigeniti a patre. Eſt autem

Phraſis Hebræa, Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te, pro eo quod eſt, Sicut lętantes ſunt omnes qui habitãt in te, hoc eſt, vere felices ſunt qui ſunt intra Chriſti Eccleſiam Catholicam. Vere, ait, nimium felix eſt populus Chriſtianorum, qui tot, tantisque opibus ſpiritualibus ſit ditatus. Sic de eadem re loquens idem Propheta *Pſal.* 70.*c.* populum Chriſtianum vocat omnem generationem, id eſt gentem feliciſsimam, et ampliſsimis opibus (vtique ſpiritualibus) locupletatam. Donec, inquit, annunciem brachium tuum generationi omni quæ ventura eſt. Nam *omne* aliquãdo in Scripturis Sanctis, ex idiomate Hebræo, ſignificat id quod inſigne et magnum eſt in genere ſuo. Et *Pſal.* 32.*b.* et 143.*b.* Beatus populus, cuius dominus Deus eius. Sic Apoſt. *ad Hebræos cap.* 12.*f.* Eccleſiam primitiuorum, ſiue primogenitorum, id eſt Principum, vocat. Et D. Petrus Apoſtolorum Princeps in poſteriori ſua Canonica Regnum Sacerdotale, hoc eſt, Reges et Sacerdotes appellat eos qui ſunt intra Chriſti Eccleſiam. Et Sancti Prophetæ, tempora Meſsiæ, nouiſsimos dies, id eſt tẽpora feliciſſima appellarunt, deque illius felicitate et opibus ſpiritualibus multa cecinerũt, vt eſt illud *Pſal.* 35. Inebriabuntur ab vbertate domus tuę. Quod de Eccleſia Chriſti, quam Militantem vocamus, arbitror intelligendum. Vbertatem vocat copiam bonorum ſpiritualium, quibus

bus Chriſti fideles potiuntur. Qui ſunt, inquit, domus tuæ, vel de domo tua (quæ domus ſumus nos, vt ait Apoſtolus *ad Hebræos* 3.*a.*) inebriabūtur ab vbertate, ſiue ditabuntur copia bonorum ſpiritualium. Itaque ſicut Lætitia aliquando ponitur pro omni genere felicitatis humanæ: ita Lætantes vocantur hoc loco Potentes, Reges ſcilicet, et Principes orbis. Reges orbis, inquit, habitaturi, vel futuri ſunt in ea, id eſt coram ea, ſiue illi obſequentur. Eſt ergo vaticinium de vocatione gentium. Carmen hoc varie ab interpretibus conuerſum, commodius et aptius reddidit Vulgatus interpres.

Si oblitus fuero tui Ieruſalem, obliuioni detur dextera mea.
Adhæreat lingua mea faucibus meis: ſi non meminero tui.
Si non propoſuero Ieruſalem in principio lætitiæ meæ. Pſal. 136.

CAPVT XXIIII.

O*Bliuioni detur dextera mea.*) Quidam ita locum exponunt, vt Obliuioni detur dextera mea, ſit quod Hiſpane dicimus, *Paſmeſe mi mano derecha*, et mutus ſiam, ſi non meminero tui, in principio lætitiæ meæ. quaſi di-

os ſuum, id eſt, iniqui præ calamitatibus obmuteſcent. Et *Ier.* 8. *e.* Dominus Deus noſter ſilere nos fecit, id eſt, ad ſilentium redegit, et obmuteſcere fecit, et potum dedit nobis aquam fellis. Et *Amos* 5. *d.* In tempore illo prudens tacebit. quaſi dicat, Sapiẽtes, ſiue iudices, et viri principes populi, ad ſilentium redigentur, et obmuteſcent, quod eſt, præ malorum pondere profunda ſilentia ſeruabunt. Et 1 *Regum* 2. Impii in tenebris conticeſcent, hoc eſt, præ malis obmuteſcent. Et de Tyro euertenda dicitur *Ezech.* 27. *g.* Quæ eſt vt Tyrus, quæ obmutuit? *pro obmuteſcet.* Sic dictum eſt *Sap.* 10. *d.* Sapientia aperuit os mutorum. Mutos dixit pro afflictis Hebræis, ob afflictionẽ et duriſsimam ſeruitutem qua ab Aegyptiis premebãtur. Illis ergo vehemens dolor quo tenentur abſorpti, loquelam adimit. Aperuit itaque Dominus ora filiorum Iſrael obmuteſcentium: cum dolorem ademit, et illos exhilarauit, liberans a duriſsima ſeruitute. Hoc enim eſt Apetire os mutorum, nempe afflictos ab afflictione liberare. Tunc linguas infantium fecit diſertas. Repetitio eſt ſententiæ mutatis verbis. Eoſdem filios Iſrael vocat Infantes, quaſi imbelles, imbecilles, et nullius potentiæ præ potentia Aegyptiorum, erantque humiles, abiecti, et nullius æſtimationis, ſicut infantes, inter Aegyptios. Vel potius filii Iſrael appellantur infantes, quaſi obmuteſcentes (ſolent enim infantes ob-

 mu-

muteſcere quouſque vſus loquēdi aduenjat) id eſt, præ afflictione non loquentes. Horum linguas Dominus fecit diſertas, hoc eſt, tribuit illis ſermonem laudis, ampliſsimam ſegetem laudum ſuarum exhibuit. Idem ſignificat phraſis illa qua Regius Vates Dauid aliquando vtitur, Immiſit in os meum cāticum nouum, *Pſal.* 39.*a.* Eſt ergo Aperire os mutorum, afflictos ab afflictione liberare, vel inſigni aliquo beneficio ſuggerere argumētum et materiam ad laudes Diuinas decantandas. Hinc claudere ora laudantium Dominum, vt *Heſter* 14. *b.* et *Michææ* 2. *c.* A paruulis eorum tuliſtis laudem meam, quaſi diceret, Clauſiſtis ora laudātium me, id eſt, afflixiſtis cultores meos. Simile eſt illud *Pſal.* 8. Ex ore infantium et lactentium perfeciſti laudem. Infantes, quaſi loqui neſcientes præ ætate tenera, dixit pro mutis, vel obmuteſcentibus ob afflictionem. Hinc Tacere nōnumquam eſt eſſe in afflictione conſtitutum, vel grauia pati. vt *Oſeæ* 4. *b.* Nocte, id eſt, *plagis impoſitis*, tacere feci matrem tuam. Itaq. adhæreat lingua mea faucibus meis, idem eſt ac ſi dicat, ad ſilentium redigar præ malorum pondere, irruant in me aduerſa, calamitatum fluctibus obruar, affligar, animo ſim dolenti, id eſt, irruant in me mala quæ me vehementer affligant, ita vt ad ſilentium me redigant. *Si non propoſuero etc.* Proponere, eſt ob oculos ponere, et habere in conſpectu, quod eſt recor-

Inquit ergo nũc. Dictum eſt a ſanctis Vatibus *quod* homo et homo natus eſt in ea, et *quod* Altiſſimus fundauit eam. *Homo* ponitur hôc loco pro gente et populo: quod non raro contingit in Sacris litteris. Eſt etiam idioma Hebræum, Scriptoribus Sacris non inuſitatum, *Homo, et homo*, ſiue *Gens et gens*, pro *omnes gentes*. Eſt et Hebraiſmus: *Et eam* pro *Quam*. *Naſci* pro *reiuueneſcere*, vel *renaſci* poſitum eſt, ſcilicet per gratiam, et filium adoptionis fieri, iuxta verbum Chriſti, *Ioa*. 3. *b*. Niſi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto etc. Cum ergo Vates Regius prædicit gentes in Ieruſalem, quæ typum gerit Eccleſiæ Chriſti, naſcituras, diuino afflatus ſpiritu: de natiuitate ſpirituali intelligit, de qua loquitur Chriſtus Seruator noſter Nicodemo, *Ioa*. 3. *a*. dicens, Niſi quis renatus fuerit denuo: non poteſt videre regnum Dei. De qua etiam natiuitate dictum eſt *Ioa*. 1. *b*. Qui non ex ſanguinibus, neq. ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Quaſi ergo Sanctus Vates Dauid audiret hęc Chriſtum loquentem: ita vaticiniũ texit de natiuitate ſpirituali, in Eccleſia Chriſti futura, eodem verbo Naſcendi vſus. Nam eſt quædam regeneratio ſpiritualis, qua qui erat filius iræ, fit filius Eccleſiæ, ac Dei. Vel *Naſci* ponitur pro *venire* et *ambulare*, ſicut e contrario *Ioa*. 1. *b*. Venire in mundum, dictum eſt pro naſci in mundo. Populi gentiũ venient

ad eam, vel ambulabunt coram ea, id eſt, ſeruient ei. Vel *Naſci* eodem ſenſu ponitur pro *viuere*. Viuent in ea, vel coram ea, hoc eſt, ſeruient ei, viuent ſub legibus Eccleſiæ. Itaque Homo et homo natus eſt in ea, id eſt, omnes gentes venient ad eam, nempe Eccleſiam Chriſti; omnes gentes erunt filii Eccleſiæ, ſuſcipient doctrinam et leges eius ſanctiſsimas, obedient illi, iugo eius et imperio colla ſubmittent. *Et ipſe fundauit eam Altiſsimus.)* Eccleſiam Chriſti dicitur fundaſſe Altiſsimus, quia Chriſtus verus Deus, eſt illius fundator et fundamentum. 1. *Corin.* 3. *b*. et *Apoca*. 21. *a*. *Et*, pro *Quia* accipi videtur ex idiomate Hebræo. Præterea *Fundare* ponitur pro *protegere* et *principem eſſe*, quia quiſque princeps, dominus, ac protector eſt eius ædificii quod fundauit. *Et eam*, id eſt *quã*. *Dominus narrabit in ſcripturis etc.)* Semper hoc carmen difficile iudicaui, nec aliquid vmquam legere contigit, aut meo ingenio inuenire potui, quod animo meo ſatisfaceret. Nunc vero velut aliud agenti ſeſe mihi obtulit, quod ego non alienum puto a germano ſenſu huius loci. Mea ergo ſententia hæc eſt. *Scriptura* pro *prophetia* appellatur, ſicut in Symbolo Apoſtolorum, Reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas. *Narrare* pro *Annumerare* poſitum videtur, ſicut quidam vertũt illud *Pſal*. 47. Narrate in turribus eius. Illud vero *In Scripturis*, per parentheſim legendum eſt, niſi malis

g per

per antapodoſin referre ad id quod præceſsit, *Sion dicet*, pro *De Sion dicetur*, ſiue *dictū eſt* in Scripturis, vt ſit ſenſus. De Sion dictum eſt in prophetiis et vaticiniis Prophetarum, quod gentes omnes accurrent ad eam. *Eſſe* etiam hoc verſu, quemadmodum et in præcedentibus, pro *Ire* poſitum eſt. erit ergo ſenſus. Dominus (in Scripturis; id eſt iuxta vaticinia Prophetarum) annumerabit (ſcilicet cum colentibus eum, vel adiunget populo ſuo) Principes ſiue Reges, et horum populos, qui *omnes* venient ad eam. Præteritum *Fuerunt*, ponitur pro futuro more Hebræo. Genitiuus vero *Populorum* et *Principum*, ex idiomate etiam Hebræo, ponitur pro Auferendi caſu cum præpoſitione. Dominus, inquit, in prophetiis, ſcilicet Sanctorum Prophetarum, mentionem fecit de gētibus omnibus, et Regibus earum, quod omnes ſimul venient ad Sion. Dominus conteſtatus eſt, inquit, per prophetias Prophetarum de Principibus et populis eorum, quod venient ad eam, nempe ad Sion, quæ typum tenet Eccleſiæ Chriſti. Sancti Prophetæ ſpiritu Dei pleni, Reges cum populis et nationibus ſibi ſubditis, tēporibus illis feliciſſimis Meſſiæ, relicta Idolorum cultura, ſponte ſua Eccleſię Chriſti aggregandos prędixerunt in populum vnum Chriſtianorum. Et quidem pleni ſunt libri Prophetarum teſtimoniis et vaticiniis de vocatione gentium ad Eccleſiam et Euangelium Chriſti.

ſti.

ſti. Principes gentium,inquit,Regius Vates Dauid,venient in Ieruſalem,id eſt adhærebunt Eccleſiæ Chriſti, nam ita futurum pollicitus eſt Dominus, qui in vaticiniis Prophetarum,ſiue per Prophetas dixit de gentibus et principibus earum,quod venient ad eam, ſcilicet Ieruſalem, quæ(vt ſæpius diximus) typum gerit Eccleſiæ Chriſti. Fuerunt, vel erunt in ea, id eſt coram ea, hoc eſt,ſeruient Eccleſiæ Chriſti. Dominus,inquit,in Scripturis,vel prophetiis,ſcilicet Sanctorum Prophetarum facit mentionem de populis, et Regibus, quod ſint futuri coram ea. Eodem modo exponendum eſt quod ſequitur, *Sicut lætantium omnium habitatio in te*. Ait ergo Propheta ad Eccleſiam Chriſti(redit enim ad Apoſtrophen) ſub typo Ieruſalem,Reges potentiſsimi gentium habitabunt,vel erunt in te,id eſt coram te,quod eſt,ſeruient tibi. Id enim ſignificat huiuſmodi locutio. *Sicut lætantium omnium etc.*) Eſt ergo Apoſtrophe Regii Vatis Dauid ad ipſam Chriſti Eccleſiā,quæ ſummam Pſalmi complectitur, nēpe Regum et gentium vocationem ad Euangelium. Quia vero appellatione letitiæ et gaudii, ſolent Scriptores Sacri ſignificare genus omne humanæ felicitatis: Lætantes dixit Regius vates,cum felices dicere vellet. Particula vero ſimilitudinis vim habet augendi,niſi ipſam veritatē exprimere malis, ſicut dictū eſt *Ioan. 1.b.* Gloriam quaſi vnigeniti a patre. Eſt autem

Phraſis Hebræa, Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te, pro eo quod eſt, Sicut lętantes ſunt omnes qui habitāt in te, hoc eſt, vere felices ſunt qui ſunt intra Chriſti Eccleſiam Catholicam. Vere, ait, nimium felix eſt populus Chriſtianorum, qui tot, tantisque opibus ſpiritualibus ſit ditatus. Sic de eadem re loquens idem Propheta *Pſal.* 70.*c.* populum Chriſtianum vocat omnem generationem, id eſt gentem feliciſsimam, et ampliſsimis opibus (vtique ſpiritualibus) locupletatam. Donec, inquit, annunciem brachium tuum generationi omni quæ ventura eſt. Nam *omne* aliquādo in Scripturis Sanctis, ex idiomate Hebræo, ſignificat id quod inſigne et magnum eſt in genere ſuo. Et *Pſal.* 32.*b.* et 143.*b.* Beatus populus, cuius dominus Deus eius. Sic Apoſt. *ad Hebræos cap.* 12.*f.* Eccleſiam primitiuorum, ſiue primogenitorum, id eſt Principum, vocat. Et D. Petrus Apoſtolorum Princeps in poſteriori ſua Canonica Regnum Sacerdotale, hoc eſt, Reges et Sacerdotes appellat eos qui ſunt intra Chriſti Eccleſiam. Et Sancti Prophetæ, tempora Meſsiæ, nouiſsimos dies, id eſt tēpora feliciſſima appellarunt, deque illius felicitate et opibus ſpiritualibus multa cecinerūt, vt eſt illud *Pſal.* 35. Inebriabuntur ab vbertate domus tuę. Quod de Eccleſia Chriſti, quam Militantem vocamus, arbitror intelligendum. Vbertatem vocat copiam bonorum ſpiritualium, quibus

bus Chriſti fideles potiuntur. Qui ſunt, inquit, domus tuæ, vel de domo tua (quæ domus ſumus nos, vt ait Apoſtolus *ad Hebræos* 3.a.) inebriabūtur ab vbertate, ſiue ditabuntur copia bonorum ſpiritualium. Itaque ſicut Lætitia aliquando ponitur pro omni genere felicitatis humanæ: ita Lætantes vocantur hoc loco Potentes, Reges ſcilicet, et Principes orbis. Reges orbis, inquit, habitaturi, vel futuri ſunt in ea, id eſt coram ea, ſiue illi obſequentur. Eſt ergo vaticinium de vocatione gentium. Carmen hoc varie ab interpretibus conuerſum, commodius et aptius reddidit Vulgatus interpres.

Si oblitus fuero tui Ieruſalem, obliuioni detur dextera mea.
Adhæreat lingua mea faucibus meis: ſi non meminero tui.
Si non propoſuero Ieruſalem in principio lætitiæ meæ. Pſal. 136.

CAPVT XXIII.

Obliuioni detur dextera mea.) Quidam ita locum exponunt, vt Obliuioni detur dextera mea, ſit quod Hiſpane dicimus, *Paſmeſe mi mano derecha*, et mutus ſiam, ſi non meminero tui, in principio lætitiæ meæ. quaſi di-

ſi dicat, obmuteſcam, cum cœpero ad lyram canere, ſi non mentionem fecero Ieruſalem, initio cantici mei. Quaſi lætitiam appellet Propheta cantum, vel cantilenam, et muſicũ inſtrumentum. Si velim, inquit, aliquando ſolatium capere canendo et pulſando citharam, et initio cantici non fecero mentionem de te, o Ieruſalem; nec tuas laudes celebrauero, aut infelicem vaſtationem tuã in mentẽ non reduxerim: vtinã nec poſsim canere, nec pulſare inſtrumentum. Dextera oblita artis ſuæ neſciat tangere, et lingua adhæreat palato. Ita quidam interpretantur: ſed ego aliter locum explanãdum cenſeo. Nã quia quod perit, ſolet cito obliuioni tradi: Hebræus ſermo aliquid obliuioni tradi dicit, pro eo quod eſt, illud perire, vel e medio tolli. vt *Threnor.2.b.* Obliuioni tradidit Dñs, id eſt *abſtulit, et e medio tulit* feſtiuitatem, et ſabbatum, hoc eſt, permiſit e medio tolli feſtiuitates. Et *Iſa.65.c.* Obliuioni traditæ ſunt anguſtiæ priores, hoc eſt, abierunt, finem acceperunt. Et *cap.59.c.* Facta eſt veritas in obliuionem, quaſi dicat, Periit veritas, vel non eſt veritas in hominibus, et viget mendacium. Et *Eze.21.g.* Obliuioni traderis, quaſi diceret, peribis. Fortaſsis ſic illud intelligendum eſt, *Iſa.23.c.* In obliuione eris, id eſt *erũ vaſtata* o Tyre. Sic hoc loco obliuioni detur dextera mea, idem eſt quod pereat, euaneſcat, et ad nihilum redigatur mea felicitas. Nam dextera aliquando ge-

do genus omne felicitatis humanę ſignificat. vt 2. *Corint.* 6. *b.* Per arma iuſtitiæ a dextris, et a ſiniſtris, id eſt, per opera bona in proſperis, et aduerſis. *Adhæreat lingua mea faucibus meis*) Adhærere lingua dicitur faucibus, vel palato, pro non loqui et obmuteſcere, vt *Ezech.* 3. *g.* Adhęrebit lingua tua palato, et (pro id eſt) eris *velut* mutus, vel eris obmuteſcens. Non loqui vero, et obmuteſcere, aliquando eſt vehementer dolere, et grauia pati. Solet enim grauis calamitas ſilētium imponere, atque loquendi vſum adimere. Hinc obmuteſcere, Claudere os, Linguam adhærere palato, aliquando eſt grauiora pati, et vehementer eſſe afflictum. vt cum quis plagis maximis verberatus, eſt pæne emortuus, ſine vſu fere externorū ſenſuū. vt *Pſal.* 21. *c.* Lingua mea adhæſit faucibus meis, id eſt, præ graui afflictione obmutui, et in graui mærore, et maxima afflictione conſtitutus ſum. Et *Pſal.* 38. *b.* Nō aperui os meum, id eſt, præ graui afflictione obmutui. quoniam tu feciſti, hoc eſt grauiter me afflixiſti, graue ſupplicium ſumpſiſti de me. Hoc enim eſt aliquando Facere. Et *Pſal.* 62. Obſtructum eſt, pro *obſtruetur* os loquentium iniqua, id eſt, dabunt pœnas, et præ plagis obmuteſcent. Et *Pſal.* 106. *d.* Omnis iniquitas oppilabit os ſuum, hoc eſt, omnes gētes illæ impiæ vaſtatæ ſunt a populo Iſrael. Ponitur enim Futurum pro Præterito, more Hebræo. Et *Iob* 5. *c.* Iniquitas autem contrahet

os ſuum, id eſt, iniqui præ calamitatibus obmuteſcent. Et *Ier.* 8.*e.* Dominus Deus noſter ſilere nos fecit, id eſt, ad ſilentium redegit, et obmuteſcere fecit, et potum dedit nobis aquam fellis. Et *Amos* 5.*d.* In tempore illo prudens tacebit. quaſi dicat, Sapiētes, ſiue iudices, et viri principes populi, ad ſilentium redigentur, et obmuteſcent, quod eſt, præ malorum pondere profunda ſilentia ſeruabunt. Et 1. *Regum* 2. Impii in tenebris conticeſcent, hoc eſt, præ malis obmuteſcent. Et de Tyro euertenda dicitur *Ezech.* 27.*g.* Quæ eſt vt Tyrus, quæ obmutuit? *pro obmuteſcet.* Sic dictum eſt *Sap.* 10.*d.* Sapientia aperuit os mutorum. Mutos dixit pro afflictis Hebræis, ob afflictionē et durißimam ſeruitutem qua ab Aegyptiis premebātur. Illis ergo vehemens dolor quo tenentur abſorpti, loquelam adimit. Aperuit itaque Dominus ora filiorum Iſrael obmuteſcentium: cum dolorem ademit, et illos exhilarauit, liberans a durißima ſeruitute. Hoc enim eſt Apetire os mutorum, nempe afflictos ab afflictione liberare. Tunc linguas infantium fecit diſertas. Repetitio eſt ſententiæ mutatis verbis. Eoſdem filios Iſrael vocat Infantes, quaſi imbelles, imbecilles, et nullius potentiæ præ potentia Aegyptiorum, erantque humiles, abiecti, et nullius æſtimationis, ſicut infantes, inter Aegyptios. Vel potius filii Iſrael appellantur infantes, quaſi obmuteſcentes (ſolent enim infantes ob-

Digitized by Google

muteſcere quouſque vſus loquēdi aduenjat) id eſt, præ afflictione non loquentes. Horum linguas Dominus fecit diſertas, hoc eſt, tribuit illis ſermonem laudis, ampliſsimam ſegetem laudum ſuarum exhibuit. Idem ſignificat phraſis illa qua Regius Vates Dauid aliquando vtitur, Immiſit in os meum cāticum nouum, *Pſal. 39. a.* Eſt ergo Aperire os mutorum, afflictos ab afflictione liberare, vel inſigni aliquo beneficio ſuggerere argumētum et materiam ad laudes Diuinas decantandas. Hinc claudere ora laudantium Dominum, vt *Heſter* 14. *b.* et *Michææ* 2. *c.* A paruulis eorum tuliſtis laudem meam, quaſi diceret, Clauſiſtis ora laudātium me, id eſt, afflixiſtis cultores meos. Simile eſt illud *Pſal.* 8. Ex ore infantium et lactentium perfeciſti laudem. Infantes, quaſi loqui neſcientes præ ætate tenera, dixit pro mutis, vel obmuteſcentibus ob afflictionem. Hinc Tacere nōnunquam eſt eſſe in afflictione conſtitutum, vel grauia pati. vt *Oſeæ* 4. *b.* Nocte, id eſt, *plagis impoſitis*, tacere feci matrem tuam. Itaq. adhæreat lingua mea faucibus meis, idem eſt ac ſi dicat, ad ſilentium redigar præ malorum pondere, irruant in me aduerſa, calamitatum fluctibus obruar, affligar, animo ſim dolenti, id eſt, irruant in me mala quæ me vehementer affligant, ita vt ad ſilentium me redigant. (*Si non propoſuero etc.*) Proponere, eſt ob oculos ponere, et habere in conſpectu, quod eſt recor-

dari; quia id quod præſens habemus, recordamur illius. Proponere ergo pro Recordari poſitum eſt, ſicut ſimili phraſi dicunt Hebræi Ponere in corde. Itaque proponere Ieruſalem ob oculos, eſt habere vaſtationem Ieruſalem ob oculos, ſcilicet mentis, id eſt reminiſci. Multa, inquit, et ingentia mala me comprehendant, ſi in felicitate conſtitutus (ſi modo in poſtrema miſeria poſito quidquam felix euenire poteſt) oblitus fuero plagas, et calamitates grauiſsimas Ieruſalem, ſi non fuero recordatus Ieruſalem, etiam in lætitia magna, vel ſi res feliciſſimæ mihi obtingerent. Dolor enim vehemens, etiam cum læta ſunt omnia, et in lætitia magna, ob oculos mentis obuerſari ſolet. *In principio lætitiæ meæ*) Hebraiſmus eſſe videtur Principium lætitiæ, pro maxima lætitia. vt *Pſal.* 110. Initium ſapientiæ, pro vera, ſumma, et maxima ſapiẽtia. Niſi malis vt *In* hoc loco habeat vim ſimilitudinis, quod in aliis pleriſque locis ſacræ Paginæ contingit. quaſi diceret, ſi non æſtimauero Ieruſalem, vel ſi non recordatus fuero vaſtationis eius, tamquam præcipuæ partis meæ felicitatis.

Non enim impoſsibilis erat manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuiſa.

Sapient. 11. c.

CAP.

CAPVT XXIIII.

E*X materia inuiſa.)* Alii interpretes vertũt, Ex materia informi. Et quia forma, vt ait Ariſt. dat eſſe rei, informe vocatur quod nihil eſt. Creauit ergo Deus omnia ex inuiſa, ſiue informi materia, id eſt, ex nulla materia præexiſtenti, ex nihilo. Fortaſsis hæc ratio locum enarrandi, aliquibus non diſplicebit: ſed quod in mentem venit, mihi placet magis. Exiſtimo enim *Ex*, pro *Poſt*, accipi. Nam frequens eſt abuſus præpoſitionum, quo vna prępoſitio pro alia multum diuerſa poni tur in Scripturis Sanctis ex idiomate Hebræo, vt aliis in locis obſeruamus. Erit ergo ſenſus, Deus poſt materiã inuiſam, ſiue poſt creaturas inuiſibiles, nempe poſt Angelos, vel poſt materiã inuiſam, id eſt, poſt cælum, quod nobis non eſt conſpicuum: creauit orbem terræ. Primum enim creauit cælum, et poſt terram: iuxta illud, In principio creauit Deus cælum et terram. Eſt ergo abuſus præpoſitionis *Ex*, poſitæ pro *Cum*, more Hebræo; vel quod ego magis exiſtimo, eſt abuſus præpoſitionis *Ex*, poſitæ pro *Sine*, quæ aptiorem ſenſum reddit. Fuit quidem (vt ait Hiero. in Commentariis ſuper illud ad *Heb.* 11. *a.* Vt ex inuiſibilibus etc.) Chaldæorum veterum traditio, (quam Poeta Ouidius lib. 1. Metamor. ſecutus eſt) ante mundi creationem extitiſſe molem rudem,

dem, deformẽ (quia indigeſtam) in qua laterent omniũ rerum ſemina confuſa, quæ Chaos ſit appellata: ex qua poſtmodum res omnes fuerint productæ in ſuo ordine, cõſpicuæ, et oculis gratæ. Materiam ergo, vel Chaos inuiſam vocat Sapiens vultum illum deformem. Vtque hũc errorẽ excludat, ait orbẽ terræ, atque adeò vtramq. machinam fuiſſe a Deo conditam ex nihilo; ſine materia illa incompoſita præiacente. Alioquin certe verba ſunt perobſcura, quæ ſi quis duce Fide non attendat, exiſtimabit forſan Apoſtolum ſequi ſententiam Chaldęorum, et aliorum Philoſophorum, qui dixerunt, ante orbem conditum extitiſſe Chaos rude, inuiſibilem molem & incompoſitam; ex qua omnia fuerint producta; quemadmodum Poeta ingenioſus priori libro Metamorphoſeon meminit. Ac fortaſsis ſententiæ huic aſtipulari opinabitur illud eiuſdem Apoſtoli 2. *Corint.* 4. *b.* Qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, quaſi ſenſus eſſet, De tenebris, id eſt, de Chao, mole quidem rudi, tenebroſa, et confuſa, quaſi inde lux emerſerit. Quæ quidem verba Apoſtoli ſic ſunt intelligenda: vt *De* pro *In* accipiatur. Eſtque phraſis Hebræa In tenebris, pro eo quod eſt; Cum eſſent tenebræ, cùm tenebræ dominarentur, et incubarent globo illi terræ et aquæ; nondum creata luce; cùm omnia eſſent immerſa tenebris denſiſsimis, eſſentq. luce carentia. Lucem ſplendeſcere dictum eſt,

pro lucem ſplendidam eſſe, vel creari. Nam Infinitiuus vicem habet epitheti. In ipſa mundi creatione, ait Apoſtolus, cum omnia creata (videlicet Terra et Aqua) atra caligine eſſent cooperta; Deus iuſsit lucem ſubſiſtere et creari, quæ omnia illuminaret. In tenebris ergo, id eſt, cum eſſent tenebræ, ſcilicet ſuper terram vniuerſam ante Solem cōditum, *Gene.* 1. *a*. Huiuſmodi genus locutionis nō inuſitatum eſſe apud Scriptores Sacros alibi obſeruamus. Itaque ex materia inuiſa, id eſt, poſt machinam cæleſtem, creauit Deus orbem terræ, ſiue machinam terreſtrem. Et quidem *Ex* pro *Poſt*, vt dictum eſt, aliquando accipi in Scripturis Sanctis, ego non dubito, ſed loci memoriæ non occurrūt in preſentiarum. Similis huic locus eſt apud Apoſtolum *ad Heb. cap.* 11. *a*. Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei: vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent. Vbi ex abuſu prepoſitionis, *Ex* ponitur pro *In*, id eſt *Cum*. Credimus, inquit, imperio Dei vtramque machinam eſſe perfectam, et viſibilia ſimul cum inuiſibilibus facta eſſe. Nam verbo Dei facta ſunt quæ ſunt viſibilia machinę terreſtris, ſimul et inuiſibilia, et ea quæ non apparent oculis mortalium, quæ ſunt machinę cæleſtis. Et per Hebraiſmum dictum eſt *Vt fierēt*, pro *Et facta ſunt*. Poſſunt et hæc verba hac ratione explanari. Credimus, ait, verbo Dei facta eſſe omnia, et credimus quod verbo Dei ea quę prius erant inuiſibilia, id eſt

de-

Digitized by Google

deformia, (nempe terra et aqua)quia carebant luce, et tenebris denſiſsimis obſidebatur;facta ſunt viſibilia, id eſt,conſpicua,pulchra,et venuſtiſsima, ſcilicet per creationẽ lucis,quæ ea quæ erant in tenebris, effecit conſpicua. Quaſi dicas,Credimus verbo Dei creatã eſſe lucẽ, quę mirũ decorẽ attulit mundo,et rebus omnibus. Niſi malis(eodẽ ſenſu manente) vt denominatũ pro denominatione accipiatur, quaſi dicas,perſona pro re,id eſt Inuiſibilia,pro tenebris,quę rem faciunt inuiſibilẽ,vel non videri;et viſibilia,pro luce, quæ facit res conſpicuas. Et quidem,mea ſententia, hoc loco,quemadmodum in loco Sapientiæ quem ſuſcepimus enarrãdum, *Ex*, ponitur pro *Poſt*. Credimus,inquit Apoſtolus,quod verbo Dei de inuiſibilibus facta ſunt viſibilia, hoc eſt, quod poſt tenebras facta eſt lux, vel quod poſt machinã cæleſtem facta eſt machina terreſtris. Niſi malis hoc loco *Ex*,accipi pro *In*, ita vt hæc verba ſic explanentur. In inuiſibilibus,id eſt,in tenebris, ſiue cum eſſent tenebræ;ea locutione qua dictum eſt, 2.*Cor*.4.*b*.De tenebris lucem ſplendeſcere,pro in tenebris, id eſt,cum eſſent tenebræ,nondum creata luce. Credimus ergo, quod in inuiſibilibus, ſiue in tenebris, id eſt, cum eſſent tenebræ in vniuerſo, initio creationis rerum, creata eſt lux verbo Dei. *Dixit*. Dixit enim Deus,fiat lux,et facta eſt lux.*Geneſ*.1.*a*.Nec vt exiſtimo,vir doctus,qui aſsiduus fuerit in obſeruan-
dis

dis locutionibus Sanctarum Scripturarum ex idiomate Hebræo, improbabit rationem interpretandi hunc locum, quam modo ſubiiciam. Nempe vt ſubintelligatur præpoſitio, quæ aliquando ſubauditur in Sacris litteris. Per fidem, inquit Apoſtolus, cognoſcimus aptata, vel perfecta eſſe ſæcula verbo Dei, et quod facta fuerint de inuiſibilibus *vſque ad* viſibilia, id eſt, tam viſibilia, quam inuiſibilia, iuxta phraſim illam, De die in diem, et Ab homine vſque ad pecus.

Et ſicut nebula texi omnem terram.
Eccleſiaſtici 24. 4.

CAPVT XXV.

OPORTET ſingularum vocum proprietates conſiderare. Coniunctio copulatiua Et, variis fungitur officiis, vt ſæpe repetimus, in arcanis litteris, ex proprietate linguæ Hebraicæ. Aliquando enim pro aduerbiis ponitur, aliquando pro aliis coniunctionibus, interdum pro præpoſitionibus, atque nonnumquam pro interiectione: de qua re alibi longum, nec inutilem ſermonem facimus. Hoc itaque loco, vt ego arbitror,

pro

pro aduerbio temporis ponitur. Nebula hic vocatur quod Moſes in Geneſi *cap.* 1. *a.* vocat Tenebras. Tenebræ, inquit, erant ſuper faciē abyſsi; et quod *Iob* 38. *a.* appellatur Nubes et Caligo. Cum ergo dixiſset ſapientia, Ego creaui lumen ſolis: adiecit, Et maximis tenebris texi omnem terram, id eſt, creaui ſolem, cum terra eſſet in maximis tenebris; vel Creaui Solem, poſtquam creaui terram, quæ erat tenebris obſita, cum nondum eſſet creatus Sol. Fitq. inuerſio ſententiæ, pro eo quod eſt, Cum in maximis tenebris eſſet terra, ſiue globus ille terræ et aquæ, ego creaui lumen Solis. Præterea cum Et, ponitur pro Aduerbio temporis; cum reſoluitur ſententia, ipſum aduerbium temporis in principio ponitur. Non pauca dicta ſunt in Sacris Litteris, hoc genere locutionis; e quibus in medium quædā proferamus. *Pſal.* 102. *b.* Spiritus pertranſibit in illo, et non ſubſiſtet; pro eo quod eſt, cum ventus tetigerit eum, perire ſolet. Et *Pſal* 103. *b.* Ortus eſt Sol, et cōgregati ſunt, id eſt, cum oritur Sol, ſeſe recipiunt. Et auferes ſpiritum eorū, et deficient, pro Cum auferes ſpiritum eorum, deficient. Et *Pſal.* 145. *a.* Exibit ſpiritus eius, et reuertetur in terram ſuam.; pro, Cum exierit ſpiritus eius, conuertetur in puluerem. Et *Iob.* 4. *d.* Venit ſuper te plaga, et defeciſti, id eſt, Cum venit ſuper te plaga, defeciſti. Sunt et alia multa huius generis teſtimonia Scripturarum:

quæ

quæ conſulto hoc loco omittimus. Hoc itaque genere locutionis dictum eſt, Ego feci in cælis vt oriretur lumen indeficiens, et ſicut nebula texi omnem terram, pro eo quod eſt, Cum nebula, ſiue caligine texiſsem omnem terram, id eſt, cum globus ille terræ et aquæ obtectus eſſet tenebris maximis, creaui lumen Solis. Et quia particulæ ſimilitudinis frequenter in Sacris Scripturis augent ſignificationem vocis cui adiunguntur, ex idiomate Hebræo: *Sicut nebula*, idem eſt quod maxima vel denſiſsima nebula, hoc eſt, tenebrę denſiſsimæ. *Texi*) Actiuum ponitur pro Paſsiuo. Aliquando enim in Arcanis litteris Actiua pro Paſsiuis, et Paſsiua pro Actiuis ponuntur. Terra ponitur pro commixtione illa ex terra et aqua, cum non eſſent ad inuicem ſeparatæ, ſicut Moſes initio creationis rerum, vtitur vocibus Terræ et Aquæ. Inquit ergo Diuina Sapientia. Ego creaui lumen Solis, cum terra eſſet obtecta maximis tenebris. Cum terra et aqua eſſent permixtæ, initio creationis rerum, eſſentque tenebris denſiſsimis obductę: ego creaui lumen Solis, qui tenebras illas depulit et fugauit. Sermo itaque eſt de tenebris illis, quas in exordio creationis rerum, narrat Moſes *Gene.* 1.*a* incubaſſe terræ et aquæ. Cum vniuerſa terra eſſet aquis cooperta, et globus ille tenebris denſiſsimis tegeretur, quia nondum erat Lux creata: ego, inquit Sapientia, feci ac creaui lumen Solis, qui fugatis tenebris

reddidit faciem rebus. Terrā ergo vocat Terram ſimul cum aqua, quia terra erat aquis obtecta. Hinc globus ille ex terra et aqua, interdum vocatur nomine Terræ, interdum nomine Abyſsi, Maris, vel Aquæ. Itaque cum Sapientia non creauerit tenebras (quia tenebræ nihil ſunt, niſi mera priuatio) dictum eſt Texi terram ſicut nebula, id eſt, maxima caligine; et Actiuum, vt diximus, ponitur pro Paſſiuo, id eſt, terra erat obſita dēſiſsimis tenebris, quia nondum creata erat lux. Eodem genere locutionis dictum eſt *Iob.* 38. *b.* Cum ponerem nubem veſtimētum eius, pro eo quod eſt, Cum Mare vel aqua, ſiue globus ille ex terra et aqua, eſſet nube vel caligine obſitus, quaſi veſtimento.

Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes.

Iſa. 2. a.

CAPVT XXVI.

OMNIVM conſenſu vaticinium eſt de vocatione gentium ad Eccleſiam Chriſti. Idem vaticinium eſt apud Michæā *c. 4. a.* et eiſdem fere verbis. *Et*, coniunctio copulatiua vacat ex Hebraiſmo. Frequenter

enim

enim Hebræi, ex conſuetudine linguæ ſuæ, ſuperuacanee vtuntur hac particula, ab eaq. ſuas ordiuntur periodos. Dies nouiſsimos vocant Sacri Vates tēpora feliciſsima. Nouum enim ſæpe vocat Hebræus ſermo, quod magnum et excellens eſt in genere ſuo, ſicut et Poeta Latinus dixit, *Pollio et ipſe facit noua carmina*, cum dicere vellet, *Carmina egregia*. Hinc ergo Nouiſsimum, aliquando eſt feliciſsimum et præſtantiſsimum. Hinc Sacri Vates tempora Meſsiæ, ſiue tempora Euangelii, dies nouiſsimos appellarũt, ſiue tēpora nouiſsima; propterea quod in illis futura eſset ingens copia bonorum ſpiritualium per Chriſtum Ieſum, verum Meſsiam, exhibenda. Quare non mihi recte vertiſse videntur, qui pro Nouiſsimis diebus, vertũt Poſtremis diebus, vel temporibus. *Mons*, more Scripturarum ponitur pro regno. *Domus Domini* idem eſt quod populus Domini, ſicut dicitur Domus Iacob, Domus Iſrael. Itaque Mons domus Domini, idem eſt quod Regnum Iſrael, quod typum geſsit Eccleſiæ Chriſti, de qua hoc loco texitur vaticinium. Mõtium et Collium appellatione, intellige diuerſa orbis regna. Sic enim loqui conſueuerunt Sancti Prophetæ. *Præparatus*) Eodem modo vertunt omnes interpretes. Eſt autem Præparare, ſtabilire, et firmare, vt *Prouer*. 14. Miſericordia et Veritas præparant bona, id eſt, bona viri miſericordis firma erunt, felicitas iuſti erit ſtabilis et

firma. Hinc fit vt Præparatum dicatur, ſicut et Forte, quod in genere ſuo eſt magnũ, feliciſsimum et præſtantiſsimum. Atque ita hoc loco accipienda eſt ea vox. Mons domus Domini erit præparatus, id eſt, Regnum populi Dei, regnum Meſsiæ, regnum Chriſti, regnum illud, inquit illuſtris Vates Iſaias, a Sanctis Prophetis diuerſis temporibus prædicatum, regnum illud populi Dei (ipſum eſt Chriſti Eccleſia) de quo tam multa, tam magna, et præclara, figurate ſub variis ænigmatibus, et ſub variis verborum et rerum inuolucris, iam olim cecinerunt antiqui Vates, et poſteri canent. Illud inquam regnum, erit, florebit, vigebit, temporibus Meſsiæ, illis feliciſsimis temporibus. Denique hoc loco Mons præparatus, idem eſt quod Regnum ſtabile et firmiſsimum, quia Regnum Eccleſię Chriſti firmum erit vſque ad conſummationem ſæculi. Circa eandem vocem Pręparatus, obſerua vocem Hebræam firmitudinem et ſtabilitatem ſignificare. *In vertice montium*) Vertex idem eſt quod caput. Quid ergo eſt, Mons domus Domini erit in vertice montium? Quid hoc ſignificat? Numquam legi huiuſmodi phraſim ab aliquo animaduerſam. Sicut enim *Ioan. 9. f.* dictum eſt, In hoc enim mirabile eſt, pro Hoc mirabile eſt. Et *Iſa. 26. b.* Nomen tuum in deſiderio animæ, pro eo quod eſt, Nomen tuum, ſiue maieſtas tua, ſiue tu es deſiderium animæ, vel populi; vt quidam

verte-

verterunt. Tu, inquit Iſaias, es deſiderium, ſiue amor animę noſtræ, hoc eſt, te vnũ diligimus et colimus. Eodem genere locutionis dictum eſt *Zacha.* 2.*b.* In gloria ero, inquit Dñs, in medio eius, nempe Ieruſalem, pro Ero gloria eius, *et* in medio eius. Ponitur vero Gloria, pro glorioſo, inclyto, id eſt Principe, Rege, et protectore. Idem eſt eſſe in medio. Eadem phraſi hoc loco dictum eſt, Erit Mons domus Domini in vertice mõtium, pro eo quod eſt, Erit Mons domus Domini vertex, ſiue caput montium, hoc eſt, Regnum Chriſti, quod eſt Eccleſia Chriſti catholica, erit caput omnium montium, dominabitur omnibus Regnis, cunctis gentibus imperabit, quia omnes gentes colla ſubdent ſanctiſsimis Eccleſiæ legibus, et Chriſti Euangelium ſuſcipient. Inquit ergo Sanctus Propheta Iſaias. In nouiſsimis diebus, id eſt, illis feliciſsimis temporibus Meſsiæ (quæ ſunt ab aduentu Chriſti, veri Meſsiæ, vſque ad ſeculi conſummationem) regnum populi Dei, quod eſt Eccleſia Chriſti, erit florentiſsimũ, ſtabile et ſempiternum: hoc eſt, vſque ad finem mundi permanebit: ſicut dictum eſt ab Angelo, *Lucæ* 1. Regnabit in domo Iacob in æternum, et regni eius non erit finis. Hoc idem eſt quod addit Propheta, Eleuabitur ſuper colles. et rurſus, Fluẽt ad eum omnes gẽtes. Vides quam aperte Sanctus Propheta Iſaias de vocatione gentium ad Eccleſiam Chriſti texat vati-

cinium, et de felicitate, et incrementis magnis ipſius Eccleſiæ, et de acceſsione gentium ad eam?

Propterea dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino.
Iſai. 5. c.

ET

Qui dilatauit quaſi infernus animam ſuam, & ipſe quaſi mors, et non adimpletur: & congregabit ad ſe omnes gentes, & coacerbabit ad ſe omnes populos.
Haba. 2. a.

CAPVT XXVII.

QVIA hæc duo teſtimonia Iſaiæ, et Habacuc, iiſdem fere verbis conſtant; viſum eſt ea in idem caput cōpingere, primumque de loco Iſaiæ agemus. Ad indagandum vero germanum ſenſum eorum, oportet ipſarum vocum proprietates conſiderare. *Infernus*, vel Inferus, quia ſæpe ponitur pro morte, tam ex bello, quã ex peſte, aut fame; et Mors aliquãdo pro hoſte mortem infer-

inferre parante, Infernus quoque hoc loco pro hoſte vſurpatur. *Anima* vero pro Principibus populi appellatur; quod nonnumquam fit in Scripturis Sanctis. vt *Iſa*. 10.*e*. Ab anima vſque ad carnem. Animam ergo Populi vocat, quos Nobiles dixerat. *Dilatare*, per antiphraſim, pro anguſtare, id eſt affligere, vexare, et perdere. *Suam* dixit pro *Eius*, nam Hebræus ſermo abutitur reciprocis pronominibus, nec ſeruat eas regulas quas ſermo Latinus. Erit proinde ſenſus. Propter peccata populi Iſrael, tradet (Præterita enim poſita videntur pro Futuris) Deus Principes eius in manus hoſtium. Hoſtis ergo dilatabit os ſuum, et aperiet os ſuum (id eſt, vorabit) animam eius, ſiue Principes populi Iſraelitici, ſiue ſpoliabit et vaſtabit eos præter morem. Poteſt etiam Infernus pro morte, id eſt peſte, aut quocumque genere plagæ appellari, et Anima pro populo. *Abſque termino*, id eſt ſupra modum, et præter morem, vt quidam verterunt. *Aperire* vero *os*, dictum eſt pro deuorare, id eſt, perdere, et vaſtare. vt *Pſal*. 21.*b*. Aperuerunt ſuper me os ſuum. Peſtis, inquit Sanctus Propheta Iſaias, conſumet plurimos de populo Dei. Propter peccata populi, Deus immittet plagam, vel peſtem in eum; plaga immiſſa a Deo, longe, lateque ſe extendet in populum eius, atque percutiet eum vehementer, vel percutiet omnes terminos eius. Hoc eſt quod ait Abſque termino. Idem

ſenſus manet, ſi cum aliis, vt dictum eſt, legas Preter morem. Plagam inſolitam vocat maximam. Locus vero Sancti Prophetæ Habacuc, eſt de Nabuchodonoſor, qui expugnabat omnes gentes, et illarum ſpolia diripiebat, cupiditate diuitiarum accenſus. *Infernus* pro morte ponitur. Quod ergo additur *Et ipſe quaſi mors non adimpletur*, repetitio eſt eiuſdem rei mutatis verbis. Per Proſopopœiã vero tribuitur ſenſus et cupiditas rei inanimatæ *Anima* ponitur pro cupiditate. Hinc aliquando pro re appetibili et deſiderabili, vt *Pſal.* 38.*b*. Tabeſcere feciſti ſicut araneam animam eius, hoc eſt, ad nihilum redigis quidquid deſiderabile, pulchrum et pretioſum habet homo. Inquit ergo Propheta: Sicut mors magna auiditate nocendi, in omnes homines graſsatur, nec vmquam ſatiatur cupiditas eius; ita Nabuchodonoſor non ſatiatur vaſtatione gentium, et earum ſpoliis. Omnes gentes, et omnes populos dixit Propheta, pro opibus et ſpoliis omnium gentium, et omnium populorum. Cum vero dicitur, *Et non adimpletur*; coniunctio *Et* pro nomine relatiuo ponitur, ſicut aliis in locis. Quaſi mors, inquit, quę non adimpletur. Quaſi Infernus dilatauit animam ſuam, hoc eſt, inſatiabilem appetitum habet diuitiarum, ſicut mors non ſatiatur homines vorare, vt vulgo loquimur. Rem magis explicat per repetitionem *Et ipſe quaſi mors, et non adimpletur*, hoc eſt, Eſt quaſi mors,

quæ

quæ numquam ſatiatur. Pronomen *Ipſe* pro verbo ſubſtantiuo poſitum eſt, ex proprietate ſermonis Hebræi. *Dilatauit animam ſuam*, id eſt ditauit populum ſuum, ſcilicet ſpoliis gentium quas expugnat, perdit et prædatur. *Anima* pro populo accipi poteſt, et *Infernus* pro hoſte, quod non abhorret ab vſu Sanctarum Scripturarum. Particula ſimilitudinis (quod ſæpe fit in Sacris litteris) habet vim augendi. Denique *quaſi Infernus*, idem ſonat quod hoſtis acerrimus et potentiſsimus. Sic vocat Nabuchodonoſor Regem. Hoſtis, inquit, acerrimus et potentiſsimus Nabuchodonoſor, et ſe, et gentem ſuam ditauit, præda multarum gentium.

Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatē: & ſubtus gloriam eius ſuccenſa ardebit quaſi combuſtio ignis. Et erit lumen Iſraël in ignem, & ſanctus eius in flammam; & ſuccendetur, & deuorabitur ſpina eius, & vepres in die vna. Et gloria ſaltus eius, & Carmeli eius ab anima vſque ad carnem conſumetur, & erit terrore profugus. Et reliqui e ligni ſaltus eius præ paucitate numerabuntur, & puer ſcribet eos. Iſa. 10. d.

CAPVT XXVIII.

De vaſtatione Regis Aſſyriorum, et exercitus eius, vaticinium texit illuſtris Vates Iſaias. *Pingues* ſolent accipere Hebręi pro diuitibus, proceribus, et viris principibus; atque ſimiliter ea voce vulgo vti ſolemus. Sic Regius Vates Dauid *Pſal.* 21. *c.* Pingues terræ dixit, pro Principibus et Regibus gentium. Et *Pſal.* 77. *c.* Occidit pingues eorum. Et *Iſa.* 17. *a.* Pinguedo carnis eius marceſcet. Pinguedinem carnis, vel pinguem carnē, ſiue pingues, vocat Iſaias Principes et potentes. Sic hoc loco Pingues Aſsyriorum vocat Iſaias Principes exercitus eorum. *Tenuitatem* appellat maciem, quæ corpus efficit debile, macrum, et macilētum. Fitque per vocem Tenuitatis illuſio per contrarietatem ad vocem Pinguiū. *Gloriam* dixit Iſaias pro glorioſis (ſumpta denominatione pro denominato) et potentibus, ſiue principibus, vt *cap.* 13. *d.* Babylon in ſuperbia Chaldæorum, id eſt, Simul cum ſuperbis, vel principibus Chaldæorum. *Et ipſa gloria* ſuccenſa ardebit quaſi combuſtio ignis, id eſt, quaſi quod igni comburitur. quaſi dicat, Glorioſi, ſiue Principes exercitus Aſsyriorum, peribunt et vaſtabuntur. Quia vero lingua Hebræa non raro abutitur Præpoſitionibus, ſubſtituens vnam pro alia multū diuerſa, et nonnumquam contrariæ ſignificationis (ſicut

aliis

aliis in locis attigimus, et in memoriam reducere oportebit) in hanc adducor ſuſpicionem, vt exiſtimem Præpoſitionem *Subtus*, poſitam eſſe pro ſua contraria *Super*, quemadmodum *Iob* 26. *c.* arbitror e conuerſo præpoſitionem *Super*, poſitam eſſe pro *Subter*, in verbis illis, Qui tenet vultum ſolii ſui, et expandit ſuper illud nebulam ſuam. nam nubes non ſunt ſuper ſolium Dei, ſiue ſuper Cælum, ſed ſubter illud in regione aeris. Inquit ergo Propheta. Mittet Dominus in pingues, ſiue contra pingues et Principes eius, tenuitatem, ſiue maciem; hoc eſt vaſtabit Principes eius, et ad nihilum rediget, et mittet ſuper gloriam eius, ſiue ſuper principes exercitus Aſſyriorum, ſubaudi tenuitatem. Nam eadem res aliis verbis repetitur. *Et erit lumen Iſrael in ignem, & ſanctus eius in flammam)* Appellatione luminis Rex et Principes intelliguntur. *In* vero ſæpe in arcanis litteris vim habet ſimilitudinis, vt *Deute.* 32. *a.* Concreſcat in pluuiam doctrina mea. quod per repetitionem explicatur, Fluat vt ros eloquium meum. Et *Pſal.* 78. Poſuerunt Hieruſalem in pomorum cuſtodiam, id eſt, tamquam tuguriũ ad cuſtodiendos fructus arborum. Ad hoc genus locutionis referenda ſunt verba illa ſubobſcura *Cant.* 1. *b.* Poſuerunt me cuſtodem in vineis, quæ alibi explicamus. Ita hoc loco accipienda eſt præpoſitio *In*. Lumen, inquit, Iſrael, erit tamquam ignis, ſcilicet Aſſyriis, hoc

eſt,

eſt, Rex et Principes Iſrael, vaſtabunt Regem, et exercitum Aſſyriorum, ſicut ignis applicita ligna comburit. Idem ſignificatur verbis quæ ſequuntur, *Et ſanctum eius in flammam*. Sanctum aliquando appellatur quod magnum et excellens eſt in genere ſuo, atque inde hoc loco idem ſonat quod Potens et Princeps: eſtque vox ſingularis pro plurali. Poſtquam Rex Aſsyriorũ, inquit, vaſtauerit populum meum; ego puniam Regem ipſum Aſsyriorum, et quemadmodum ipſe vaſtabit populum Iſraeliticum, poſtea vaſtabitur ipſe, eritque corã Iſrael quaſi ligna coram igne, et populus Iſraeliticus vaſtabit eum ſicut ignis comburit ligna. *Et deuorabitur ſpina eius, et vepres eius in die vna.*) Licet quidam appellatione ſpinarum, et veprium, intelligant principes viros, et populi magiſtratus; quod ſint veluti maceria populi, ſicut ſpinę et vepres ſolent eſſe maceria in vineis, et pro ſepe: mea quidem ſententia rectius dicemus, vepres et ſpinam appellari hoſtes populi Dei. Qua etiam appellatione vtitur idem Propheta *cap.9.d.* Veprem, inquit, et ſpinam vorabit. Nam ſicut vepres et ſpinæ pungunt, ita et hoſtes affligunt et vexant variis modis. Quod ait *In die vna*, ita explanandum eſt. *In* pro *Cum*, ponitur, et eſt nota effectiui, ex proprietate ſermonis Hebræi. *Dies* ponitur pro vindicta, et omnis generis plaga; *vnus* vero pro primo, id eſt, maximo in genere ſuo. Denique *Dies*

vna

vna idem eſt quod vltio grauiſsima. Vaſtabit, inquit, Dominus Principes Regni Aſsyriorum ſupplicio maximo. *Et gloria ſaltus eius, et Carmeli eius*) Gloria hoc loco fortaſsis non pro Principibus Aſsyriorũ ponitur, vt paulo ante, ſed pro felicitate. quaſi dicat, Peribit quidquid pulchrum eſt in exercitu Aſsyriorũ. Saltum vocat populum Aſsyriorum, quemadmodum ligna ſiue arbores habitatores Regni Aſsyriorum appellarat. Carmelum, id eſt, agrum cultum, vocat eundem populum Aſsyriorum, vel regionem eorum. Quia enim regionem Aſsyriorum Saltum appellarat, ne exiſtimes illam eſſe natura ſterilem, nec vberem nec feracem: modo eam vocat Carmelum, id eſt agrum cultum, agrum vberem, et feraciſsimum. Tale enim erat ſolum regionis Aſsyriorum. Gloria, inquit, ſaltus eius, et Carmeli eius conſumetur, id eſt, quidquid pulchrum eſt et ſpecioſum in regione Aſsyriorum, vaſtabitur. *Ab anima vſque ad carnem cõſumetur*) Poſsunt hæc verba hac ratione explicari. Animam vocat Propheta quidquid expetibile, magnum, ac pretioſum habetur, vt *Pſal.* 38.*b.* Tabeſcere feciſti ſicut araneam animam eius, id eſt, tollis ac perdis omne felicitatis humanæ genus in homine. Carnem vero vocat quidquid in genere ſuo infirmum eſt, vile, abiectum, et contemptibile, vt *Iſa.* 31.*b.* Equi eorum caro, et non ſpiritus. Et Apoſtolus *ad Coloſ.* 2.*d.* cum ſapientiam huius mun-

mundi, vellet vocare vaniſsimam, incertam et minime ſolidam: Sēſum carnis, ſiue ſapientiam carnis nominat. Inquit ergo Iſaias, Aſsyria penitus vaſtabitur, ita vt nihil magnum in ea ſuperſit, nec paruum relinquatur. Hiſpane, *Ni quedara roſo ni velloſo.* Hoc eſt quod ait Ieremias Propheta *cap.* 15. *d.* de vaſtatione populi Iudęorum ſermonem faciēs, Pretioſum a vili, id eſt, ſimul cūm vili perdendum. Eſt autem Hebraica locutio, Ab anima vſque ad carnem conſumetur, pro Anima et caro conſumetur, ſiue Omnis anima et omnis caro peribit, eo ſenſu quo expoſitum eſt. Multa ſunt in ſcripturis ſanctis quę pertinēt ad hoc locutionis genus, vt *Pſal.* 77. Percuſsit primogenita Aegypti ab homine vſque ad pecus. pro, Percuſsit primogenita hominū et pecorum. Et *Pſal.* 104. *e.* Pertranſibit de gente in gentem, id eſt, per multas gentes et regiones. Et *Pſal.* 143. Eructantia ex hoc in illud, pro, Abundantia hoc et illo; quaſi dicat, Rebus omnibus referta. Itaque Sāctus Propheta Iſaias inquit: Vaſtabitur gloria ſaltus eius, hoc eſt, Saltus ille glorioſus, ſiue populus Chaldęorum potentiſsimus, vel regio florentiſsima Chaldæorum vaſtabitur, et vaſtabuntur (vt quidam vertunt) fertiliſsimi agri eius. Denique, ait, conſumetur, vel vaſtabitur populus ille Chaldæorum ab anima vſque ad carnem. hoc eſt, vaſtabuntur principes Chaldæorum, et reliquum vulgus, nobiles

Digitized by Google

les et ignobiles, atque plebeii. Sicut vero *Cor* ſæpe in Sacris ponitur pro *Anima*: ita nunc e cōuerſo *Anima* ponitur pro *Corde*. Eſt autem Reſpublica ad modum animantis, in quo ipſum cor vires ſubminiſtrat vniuerſis membris, et regit ea. Hinc Sanctus Propheta Ieremias *cap*.4.*e*. appellatione cordis Principes viros et magiſtratus deſignat. Idem hoc loco appellatione Animæ ſignificatur. Carnis vero nomine, reliqua corporis membra, ſiue plebeii, et vniuerſum vulgus intelliguntur. Conſumetur ergo regio Chaldæorum ab anima vſque ad carnē, hoc eſt, vaſtabitur gens illa omnino, peribūtq. nobiles et plebeii. *Et erit terrore profugus*) Rex Aſſyriorum, inquit, fugiet exercitum Iſrael, terrore compulſus, nec audebit manus conſerere cum eo. Sic eueniſſe legimus 4. *Reg*. 19.*g*. et *Iſai.cap*. 33.*a*. A voce angeli fugerunt populi etc. *Et reliquiæ ligni ſaltus eius etc.*) Singularis pro plurali, *Lignum* pro *Lignis*. Ligna ſaltus Aſſyriæ vocat cunctos bellatores exercitus Aſſyriorum, et habitatores regionis eorum. Sic *Ezechiel*. 17.*g*. Scient omnia ligna regionis, id eſt, intelligent omnes habitatores regionis huius; quod ego humiliaui lignum ſublime, et exaltaui lignum humile, et ſiccaui lignum viride, et frōdere feci lignum aridum. Futurum *Numerabuntur*, ita reſoluendum eſt, id eſt, poterunt numerari. Habet enim aliquando hanc vim Futurum apud Hebræos. Sic etiam

po-

poteſt reſolui Futurum *Scribet*. Tam pauci habitatores regionis Aſsyriorum ſupererunt, vt poſsint facile numerari, adeo vt puer paruulus qui vix vſque ad centenarium numerum ſcit numerare, eos poſsit ſcribere, id eſt, numerare. Nam ſic accipiendum eſt hoc loco verbum Scribendi. Aliquando enim Scribere, Hebræis eſt Numerare. Vt *Pſal.* 68. *c*. Deleantur de libro (quod eſt de numero) viuentium, et cum iuſtis non ſcribantur, hoc eſt, non annumerentur inter populum Dei, pereant et tollantur de medio.

Non ſecundum viſionem oculorum iudicabit, nec ſecundum auditum aurium arguet. ſed iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ. Et percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.
Iſa. 11. *a*.

CAPVT XXIX.

ALIBI obſeruamus, non raro Scriptores Sacros ex conſuetudine linguæ ſuæ, vti et Inuerſione verborum, et Inuerſione Sententiarum, cuius rei teſtimonia in mediũ ibi adducimus. Quod aliquando faciunt Latini Poetæ. Græci vocant hiſteron proteron, id eſt

quod

quod prius poſterius. Quam loquendi figuram hoc loco reperiri exiſtimo. Præmittendum eſt enim, *Et percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium*. Poſtea vero ſequatur, *Non ſecundum viſionem oculorum iudicabit, neque ſecundum auditum aurium &c*. Iudicare iuxta ea quæ viderunt, et audierunt teſtes, ad iudicem ſpectat. Cum ergo ait Propheta, Non ſecundum viſionem oculorum iudicabit, neque ſecundum auditum aurium arguet; ſignificat Deum futurum iudicem non aliorum Iudicum more, nec vt ſolent iudicare alii iudices, iudicaturum. Rurſum quia Iudex frequēter in Scripturis eſt idem quod Princeps et Rex, et iudicare idem quod regnare: Non ſecūdum viſionem oculorum iudicare, nec ſecundum auditum aurium arguere: ſignificat Meſsiam futurum Regem ab aliis diſsimilem, ac ſi diceret, illum non fore Regem aliorum more, qui aliquando tyrānidē opprimunt pauperes, ſed æquiſsime regnaturum, nec illius regnum futurum more aliorum regnorum. *Sed iudicabit in iuſtitia pauperes &c.*) *Iudicare* pro *Vindicare* ponitur hoc loco, Vt *Deut.* 32. *e.* et *Pſal.* 134. et *Iuſtitia* pro *Vindicta*. Vindicabit, inquit, pauperes, ſumpto duro ſupplicio de illorum oppreſsoribus. Simile eſt illud *Pſal.* 71. *b.* Liberabit pauperem a potente. *Et arguet &c.*) Repetitio eſt eiuſdem rei mutatis verbis. Sicut vero Dicere

et Loqui aliquando ponuntur pro facere : ita hocloco Arguere (quod ad locutionem et ſermonem ſpectat) pro perdere et vaſtare poſitum eſt. *Arguet in æquitate*, id eſt, puniet dure terram, ſiue nationes orbis; vindicabit pauperes in iuſtitia, id eſt, iuxta legem: qua plurimum laudatur hoc factum, nempe quod Princeps vindicet pauperes, ſumpta vltione de his qui illis irrogant mala. Vel In iuſtitia, ſiue iuxta legem, hoc eſt, ſicut Prophetæ de Meſsia prædixerunt (nam aliquando Legis nomine, Prophetæ etiam comprehenduntur) quod eſſet pauperes vindicaturus, et percuſſurus terram etc. Per terræ cædem et vaſtationem, intellige more prophetico conuerſionem gentium. Virga, quia eſt ſymbolum regni, pro regno aliquãdo vſurpatur. Et quia aliquãdo Regnũ pro potentia capitur, Virga hoc loco pro ipſa potentia accipienda eſt. Itaq. *Virga oris ſui* idẽ eſt quod potentia ſua. Eadem ſentẽtia eodem genere locutionis repetitur, cũ additur, *Et ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impiũ.* Nam Spiritus pro fortitudine, ſiue potentia ponitur, propterea quod vires et fortitudo hominis ab ſpiritu, id eſt, ab anima originem habent, et tamquã a proprio fonte proficiſcũtur et effluunt. Niſi malis ita exponere, *Oris ſui*, id eſt, iuxta vaticinia Prophetarum, qui os Dei vocantur, et *in* Spiritu labiorũ ſuorum, id eſt, iuxta voces, ſermones et prophetias ipſorũ. Repetitio eſt eiuſdem

dẽ rei mutatis verbis. Sed poſſunt hæc verba hac ratione explicari,quę mihi magis cõueniens videtur,meliusq. meo pectori arriſit. Voces *Oris*, et *Labiorum*,ſiue *Verborum*,aut *Sermonum*(vt alibi admonemus,productis Sanctarũ Scripturarum teſtimoniis) interdum habẽt quandam reconditam, et a paucis animaduerſam ſignificationem,in Arcanis Litteris, ex idiomate ſermonis Hebręi. Capiuntur enim pro peccatis. Sic dictũ eſt *Pſal.* 57. Deus conteret dentes eorum(hoc eſt,confringet vires, cõteret arma eorum)in ore ipſorum, id eſt, propter ſcelera ipſorum. Et *Pſal.* 64.*a.* Verba iniquorum pręualuerunt ſuper nos, hoc eſt, homines improbi iniquitatibus ſuis nos impugnant, fœdisque in nos inſurgunt vitiis. Et 3.*Reg.* 15.*a.* Excepto ſermone Vriæ, id eſt, excepto ſcelere contra Vriam admiſſo. Quia vero Spiritus ſæpe ponitur pro verbo aut ſermone,et verbum et ſermo aliquando ponuntur pro ſcelere: Spiritus etiam hoc loco pro ſcelere accipi poteſt, vt ſit ſenſus, Percutiet terram virga oris ſui, hoc eſt, propter ſcelera ſua. Eſt et aliud genus Hebraiſmi, Spiritus labiorum, pro multis et grauiſsimis peccatis: vt Pars hereditatis, Ira indignationis. Percutiet, inquit, Meſsias gentes quæ idola colunt, plagis grauiſsimis, propter ſcelera earum. Habet enim aliquando huiuſmodi vſum gignẽdi caſus ex Hebraiſmo. His itaque verbis præmiſsis (vt eo redeamus, vnde di-

greſsi ſumus)quibus ſupplicium de gẽtibus ſumendum prædicitur:ſtatim ſequatur, *Non ſecundum viſionem oculorum iudicabit etc.* quibus verbis quale hoc futurum ſit iudicium,aperitur. Non ſecundum viſionem oculorum inquit,iudicabit,id eſt,puniet gentes. Ac ſi dicat, Iudicium, ſiue ſupplicium hoc,tam graue erit,vt numquam, vel raro, ſimile viſum fuerit, vel auditum : non erit, vt alia, quæ oculis vidimus, vel audiuimus. Fortaſsis hæc expoſitio aliquibus placebit. Mihi vero multum arridet ratio illa locum exponendi,quæ mihi occurrit,quod mihi ſuadeam proxime accedere ad germanam loci intelligẽtiam. Multis in locis obſeruamus(quæ res magni momenti eſt ad intelligentiam Prophetarum) Sanctos Prophetas, conuerſionem gentium ad fidem Chriſti, conſueuiſſe vaticinari verborum inuolucris, rerum typis et imaginibus, verbis vtique tonantibus bella, cæde ipſarum gentium,interitu vel vaſtatione tumentibus;ita vt dicant Sacri Vates Deum præliaturum aduerſus eas, illas debellaturum, bello ſuperaturum, vaſtaturum,illas vaſtandas atque delendas. Innumera pæne ſunt huius rei exempla apud Prophetas:e quibus aliquot in præſentia producemus. Regius Vates Dauid *Pſal.* 109. hanc ipſam conuerſionem Regum et gentium, ita vaticinatur. Dominus a dextris tuis confregit *pro cõfringet* in die iræ ſuæ Reges. Et Iudicabit in nationibus,(id eſt, iudiciũ

ſiue

ſiue vindictã faciet de gẽtibus) implebit ruinas (id eſt, implebit omnia cadaueribus occiſorum, tam magna fiet cædes de gentibus) conquaſſabit capita in terra multorum, hoc eſt, cõfringet capita magnorum, ſiue Regum terræ. Et *Pſal. 2.* Cum Pater cæleſtis alloquens filiũ ſuum Meſsiam, dixiſſet, Dabo tibi gentes hereditatem tuam, et poſſeſsionem tuam terminos terræ; addidit, Reges eos in virga ferrea, et tãquam vas figuli confringes eos. quod intelligendum eſt de vocatione gentium ad Euãgelium per Apoſtolos, et eorum ſucceſſores. More enim prophetico per confractionem virium gentium, perque earum vaſtationem, ipſarum vocatio ad Chriſti Euãgelium adumbratur. Et *Pſal. 44. b.* Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent, in corda inimicorum Regis. Et *Nume. 24. c.* (quod de Meſsia promiſſo dictum eſſe, apertiſsimum eſt) Orietur, *inquit Balaam,* ſtella ex Iacob, et cõſurget virga de Iſrael, et percutiet duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth, id eſt, omnes gentes, quaſi diceret, omnes filios Adam. Et rurſus, De Iacob erit qui dominetur (ſcilicet omnibus gentibus) et perdat reliquias ciuitatis, hoc eſt, omnia orbis regna, ſiue omnis orbis nationes. Ad hũc modum hoc loco Illuſtris Vates Iſaias locutus eſt, cum ait, Iudicabit Meſsias gentes, (quod eſt, faciet iudicium, ſumet ſupplicium de gentibus) et arguet, id eſt, puniet, perdet et vaſtabit eas. Eſt

ergo vaticinium de vocatione gentium ad Euãgelium, quam more Prophetico adumbrat vocibus ſignificantibus vaſtitatem et cædem earum. Sed vt oſtendat huiuſmodi vaticinia non iuxta litteram, nec vt ſonant intelligenda, ſed myſtice, et aliquid arcanum, ſacrum, et ſpirituale continere, ait, Non ſecũdum viſionem oculorum iudicabit, neque ſecundum auditum aurium arguet. Ac ſi dicat, Iudicabit quidem, ſiue vaſtabit gẽtes, ſed huiuſmodi vaſtatio non erit vitæ temporalis iactura, non bonorum corporis ſpoliatio, nec diuitiarum amiſsio, non id genus vaſtationis quæ oculis conſpicitur, vel auribus auditur; ſed feliciſsima quædam vaſtitas, qua ſuperbia et celſitudo animi deprimitur, et mens erigitur ad ſuperna; retũditur vis carnis, et vires aſſumit ſpiritus; acies vitiorum omnium deiicitur, et omne genus virtutis incipit pullulare; et vbi regnabat caro, regnat Spiritus, dum qui lapidem et lignũ colebant pro Diis, iam Deum verum omnium conditorem venerantur, hunc diuinis proſequuntur obſequiis, illi ſoli Diuinos honores impendunt, atque ita fide, quæ per dilectionem operatur, iis condonantur peccata. Itaque Meſsias promiſſus, inquit Iſaias, iudicabit, ſiue delebit gentes, ſed non eo genere vaſtationis quo homines in homines vti ſolẽt; ſed myſtico, feliciſsimo, et ſpirituali, quo omnia peccata intereunt, et omne quod vitioſum eſt, é medio tollitur.

Cum

Cum vero ait Propheta, *Indicabit in iuſtitia pauperes etc,* ſic accipiendæ ſunt hæ voces. *Terra* pro diuerſis orbis nationibus appellatur, quod frequens eſt in Prophetis. *Virga* pro plaga, atque adeo pro omni genere vindictæ. *Spiritus* pro fortitudine, id eſt, vltione. Voces vero *Oris,* et *Labiorum,* hoc loco, ſicut aliis in locis, ex proprietate Hebræa vacare poſſunt, poteſtque miſceri Hendiadys. Percutiet ergo Dominus terrã virga oris ſui, quod eſt, virga ſua, hoc eſt, percutiet gentes plagis: Et Spiritu labiorum ſuorum, quod eſt, ſpiritu ſuo, ſiue ſuppliciis interficiet impium, id eſt, gentes impias. Singularis eſt pro plurali. Quod ſi miſceatur Hẽdiadys Hebræa; virga oris ſui, et Spiritu labiorum ſuorum, exponendum eſt, Forti, ſeu graui vindicta; ſuppliciis grauiſsimis. Poſſunt et aliter quædam ex his voces, eodem ſenſu manente, explicari. *In iuſtitia) In,* ponitur pro *Cum*, ita vt cum iuſtitia et cum æquitate, idem ſit quod acerrime, quod vulgo dicimus, Cum rigore. *Iudicare,* et *Arguere* pro Regnare ponuntur, nam eum, de quo ſermonem texit Propheta, virgam, id eſt, Regem appellauit. Quia enim iudicia ferri ſolent, ſecundum conſpecta oculis, et audita: iudicis officium commemorans Propheta, nominat etiam viſionem oculorũ, et auditum aurium. Sed quia *Iudicare* conſuetudine Sanctarum Scripturarum ponitur aliquãdo pro *Regnare,* vt Iudex pro Principe, et Re-

ge: Iudicare ſecundum viſionem oculorum, et Arguere ſecundum auditum aurium, nihil aliud eſt, quam more hominum regnare. Meſsias, inquit, de quo loquor, Rex maximus erit, ſed non regnabit more hominum, nec ad tempus regnabit. Hoc eſt quod ipſe ait in Euangelio, Regnum meum non eſt de hoc mundo. *Sed iudicabit in iuſtitia pauperes etc.*) Iudicare hoc loco pro vindicare poſitum eſt vt *Deute.* 32. *e.* et *Pſal.* 134. *b.* Iudicabit Dominus populum ſuum. *In*, vero ponitur pro *De*, et *Iuſtitia*, pro *Iuſtis*, id eſt, potentibus et Principibus. vindicabit, ait, pauperes de potentibus, qui eos afligunt. ſicut dictum eſt *Pſal.* 71. *b.* Liberabit pauperem a potenti. Quod vero ſequitur, *Et arguet in æquitate pro manſuetis terræ:* per repetitionem dictum eſt. Nam idem eſt *In æquitate*, quod *In iuſtitia.* Percutiet ergo terram, id eſt, vaſtabit gentes multas, quod de vocatione gentium, vt diximus, intelligendum eſt. Idem eſt quod addit, *Interficiet impium*, hoc eſt, vaſtabit gentes impias, quæ Idola colunt. Pauperum vero nomine, populus Iudæorum intelligitur, quod ſæpe contingit in Veteri Teſtamento. Idem etiam ſignificatur voce Manſuetorum, id eſt, afflictorum. vt *Pſal.* 149. *a.* Exaltauit manſuetos in ſalutem. Nam quia populus Iudæorum aſsiduè bello impugnabatur et vexabatur a gentibus, Manſuetorum, ſiue Afflictorum nomen ſibi vendicauit. *Iuſtitia et*

Aequi-

Aequitas, pro Iudicio, id eſt, ſupplicio accipiuntur. quaſi dicat, Vindicabit populum ſuum ſuppliciis in gentes ipſas. Niſi malis Iuſtitiam et æquitatem pro Lege accipere, ita vt nomine Legis (quod ſæpe fit in Sacris) Prophetæ etiam comprehendantur. Sumet, inquit, Dominus ſupplicium de gentibus, ſicut ante nos a multis aliis Prophetis prædictum eſt. Non ego primus hoc vaticinor, alii etiam ſpiritu Dei pleni, ante nos hoc prædixerunt. Eſtque repetitio eiuſdem rei mutatis verbis, quod additur Et arguet (id eſt, perdet et delebit) in æquitate, pro manſuetis terræ. Eſt vero genus locutionis Hebraicæ, Arguet pro manſuetis terræ, pro eo quod eſt, Arguet pro manſuetis terram, Arguet ſiue ſuppliciis perdet terram, ſiue diuerſas orbis nationes. Hoc genere locutionis dictum videtur illud *Ioan. 5. e.* Procedent qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ; pro Qui bona fecerunt, in reſurrectione (id eſt, cum omnes reſurrexerint, vel poſtquam reſurrexerint) procedent in vitam, in vitam illam cæleſtem et feliciſsimam, et Qui vero mala egerunt, in reſurrectionem iudicii, pro eo quod eſt, in reſurrectione, ibunt in iudicium illud, in ſupplicium illud vtique æternum. Perdet, inquit, plagis gentes quæ idola colunt, gentes Idolorum culturæ deditas ad Euangelium vocabit, ad gremium Eccleſiæ adducet; et qui erant hoſtes lethales populi Dei,

 fient

fient et ipſi ex electo Dei grege,et ex ſpectatiſsimo populo Dei (qui eſt populus Chriſtianorum, cuius typũ gerebat populus ille vetus)per veram religionem,et veri Dei cultum. *Pro manſuetis*, Latina phraſi dicimus, In gratiam populi ſui electi.

Repleta eſt terra Scientia Domini,ſicut aqua maris operientis. Iſa. 11. *b.*

ET

Quia replebitur terra, vt cognoſcant gloriam Domini, quaſi aqua operientes mare. Haba. 2. *c.*

CAPVT XXX.

VISVM eſt hæc duo loca eodem capite exponere, quia ſimilia admodum videntur: vt oſtendam quantum ſenſu diſtent inter ſe,quantoque interſe diſcrepent diſcrimine. Primum ergo ſeſe offert locus Iſaiæ, quo Sanctus Propheta vaticinium texit de vocatione gentium ad cultum veri Dei,et ad Euangelium Chriſti, temporibus Meſsiæ futura. Tempora vero Meſsiæ, de quibus ſæpe mentionem faciemus in locis Prophetarũ

per-

pertractandis, vocantur tempora ab aduentu Chriſti vſque ad ſæculi conſummationem. Conſueuerunt autem Sãcti Prophetę, tum ex proprietate linguę ſuę, quæ frequenter vtitur tempore pro tempore, tum ad certitudinem et ſtabilitatem rerum quæ prædicuntur, ſignificãdam (vt D. Auguſtinus obſeruauit in ſermone Domini in monte, libro 1. et Epiſtola 80.) vti temporibus præteritis, cum res futuras prophetarent. Quod hoc loco facit Iſaias. *Repleta eſt*, inquit, *terra*, pro *Replebitur*. Tẽporibus ergo Meſsiæ (quæ et tempora Euangelii vocãtur) vniuerſus orbis replebitur Scientia Domini, ſiue cognitione et cultu veri Dei. ſicut dictum eſt *Iere.* 31. *f.* Omnes cognoſcent me, a minimo eorum vſque ad maximum, ait Dominus. Nam *Terra* pro diuerſis nationibus orbis appellatur, idque familiare eſt apud Prophetas. Et quia ſcire, et cognoſcere, aliquando eſt colere; Scientia Domini, idem eſt quod cultus veri Dei. Itaq. ſicut cognoſcere interdum eſt diligere, ita et Scire. Scientia ergo Dei eſt dilectio Dei. Et quia vera dilectio per opera demõſtratur (ſicut dicit Dominus *Ioan.* 14. *b.*) inde fit, vt Scientia Dei, aliquando pro legis Diuinæ obſeruatione accipiatur. vt *Oſe.* 6. *c.* Scientiam Dei plus quam holocauſta. Aliquando vero (quod idem fere eſt) Scientia Dei ponitur pro cultu, et vera religione; quæ a vera Dei cognitione proficiſcitur, vt hoc loco. Om-

nes

nes gentes, inquit Sacer Vates Iſaias, cognoſcent, ac colent Deum verum, tẽporibus Meſsiæ. Hunc vero locum quidam ita enarrãdum putant. Subintelligenda eſt coniunctio copulatiua, quod ſæpe fit in Arcanis Litteris. *Aqua* pro populis et gentibus appellãtur. Et quia particulę ſimilitudinis frequenter in Sacris habent vim augendi ſignificationem vocis cui adiunguntur: idem eſt, *Sicut aqua*, quod omnes populi. *Mare operiens* appellatur Mare magnum, quod illud magnam terræ partem operiat. Erit ergo ſenſus, iuxta iſtorum ſententiam. Replebitur terra Scientia Domini, *et* omnes etiam gentes, vel inſulæ Maris magni, replebuntur ea. Sic Propheta Dauid ſolet coniungere terram et mare, vt ſignificet vniuerſas orbis nationes. Sed huiuſmodi expoſitio non admodum placet, aliterq. arbitror accipiendam Aquarum vocem, nempe pro doctrina, quod aperte inſinuauit Sanctus Propheta, cum Scientiam Domini dixit. Sic voce Aquę Scriptores Sacri vtuntur, vt *Eccleſiaſtici* 15.*a*. Aqua Sapiẽtię ſalutaris põtauit illũm. Et *Iſai. cap.* 55.*a*. Omnes ſitientes venite ad aquas. Hinc Chriſtus Redemptor noſter apud Ioannem *cap.* 4.*b*. Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum. Et particulæ ſimilitudinis, vt modo diximus, habent vim augendi ſignificationem vocis cui adiunguntur, ex idiomate linguæ Hebraicæ, ita vt vox illa ſignificet aliquid

in

in genere ſuo magnum. Sic dictum eſt *Pſal.* 57. *b.* Sicut viuentes, ſicut in ira abſorbet *pro abſorbebit* eos. Nam quia Viuere aliquado eſt feliciter agere, et florere omni genere felicitatis humanæ: Viuentes dixit Regius Vates pro florentibus rerum omnium euentu felici, et Sicut viuentes, pro maxime florẽtibus. Sic etiam quia Ira ponitur pro vltione et plagis, Sicut ira, idẽ eſt quod vltio magna et plagæ grauiſsimæ. Abſorbebit, inquit, conſumet Dominus, et ad nihilum rediget eos plagis grauiſſimis, deiiciet eos de excelſo felicitatis gradu, cum maxime floruerint. Et *Pſal.* 125. Sicut conſolati, idem eſt quod plurimum conſolati. Ad eundem modum, *Sicut aqua*, hoc loco idem ſonat, quod aqua, ſiue doctrina certiſsima, ſolida, veriſsima, quæ nihil falſitatis habeat admixtum, abſolutiſsima, Sanctiſsima et ſaluberrima, qualis eſt Doctrina Euangelica, de qua loquitur Propheta inquiens, *Et erit* doctrina omnium gentium, id eſt, quæ perueniet ad omnes gentes, quæ prædicabitur omnibus gentibus: Sanctiſsima. Solent vero Sacri Vates Mare pro inſulis, id eſt, variis gentibus accipere. Mare ergo magnum pro vniuerſis gẽtibus appellatur. Mareq. non raro pro terra ipſa vſurpatur per Metonymiam. Mare enim continet terram, quia Oceanus totam terram ambit. Hinc fit, vt ſicut Terra paſsim in Prophetis, pro variis gentibus et nationibus terram habitãtibus, ponitur;

ita

ita etiam Mare aliquando pro diuerſis gẽtibus accipiatur. vt *Pſal.* 95. *b.* Cum dixiſset Regius Vates, Exultet terra: addidit per repetitionem, Commoueatur mare, et plenitudo eius, hoc eſt, gentes quæ habitant terram, relictis idolis, Deum verum colãt. Et *Pſal.* 97. pro eadem re accipit Mare et Terram, ſiue orbem terrarum: et Plenitudinem maris vocat, quod aliis in locis Plenitudinem terræ nominare ſolet, id eſt, omnes orbis gẽtes. Moueatur, inquit, mare, et plenitudo eius; orbis terrarum, et qui habitant in eo. Et *Pſal.* 92. Mirabiles elationes maris etc. quaſi dicat, Licet magnæ ſint vires gentium, licet gentes vehementer inſurgant in populum Dei, non præualebunt, quia Deus Optimus Maximus protector eius eſt. Ponitur ergo Mare (vt Terra) pro diuerſis gentibus. Et quia mare totam terrã ambit, regiones et regna terræ aliquando Inſulæ appellãtur in Sacris litteris. Sic Iſaias *cap.* 21. *a.* Inſulam vocat Hieroſolymam, vel Iudæam. Dicet, inquit, habitator inſulæ huius. Et Sophonias *cap.* 2. *c.* Adorabunt eum omnes inſulæ gentium. quaſi dicat, diuerſæ gentes, omnium regionum nationes. Prædicabitur ergo inſulis maris magni, ſiue omnibus gentibus, Euangelium; cuius doctrina mirabilis, veriſsima, nihil admixtum habẽs falſitatis, nihil imperfectum. Sunt qui locũ ita explanent. *Aqua* pro Plaga, calamitate et omni genere malorum appellatur, quod non eſt inuſitatum

apud

apud Scriptores Sacros. Et quia particulæ ſimilitudinis vim habent augendi: Sicut Aqua, idem eſt quod vltio grauiſsima, plaga maxima. Præterea appellatione Maris ſolent Prophetę, Reges et Principes potētiſsimos ſignificare; quare hoc loco, Mare omnia operiens, ſiue Mare magnum vocat Iſaias Regem Sennacherib, de quo capite ſuperiori ſermonem fecit, ita tamē vt ſub eo intelligas deſignari Reges et Principes gentium, atque vniuerſas orbis nationes: quod conſueuerunt facere Prophetæ. Illuſtris ergo vates Iſaias, dū de Eccleſia Chriſti ſub rerum figuris, ænigmatis, et inuolucris, deque eius felicitate vaticinaretur; paucíſsimis verbis gentium conuerſionē ad fidem Chriſti ſignificat, cum ait, Sicut aqua maris operientis, gentium interitum et vaſtationem inſinuans; atque ſub hac figura dicēdi, illarum conuerſionem ad cultum veri Dei adumbrans. Sed quod maiorem habet difficultatem in hoc loco, illud eſt, Maris operientis, quod poteſt ita exponi. Mare operiens vocat Propheta Mare magnum, quod Oceanum appellamus, qui magnam terræ partem operit. Mare vero pro inſulis ponitur, id eſt, pro variis gentibus, vt dictum eſt, ſicut Terra accipi ſolet. Inſulæ enim Maris magni, ſunt diuerſæ orbis regiones, cum Oceanus vniuerſam terram ambiat. Sed potior ratio locum exponendi mihi viſa eſt quæ venit in mentem. Obſeruare oportet aliquando in

Sacris

Sacris litteris, ex abuſu et proprietate linguæ Hebrææ, nomen adiectiuum quod vni ſubſtantiuo adaptandum erat, alteri tribui. Eſt exemplum huius rei peraccõmodum 1. *Reg.* 24. *d*. Quis enim cum inuenerit inimicum ſuum, dimittet eum in via bona? pro eo quod eſt, Quis cum in via inuenerit inimicum ſuum, dimittet eum bonum, id eſt, incolumem, nihil mali ei inferens? Alia ſunt huius rei teſtimonia, quæ ſuo loco in medium adducemus. Sic hoc loco, *Sicut aqua operientis maris*, dictum eſt, pro *Sicut aqua operiens mare*. Erit ergo ſenſus, Replebitur terra cognitione Domini, *et erit* doctrina ſaluberrima operiens mare, vel replens mare. Repetitio eſt, Doctrina Euangelica replebit mare, id eſt, omnes gentes. Nam mare, vt diximus, pro terra, atque adeo pro variis orbis nationibus appellatur. Temporibus Meſsiæ, omnes gentes orbis ſuſcipient fidem Chriſti et Euangelium; tunc doctrina ſaluberrima quæ poſsit homines conducere ad cæleſtem et ſempiternam beatitudinem, implebit aures omnium gentium. Omnes gentes colent Deum verum ſincera religione, doctrina vera et ſolida, quæ multum diſcrepet a doctrinis Philoſophorum, quę multa falſa habent admixta, plurima etiam vaniſsima. Eſt ergo vaticinium de vocatione gentium ad Chriſti Euangelium. Quidam operire pro confundere accipiunt (quod aliquando fit in Sacris) id eſt, perdere et
vaſta-

vaſtare, ita vt mare operiens, vocet Propheta gentes populo Dei infenſas, et illi mala quæ poterant, irrogantes; et inter ſe etiam inuicem inimicas et aduerſas, vt ſit ſenſus. Replebitur vniuerſa terra notitia et cultu veri Dei, et erit vita innocens et innoxia gentibus antea vaſtantibus omnia, ideoq. nulla gens nocebit populo Dei electo. Iam nunc ad locum Sancti Prophetæ Habacuc noſtra ſe conuertat oratio. Qui quidem locus, et ſi vocibus ſimilis ſit magna ex parte, loco Iſaiæ; diuerſum tamen habet ſenſum, et quędam voces, licet eędem ſint, diuerſimode ſunt accipiendæ, vt in eius explicatione videbimus. Inuehitur vero hoc loco Propheta Habacuc in Regem Chaldæorum, illique, et regno eius florentiſsimo mala prędicit, interitum et vaſtationem vaticinatur, quod gentem Iudęorū, et multas alias nationes vaſtaſſet et compilaſſet, ſpoliis ampliſsimis acceptis, quibus Babylonem, et ipſum Regnum Chaldæorum ditarat. Replebitur, inquit, terra, ſiue regio Chaldæorum, ſcilicet plagis et malis, vel replebitur hoſtium copiis magnis, quos ad vaſtationem eius mittet Dominus. Lege *Iſa.* 13. *a.* 21. *a.* 47. *a. Ut cognoſcant gloriā Domini*) vt (pro ita vt) Chaldæi cognoſcant magno ſuo malo, gloriam ſiue potentiam Domini, et intelligant et experiantur quanta ſit potentia Dei, qui regnum potentiſsimum eo tempore, Chaldæorum, præſertim ciuitatem Babylonis, cuius

k muri

muri latiſsimi et fortiſsimi, nullis viribus, nullis machinis bellicis, ſuperabiles videbantur, tradiderit in manus hoſtium, quibus vires et robur præſtitit ad tantum opus, vt per eos vindictam faceret de Babylonijs. Poteſt et hac ratione hæc phraſis reſolui, eodem ſenſu manente. Vt cognoſcant, id eſt, et cognoſcent. Sæpe enim Hebræi ita loquuntur, vt *Iſa.7.b.* Butyrum et mel comedet, vt ſciat reprobare malum, et eligere bonum. Pro, Et ſciet reprobare etc. Sicut vertit Chaldæus Paraphraſtes. Aqua vero hoc loco ponitur, non vt apud Iſaiam, ſed pro calamitate, afflictione, et omni genere mali et laboris, quod ſæpe vſu venit Scriptoribus Sacris, vt *Pſal.68.a.* Intrauerunt aquæ vſque ad animam meam. Et *Pſal.123.* Niſi quia Dominus erat in nobis forſitan aquæ abſorbuiſſent nos. Et Forſitan pertranſiſset anima noſtra aquam intolerabilem. Et *Cant.8.d.* Aquæ multæ non poterunt extinguere Charitatem. Quod ſi aquæ calamitates et aduerſa ſignificat, Sicut aquæ, idem erit quod graues calamitates, et ingentia mala; iuxta id quod paulo ante diximus de proprietate particularum ſimilitudinis. Mare autem hoc loco ſignificat Ciuitatem Babylonis, vel vniuerſum regnum Chaldæorum. Solēt enim Sacri Vates Regna, vel vrbes ampliſsimas et opulentiſſimas, appellatione Maris ſignificare. Sic Illuſtris Vates Iſaias *cap.10.f.* Aſſur, ſiue regnum Aſſyriorum, Mare

ap-

appellat. Leuabit Dominus, inquit, virgam ſuam ſuper mare, id eſt, percutiet Aſſyrios in via Aegypti. hoc eſt, quemadmodũ olim leuauit virgam ſuam ſuper Aegyptum, vel ſicut percuſsit Aegyptum plagis illis notiſsimis. Idem Propheta de euerſione Babylonis vaticinaturus initio capitis 21. ipſam Babylonem Mare vocat dicens; Onus deſerti maris. Eandem vrbem Propheta Ieremias *cap.* 51. *d.* Mare Chaldææ vocat. Deſertum, inquit, faciam mare eius (nempe Chaldææ) et ſiccabo venam eius. Et Sanctus Propheta Nahum *cap.* 1. *a.* prædicens euerſionẽ regni Aſſyriorum, illud, vel ciuitatem ampliſsimam Niniuem totius regni metropolim, Mare appellat. Increpans mare, inquit, et exſiccans illud; et omnia flumina ad deſertum deducens. Inquit ergo Sanctus Propheta Habacuc; *et erunt* quaſi aquæ operientes mare, hoc eſt, experientur Chaldæi gloriam, potentiam, et maieſtatem Dei, apprehendent Babylonem mala grauiſsima a Deo immiſſa, quæ illam euertent et vaſtabunt. Poſſunt quædam ex his vocibus, eodem ſenſu manente, hac ratione explanari. Quia ſcire aliquando in Scripturis Sanctis eſt vltionem ſumere, plagas infligere, perdere et vaſtare; Scientia hoc loco pro plagis, ærumnis, pro vaſtitate et omni malorum genere appellatur. Eſt autem Hebraiſmus, Scientia Domini, pro vaſtitate maxima, et plagis grauiſsimis; vt Montes Dei,

muri latiſsimi et fortiſsimi, nullis viribus, nullis machinis bellicis, ſuperabiles videbantur, tradiderit in manus hoſtium, quibus vires et robur præſtitit ad tantum opus, vt per eos vindictam faceret de Babylonijs. Poteſt et hac ratione hæc phraſis reſolui, eodem ſenſu manente. Vt cognoſcant, id eſt, et cognoſcent. Sæpe enim Hebræi ita loquuntur, vt *Iſa.7.b.* Butyrum et mel comedet, vt ſciat reprobare malum, et eligere bonum. Pro, Et ſciet reprobare etc. Sicut vertit Chaldæus paraphraſtes. Aqua vero hoc loco ponitur, non vt apud Iſaiam, ſed pro calamitate, afflictione, et omni genere mali et laboris, quod ſæpe vſu venit Scriptoribus Sacris, vt *Pſal.*68.*a.* Intrauerunt aquæ vſque ad animam meam. Et *Pſal.*123. Niſi quia Dominus erat in nobis forſitan aquæ abſorbuiſſent nos. Et Forſitan pertranſiſset anima noſtra aquam intolerabilem. Et *Cant.*8.*c.* Aquæ multæ non poterunt extinguere Charitatem. Quod ſi aquæ calamitates et aduerſa ſignificat, Sicut aquæ, idem erit quod graues calamitates, et ingentia mala; iuxta id quod paulo ante diximus de proprietate particularum ſimilitudinis. Mare autem hoc loco ſignificat Ciuitatem Babylonis, vel vniuerſum regnum Chaldæorum. Solet enim Sacri Vates Regna, vel vrbes ampliſsimas et opulentiſſimas, appellatione Maris ſignificare. Sic Illuſtris Vates Iſaias *cap.*10.*f.* Aſſur, ſiue regnum Aſſyriorum, Mare

ap-

Digitized by Google

appellat. Leuabit Dominus, inquit, virgam ſuam ſuper mare, id eſt, percutiet Aſſyrios in via Aegypti. hoc eſt, quemadmodũ olim leuauit virgam ſuam ſuper Aegyptum, vel ſicut percuſsit Aegyptum plagis illis notiſsimis. Idem Propheta de euerſione Babylonis vaticinaturus initio capitis 21. ipſam Babylonem Mare vocat dicens; Onus deſerti maris. Eandem vrbem Propheta Ieremias *cap. 51. d.* Mare Chaldææ vocat. Deſertum, inquit, faciam mare eius (nempe Chaldææ) et ſiccabo venam eius. Et Sanctus Propheta Nahum *cap. 1. a.* prædicens euerſionẽ regni Aſſyriorum, illud, vel ciuitatem ampliſsimam Niniuem totius regni metropolim, Mare appellat. Increpans mare, inquit, et exſiccans illud, et omnia flumina ad deſertum deducens. Inquit ergo Sanctus Propheta Habacuc, *et erunt* quaſi aquæ operientes mare, hoc eſt, experientur Chaldæi gloriam, potentiam, et maieſtatem Dei, apprehendent Babylonem mala grauiſsima a Deo immiſsa, quæ illam euertent et vaſtabunt. Poſsunt quædam ex his vocibus, eodem ſenſu manente, hac ratione explanari. Quia ſcire aliquando in Scripturis Sanctis eſt vltionem ſumere, plagas infligere, perdere et vaſtare; Scientia hoc loco pro plagis, ærumnis, pro vaſtitate et omni malorum genere appellatur. Eſt autem Hebraiſmus, Scientia Domini, pro vaſtitate maxima, et plagis grauiſsimis; vt Montes Dei,

Cedri Dei. Vniuerſæ pæne, inquit, gentes vaſtatæ ſunt a Rege Babylonis, et in ditionem illius venerunt. Sequitur *Sederunt* quaſi aquæ operientes mare. Maris appellatione intellige Regem Chaldæorum. Operire pro perdere, vaſtare et e medio tollere. Erit ergo ſenſus, Terra ſcilicet Chaldæorum vaſtabitur plagis magnis, et mala ingentia apprehendent Regem Babylonis, vel regnum ipſius. Vides quantum inter ſe diſtent ſenſu hæc duo loca; quæ ſimilia ſunt verbis, et iiſdem pæne vocibus conſtant, propterea quod eædem voces diuerſimode accipiantur. Nam in loco Iſaiæ de vniuerſa terra eſt ſermo: in loco Habacuc de terra tantum Chaldæorum. In loco Iſaiæ replenda terra prædicitur ſcientia Domini: in loco Habacuc, replenda terra Chaldæorum gloria Domini, id eſt, grauiſsima vindicta, vt expoſitum eſt. Aliud illic Aqua, aliud hic ſignificat. Aliter illic Mare, aliter hic accipitur.

Errare fecerunt Aegyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius et vomens. Et non erit Aegypto opus, quod faciat caput & caudam incuruantem & refrenantem. Iſa. 19. c.

CAPVT XXXI.

Erra-

ERrare ponitur pro *Peccare*, atque adeo fornicari, id eſt, Idola colere. Fecerunt (vtique Sapientes Aegyptiorum) Aegyptios peccare, et fornicari cum Idolis ſuis; id eſt, fuerunt cauſa vt Aegyptii colerent Deos falſos, quos vocat propheta Opus ſuum. *In omni opere ſuo.*) ſiue in abominandis Idolis, id eſt, in cultura Idolorum, quæ vocantur in Prophetis Opera manuum hominis, et aliquando Opera hominum, et aliquando ſine aliquo addito, Opera. Vt *Eze. 6. b.* Delebuntur opera veſtra. Eſtque ſingularis pro plurali. Præterea, quia frequenter vox *Omnis* ex proprietate Hebręa ſignificat id quod magnum eſt, et inſigne in genere ſuo (in bonam ſiue in malam partem:) *Omne opus* hoc loco idem ſonat quod abominandum et execrandum Idolum. *Sicut errat ebrius & vomens.*) Ebrius et vomens, Inuerſio eſt, pro Vomens et ebrius; quod per Hendiadym Hebræam dictum eſt, pro Vomens præ ebrietate. Quamquam non improbo, ſi quis dicat, non fieri Inuerſionē, ſed tantum Hendiadym eſſe, Ebrius et vomens, pro Ebrius vſque ad vomitum, quaſi dicat, nimis ebrius. *Et non erit Aegypto opus quod faciat.*) Quædam obſeruare oportet, quæ etſi minuta videntur; ex his tamen pendet huius loci intelligentia. Genus neutrum aliquando in Arcanis litteris ponitur pro maſculino. vt *Ioan.* 1. *b.*

 In pro-

In propria venit,pro Ad ſuos venit; ſicut ſequitur, Et ſui eum non receperunt. Et *Ioan.* 6. *d.* Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet. pro omnis quem. ſicut ſequitur; Et eum qui venit ad me etc. Et ibidem, Vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo. Sic hoc loco accipitur *Quod* pro *Qui*: quaſi dicat Propheta, Non ſupererit Aegypto, qui faciat, vel colat opus *ſuum*: ſiue nullus Idolorũ cultor ſupererit. Non relinquetur in Aegypto qui Idola colat. niſi malis ita exponere, Non remanebit in Aegypto opus hominis, vel aliquod Idolũ, quod ipſa Aegyptus colere poſsit. *Facere* pro Colere et adorare ponitur in pleriſq. locis Scripturarum. vt *Pſal.* 113. *b.* et *Pſal.* 134. *b.* Similes illis fiãt, qui faciũt ea. Et *Pſal.* 65. *b.* quod in Hebræo eſt, Faciam boues cum hircis, vt vertunt B. Hier. et alii: Vulgatus interpres doctiſsime reddidit, Offerã tibi boues cum hircis; atque ita Chaldæus Paraphraſtes vertit. Quæ quidem proprietas vocis non abhorret a Latinis Poetis. Nam Poeta dixit, *Cum faciam vitula*, pro *Sacrificabo*. Sic ponitur ea vox hoc loco pro Colere; et diuinos honores impendere. Præterea in verbis quæ ſequuntur, oportet ſubaudire verbum quod ſenſui cõgruat; quod ſtatim aſsignabimus. *Caput* pro Principibus populi Aegyptiorum ponitur. *Caudam* vero vocat Propheta homines plebeios, et ignobile vulgus. Eſt ergo ſenſus huiuſmodi. Non ſupererit Aegypto qui

colat

Digitized by Google

colat opera manuum hominum, ſiue Idola. *Nam perdet et tollet de medio* caput et caudam; id eſt, nobiles et plebeios, diuites et promiſcuum vulgus. Perdet Deus vniuerſam Aegyptum, nobiles et ignobiles peribunt. Hiſpane *chicos y grandes*. Pro Incuruante et Refrenante, alii vertunt Ramum et Iuncum, id eſt, iuuenes, et ſenes iuncis, ſiue baculis innixos. Perdet, inquit, caput et caudam, id eſt, nobiles et ignobiles, et omnium ętatum homines, iuuenes et ſenes.

In die illa erunt quinque ciuitates in terra Aegypti loquentes lingua Chanaan, & iurantes per Dominum exercituum: Ciuitas Solis vocabitur vna. Iſa. 19. c.

CAPVT XXXII.

VATICINIVM eſt de vocatione gentium, ſub nomine tantum Aegyptiorum, per quos omnes gẽtes et orbis nationes oportet intelligere. Sic enim cõſueuerunt Prophetæ. Eſtque admodum frequens in hoc Propheta myſterium de vocatione gentium. Licet enim Illuſtris Vates Iſaias omnia pæne myſteria Chriſtianæ

religionis ad liquidum perſecutus ſit: præcipua tamen eius cura (vel Diuo Hieronymo teſte) circa aduentum Meſsiæ, et vocationem gentium, verſatur. Quod ait, *In die illa*, non ad tempus illud referendum eſt de quo paulo ante dixerat. In die illa erit Aegyptus quaſi mulieres etc. Tunc enim loquebatur de futura vaſtatione Aegypti. Nunc vero more Prophetarum, qui poſt aduerſa ſolent læta et ſecunda ſubiungere; prædicit poſt diram illam vaſtationem Aegypti, temporibus Meſsiæ quandam magnam felicitatem ſecuturam, id eſt, Aegyptios ad gremium Eccleſiæ adducendos, futurosque de populo Dei, qui eſt populus Chriſtianorum. Itaque per hęc verba, *In die illa*, tempora Meſsię, et Euangelii ſignificantur. Sic enim loqui conſueuerunt Sancti Prophetæ, ſicut idem Sacer Vates hoc eodem capite, ter loquitur, vaticinium texens de vocatione gentium. *Quinque ciuitates in terra Aegypti loquentes etc.*) hoc eſt, quinque illæ ciuitates Aegypti nominatiſsimæ, quas Pentapolim vocant, loquentur lingua Chanaan. Fortaſsis Quinque ciuitates dixit Propheta pro omnibus, vel præcipuis, magnis et celeberrimis: quia nomina quæ vocant Numeralia, aliquando in Sacris, ex idiomate ſermonis Hebræi, dicuntur de re quæ in ſuo genere magna eſt. quaſi diceret, vniuerſa Aegyptus: ita vt vnius Aegypti nomine, qua orbis regna intelligantur. In quem ſenſum expo-

exponi poteſt, Quinque, vel omnes ciuitates. id eſt, omnia regna. Quamquam non inepte, vt dixi, Pentapolim intelligere poſsis. *Loqui* accipi videtur pro *Iurare* (quod aliquando reperitur in Litteris Sacris) ita vt *Et* accipiatur expoſitiue, pro *id eſt*. Pentapolis illa, inquit Iſaias, nobiliſsima Aegypti, vbi maxime viget cultura Idolorum, loquetur, vel iurabit non iam per Idola ſua, ſed per Deum verum, vt populus Iſrael. Sæpe enim Prophetæ Sancti cultum ac religionē ſignificant per linguam, ſermonem et verba: propterea, vt exiſtimo, quod iuramenta et ſupplicationes ad eum facere ſolemus, quē pro Deo colimus. Hinc Oſeas *cap. 7*. loquens de Idolorum cultoribus, ait: Locuti ſunt contra me mendacia, id eſt, vana iuramenta faciunt per Idola, et ad ea preces vaniſsimas fundunt. Et non clamauerūt ad me. Et a furore linguæ ſuæ, id eſt, propter inſanā verba quæ loquuntur, dum ſtulte iurant per Idola, et ad ea preces fundunt. Temporibus ergo Meſsiæ, Aegyptii, inquit, loquentur vt populus electus Dei, degent vt gens Hebræa. Quæ quia typus fuit populi Chriſtiani, hoc loco, et aliis multis, gentem Chriſtianā ſignificat. quaſi dicat, Vniuerſa Aegyptus, ac verius omnia orbis regna colent verum Deum, vt colit gens Chriſtiana, erunt de populo Chriſtiano. Tunc loquentur in lingua Chanaan id eſt, vt gens Chananæa, ſiue Hebræa habitans terram Chanaan.

Quia vero oratio effert animi mores, cum ait Aegyptios locuturos vt gens Iſraelitica loqueretur;ſignificat Propheta veram Dei religionem quam populus Iſrael ſequebatur, Aegyptios ſuſcepturos, relicto cultu Idolorum. Eſt proinde vaticinium de vocatione Aegyptiorum, ſubindeque, vt diximus, omnium gentium ad Chriſti Euangelium. Et quidem dum hoc mecum pertracto, deprehendo, ni fallor, verbum Loquendi, hoc loco maiorem et reconditam vim habere. Eſt enim Loqui degere, vitam inſtituere, et quod vulgo dicimus cõuerſari, ita v t magis ad actionem et opera, quam ad verba referatur. Erunt ergo Aegyptii loquentes *in* lingua Chanaan, id eſt, ſicut loquitur gens Chanaan (Nam Lingua pro gente et natione ponitur, quod non eſt inuſitatum apud Scriptores Sacros) atque adeo ſicut populus Iſrael, qui dicitur populus Chanaan, quod habitaret terram Chanaan. Et ſicut populus ille Iſrael frequenter apud Prophetas, typum et imaginem gerit Eccleſiæ Chriſti, populiq. Chriſtianorum, ita et hoc loco. Cum ergo Illuſtris Vates Iſaias prædicit, Aegyptios locuturos ſicut populus Iſrael loqueretur; ſignificat procul dubio illorum vocationem ad Chriſti Eccleſiam, qui in Sancta religione, vita et moribus Chriſtianos homines imitarentur, eſſentque ipſi iam effecti de populo Chriſtianorum, et Euangelii ſectatores. Itaque quia oratio

effert

effert animi mores,et ex abundantia cordis os loquitur (vt inquit Chriſtus Ieſus apud Matthæum *cap.* 12.*c.*) Loqui pro operibus conuerſari poſitum eſt. Eandem vim habet Loquendi verbum apud Apoſtolum, 1.*Cor.* 12.*a.* Nemo in Spiritu Dei loquens,dicit anathema Ieſu. Vbi Spiritus ponitur pro ſermone, atque adeo pro lege, nempe Euangelicâ, quæ Spiritus appellatur, quia non in Scriptis, vt lex vetus, data eſt, ſed verbo ab ipſo Chriſto prædicata. Spiritus itaque Dei, eſt lex Dei, vel Hebraiſmo illo *Cedri Dei*, eſt lex ſancta, quæ eſt Euangelium Chriſti. Inquit ergo Sanctus Apoſtolus; Nemo in Spiritu Dei loquẽs, hoc eſt, nullus qui iuxta Sanctum Euãgelium degat,et iuxta illud vitam ſuam inſtituat, nullus Chriſtiane viuens, nullus Diuinæ legis obſeruator:dicit anathema Ieſu, vel execratur Ieſum, iacit probra in Ieſum,male loquitur de Ieſu. *Lingua Chanaan.*) Subaudire oportet præpoſitionem *In*, quæ licet non expreſsa,vim habet ſimilitudinis, quod aliquando fit in Scripturis Sanctis.(*Ciuitas Solũ vocabitur vna.*)Quia Vnus ex proprietate linguæ Hebraicæ aliquando ponitur pro Primus in Arcanis Litteris, et Primus interdum pro inſignis,excellens et præſtantiſsimus;hoc loco *Vna Ciuitas*,idem pollet quod ciuitas inſignis et præſtãtiſsima. *Vocari* vero pro *Eſſe* poſitũ eſt,idque frequenter occurrit in lectione Sãctarum Scripturarum. Eſtq.

inuerſio

inuerſio verborum, pro eo quod dicendum erat, Vocabitur vna ciuitas Solis. Omnes, inquit, ciuitates Aegypti amplectentur legem Dei, *inter quas etiam* erit præſtantiſsima ciuitas Heliopolis, in qua præcipue viget Idololatria, et execrāda religio (ſi modo religio vocanda eſt) Deorum, et quæ Schola ſapientiæ habetur, vbi multi ſapientes qui docent Idololatriā, et quæ eſt Academia totius Aegypti.

In die illa erit Iſrael tertius Aegyptio & Aſſyrio, benedictio in medio terræ, cui benedixit Dominus exercituum dicens. Benedictus populus meus Aegypti, & opus manuum mearum Aſſyrius, hereditas autem mea Iſrael. Iſaiæ 19. d.

CAPVT XXXIII.

VATICINIVM eſt de vocatione gentium. Hanc omnium gentium vocationem, hoc loco Sacer Vates Iſaias ſub nomine Aegyptiorū et Aſſyriorū adumbrat. Quod ſæpe faciunt Prophetæ loquentes de quibuſdam gentibus, per quas vniuerſitas gentium eſt intelligenda. Vox *Tertius* hoc loco, non parum habet difficul-

ficultatis. Mea ſententia de illa hæc eſt. Nomina quæ vocant numeralia (ſicut ſuperius ex parte diximus) aliquando in Sacris Litteris ex idiomate ſermonis Hebræi, ſignificant id quod magnum et excellens eſt in genere ſuo. Sic in Apocalypſi *cap. 2. c.* et 20. *b. d.* et 21. *b.* mors ſecunda, eſt ſupplicium grauiſsimum ac ſempiternum, qua voce pœnæ gehennæ ſignificantur. Et tertium cælum vocat Apoſtolus 2. *Corin.* 12. *a.* cælum præſtantiſſimum præ aliis, quod eſt ſedes Dei, Angelorum, et animarum beatarum, quod empyreum vocamus; et genere Hebraiſmi hoc ſignificantis, vocatur in diuinis litteris Cælum cæli. Ad eundem modum, hoc loco Tertius, iuxta ſubiectam materiam, ſonat idem quod magnus, Potens, Inclytus, denique Princeps et Rex. Et quia populus ille vetus typum gerit ſæpe in Prophetis, Eccleſiæ Chriſti: quod ait Iſaias, *Erit Iſrael tertius, ſiue Princeps et Rex Aegyptio et Aſsyrio:* hunc habet latentem Spiritum. Eo tempore (nempe temporibus Meſsiæ, ſiue temporibus Euangelii) Eccleſia Chriſti dominabitur Aegyptiis et Aſsyriis, quorum appellatione, vt diximus, oportet intelligere omnes orbis nationes. Illis feliciſsimis tēporibus populus Chriſtianorum imperabit omnibus gentibus, erit Rex omnium gentium, quæ ſponte Eccleſiæ ſanctiſsimis legibus colla ſubdēt et parebunt. *Benedictio in medio terræ.*) Subaudi *Et erit.* Erit, inquit, illis temporibus

ribus, benedictio in medio terræ, id eſt, in vniuerſa terra, ſiue in omnibus gẽtibus, hoc eſt, erunt benedictæ omnes gentes, quia Euangelium Chriſti ſuſcipient. De qua benedictione dictum eſt *Gene.* 26. In ſemine tuo (quod eſt Chriſtus) benedicentur omnes gentes. Medium terræ, idiotiſmus Hebræus eſt, pro vniuerſa terra; id eſt, pro omnibus gentibus. Poteſt eſſe denominatio pro denominato, Benedictio pro Benedicto, more Hebræo. Et quia Benedictio non raro in Arcanis Litteris, ex proprietate ſermonis Hebræi, ſignificat omne genus humanæ felicitatis: Benedictus hoc loco idem eſt quod potens, Rex, et Dominus. Verus, inquit, Iſrael, id eſt Chriſti Eccleſia dominabitur in vniuerſa terra, dominabitur cunctis gentibus, quia tempore feliciſsimo Euangelii, omnes orbis nationes ſponte ſua colla ſubmittent ipſi Sanctæ Eccleſiæ, illi parebunt, illius iugum ſuauiſsimum ceruicibus ſuis imponent. Cum ait Propheta In medio terræ, *In*, poteſt eſſe nota effectiui, more Hebræo, hoc ſenſu. Populus Iſrael erit benedictus, ſimul et omnes gentes orbis, tẽporibus Meſsiæ accepto Euangelio. Et quia Benedictio ex proprietate Hebræa, vt modo diximus, copiam omnium bonorum ſignificat, hoc loco nomine Benedictionis, copiam magnam opum ſpiritualium intelligere debemus. Erit, inquit, magna copia bonorum ſpiritualium in medio terræ, ſiue in vniuerſa

terra

terra; quia temporibus Meſsiæ omnes gentes, reiecto Idolorum cultu, Euãgelii fidem ſuſcipient. *Et erit Iſrael* benedictio, vel benedictus, id eſt, felix et beatus in medio terræ, hoc eſt, ſimul cum Aegyptiis, et Aſſyriis (nam repetitio eſt) qui ſunt medium terræ; id eſt, potentiſsimæ orbis nationes. *Autem* pro *Et*, quæ pro particula ſimilitudinis accipi poteſt. Inſinuat vero Propheta hoc loco, cum ait, Benedictus populus meus Aegypti etc. ex populo Iſrael, et ex omnibus gẽtibus, vnum tantum populum Chriſtianum conſtituendum, et populum Iſrael ſimul cum aliis gẽtibus ſuſcepturum Chriſti Euangelium. Et ſicut ſtudioſis legis Moſaicæ promiſſa erat copia bonorum: ita legis Euangelicę ſectatoribus bona Spiritualia proponuntur in Euangelio, quod ſæpe facit Diuus Paulus loquens de opibus ſpiritualibus. Cum ergo audis gentes, temporibus Meſsiæ (nam de his fit ſermo) futuras opulentas, potentiſsimas ac feliciſsimas; intellige de diuitiis ſpiritualibus, quæ apud Prophetas, huiuſmodi tropis et figuris loquendi, ſæpe adumbrantur. *Aegyptio et Aſſyrio*) Non eſt datiuus, ſed ablatiuus ſubintellecta præpoſitione *In*, id eſt *Cum*, quod nonnũquam fit apud Hebræos. Vel certe præpoſitio *In*, id eſt *Cum*, quæ poſtmodum ſequitur, retrahenda eſt. Quod genus locutionis interdum inueniri apud Hebræos, ex idiomate illius linguæ, alibi obſeruamus. *Benedictus* pro felici ap-

ci appellatur, vt *Maledictus* pro infelici (vtrumque ex idiomate Hebræo) vt *Ieremiæ* 17.*a*. Maledictus homo qui confidit in homine; id eſt, qui confidit in homine, infelix erit, quia ſpe ſua fruſtrabitur; nec enim ſolet con ſequi auxilium ab homine. Locutione autem illa, Montes Dei, et Cedri Dei, Benedictus Domini, idem eſt quod feliciſſimus, vel plurimum felix. Erit itaque huius loci ſenſus, atque hæc ſeries ſermonis Prophetici. In die illa (nempe temporibus Meſsiæ) Iſrael ſimul cum Aegyptio et Aſsyrio, et in medio terræ (id eſt, ſimul cum aliis orbis nationibus) erit tertius, id eſt potens et opulentus, et benedictus Domini, hoc eſt, plurimum felix, et multipl[i]ci felicitatis genere præclarus, inſignis, abundans. Quod de opibus ſpiritualibus intelligendum eſt. *Cui benedixit Dominus*) Cui (ſcilicet medio terræ, ſiue omnibus gentibus) *Benedixit*, præteritum eſt pro Futuro, more Prophetarum, qui conſueuerunt res futuras enunciare verbis Præteriti temporis. *Benedictus populus meus Aegypti, & opus manuum mearum Aſſyrius &c.*) Hic eſt ſenſus, Benedictus erit populus Aegypti, et *benedictus erit* Aſſyrius, *qui erit opus manuum mearum, id eſt, populus meus*. Benedictus erit populus Aegypti, quia meus, id eſt, felix erit populus Aegypti, quia erit populus meus, (Sic *Pſal.* 32.*b*. Beata gens, cuius eſt Dominus, Deus eius: populus quem elegit in heredita

tem

tem ſibi) et *Benedictus, ſiue felix populus* Aſsyrius, *quia eris* Opus manuum mearum, id eſt, populus meus. Opus ponitur pro hereditate, id eſt populo. quod aliquando fit in Diuinis Litteris. vt *Iſa.* 40.c. Opus illius coram illo. Sic dictum eſt, vt alibi explanamus, *Iſa.* 28.e. Vt faciat opus ſuum (id eſt, vt vindictam ſumat de populo ſuo) alienum opus eius. Et quia vox *Manus* vacat in hac phraſi (quemadmodum ſæpe vacat in Diuinis Litteris, ex proprietate linguę Hebrææ) Opus manuum mearum nihil aliud eſt quam opus meum, id eſt, populus meus. *Hereditas autem mea Iſrael.*) Pro *Autem*, Hebraice eſt *Et*, quæ vna coniunctio in lingua Hebræa vice multarum particularum ponitur. Hoc vero loco pro particula ſimilitudinis recte accipitur, vt ſit ſenſus. Felix (inquit Dominus) populus Aegyptiorum, qui factus ſit, vel futurus eſt populus meus, ſiue de populo meo. Felix ſimiliter populus Aſsyriorum, atque adeo felices omnes gentes quę futuræ ſunt populus meus, et futuræ ſunt ſicut hereditas Iſrael, vel ſicut populus Iſrael (nam Hereditas pro gēte et populo ponitur) id eſt populus Chriſtianorum. Poſſumus hoc loco per Benedictionem, Sanctificationem intelligere, et Benedictum accipere pro Sãctificato. Interdum enim hæ voces ita accipiuntur. Temporibus Meſsiæ, inquit Iſaias, Iſrael erit tertius Aegyptio, *et Aſsyrio, et iiſdem temporibus erit* benedictio,

l ſiue

Digitized by Google

ſiue ſanctificatio in medio terræ, ſiue in omnibus gentibus) Tunc omnes gentes erunt benedictæ, ſiue ſanctificatæ, quæ recipient Euangelium Christi, et fient de gremio Eccleſiæ. Et ſic implebitur illud, In quo benedicentur omnes gentes, vt paulo ante tetigimus. Tunc benedicet Dominus medio terræ, hoc eſt, Sanctificabit omnes gentes per Euangelium, ad quod vocabit eas. Tunc populus Iſrael ſimul cum omnibus gentibus, erit benedictus, id eſt Sanctificatus, atque opulentus diuitiis, ſcilicet ſpiritualibus. Tunc benedicet Dominus medio terræ, id eſt, ſanctificabit omnes gentes. *Tunc benedictus erit populus meus etc.*) Idem ſignificant Populus, Opus, et Hereditas, quaſi dicat, Aegyptii et Aſsyrii erunt populus meus, ſicut Iſrael. Temporibus Meſsiæ (quæ ſunt tempora Euangelii) Aegyptii et Aſsyrii (per quos reliquas omnes gentes oportet intelligere) erunt ſicut populus meus electus (nam populus Iſrael ſæpe typum gerit populi Chriſtianorum, vt dictum eſt) ſicut populus Chriſtianorum, quia erunt de populo meo, et erunt populus meus, erunt electi mei, quia intrabunt Eccleſiam meam, nec vllum diſcrimen erit (in iis quæ ad ſalutem animarum pertinent) inter populum Iudaicum, et populos gentium, ſiue populum Gentilicum: cum ambo vnam Eccleſiam conſtituerint, et eandem Eccleſiam Chriſti intrauerint. Populus Aegypti erit populus

meus

meus, quia erit benedictus, vel ſanctificatus a me. Sic Aſsyrii erunt populus meus, ſcilicet quia erunt benedicti vel ſanctificati, ſicut hereditas mea, vel populus meus eſt Iſrael. Sicut nunc Iſrael eſt hereditas mea, populus meus; ſic omnes gentes illis temporibus, erunt benedictæ ac ſanctificatæ, erunt populus meus, et me colent. Sic dictum eſt *Pſal.46.* Regnabit Deus ſuper gentes, *ſicut modo* Deus ſedet ſuper ſedem ſanctā ſuam, hoc eſt, ſicut regnat ſuper populum ſuum electum. Itaque Benedictus populus meus Aegypti, id eſt, benedicti erunt Aegyptii et mihi grati, *quia erunt* populus meus. Nam reiecto Idolorum cultu, fidem meam amplectentur, erūt de populo meo, et pars populi mei. et *benedicti erunt* Aſsyrii, ſiue mihi grati, *quia erunt* opus manuum mearum, id eſt, populus meus; et, id eſt, *ſicut* Iſrael eſt hereditas mea: quaſi dicat, gentes quæ fidem meam et cultum amplectentur, non minus erunt populus meus, quam nunc eſt Populus Iſrael, et tunc erit Eccleſia Catholica.

Et erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis. *Iſa. 30.c.*

Hiſpania Magiſtri ordinum militarium appellabantur qui eſſent Principes, et præfecti ordinis equeſtris, vulgo *Maeſtres*. *Non faciet*, inquit, *auolare a te doctorem tuum*, hoc eſt, non ducetur captiuus Princeps tuus, vel Rex tuus in gentes exteras. Hoc igitur pacto, Præceptorem appellat Iſaias pro Principe, niſi malis Præceptorē, Prophetam, aut legis doctorem appellari, qui legem Dei proponeret populo. Vnde ait Sanctus Iſaias, *Et aures tuæ audient verba poſt tergum monentis: Hæc eſt via etc.* Doctor enim aliquando (vt dictum eſt ex parte) in Arcanis Litteris ſonat idem quod Princeps, et Præfectus, quemadmodum modo diximus de voce Magiſtri, vt *Deut. 31. g.* Congregate ad me omnes maiores natu per tribus veſtras, atque Doctores. Vbi poſt eos quos maiores natu, ſiue ſeniores Moſes appellauerat: Doctores, ſiue Magiſtros, id eſt, tribuum Principes viros, et præfectos vocat. Hoc autem loco non eſt intelligendum (vt quidam vertunt) Poſt tergum tuum, vel poſt te, ſed ſubaudiendum eſt nomen Dei, vt Eſſe poſt tergum Dei, ſit idem quod eſſe ſeruum Dei; quo nomine Propheta ſignificatur. Aliquando enim Sancti Prophetæ, ſerui Dei vocantur in Scripturis Sanctis; et aliquando Seruus Dei ſonat idem quod Propheta; vt *Iere. 7. f.* Et miſi ad vos omnes ſeruos meos Prophetas per diem, cōſurgens diluculo. Et *Iere. 25. a.* Et miſit Dominus ad

vos omnes ſeruos ſuos Prophetas, conſurgens diluculo etc. Et *cap.* 26.*a.* et 29.*d.* Et *Iſa.* 44.*d.* Suſcitans verbum ſerui ſui, hoc eſt, qui implet vaticinia Prophetarum ſuorũ. In quem ſenſum addit Iſaias, Et concilium nunciorum ſuorum. Et *cap.* 50.*d.* Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem ſerui ſui? id eſt, obediens monitis Prophetarum eius. Singularis pro plurali. Itaque Eum qui poſt tergum Dei eſt, dixit Iſaias pro ſeruo Dei, id eſt Propheta. Monentis etiam appellatione Propheta intelligitur, quia Prophetarũ munus erat populum commonere ad obſeruationem Diuinæ legis, atque dicere, Hæc eſt via, ambulate in ea, hæc eſt via per quam incedere debetis. Videbis, inquit, Regem tuum, et audies verbum (id eſt, doctrinam) *eius qui eſt* poſt tergum *Dei, id eſt, Serui Dei, ſiue Prophetæ*: qui commonebit te dicens, Hæc eſt via etc. quaſi dicat, Rex tuus, et Prophetæ non abducentur captiui, ſed potieris adminiſtratione Regis tui; nec parebis Regi alienigenæ, et potieris doctrina Prophetarum, qui tibi verbum Dei proponant, quos Præceptores et Magiſtros in legẽ habeas. Hoc enim erat, ad alia, muneris Prophetarum. Cum ergo ait, *Poſt tergum,* ſubaudiendum eſt *Domini.* Nam id nomen præceſſerat. Eſtque Synecdoche *Poſt tergum Domini*, pro eo quod eſt *Poſt Dominum.* Eſſe ergo poſt Dominum, dixit Iſaias pro, Eſſe ſeruum Domini. Serui vero Domini.

pro Prophetis appellãtur, vt dictum eſt. Nam Eſſe, Ire, vel Ambulare poſt tergum alicuius, idiotiſmus Hebręus eſt, pro eſſe illius ſeruum. Nam ſerui poſt Dominum ſuum incedere ſolent. *Iſa.29. c.* Auerſi ſumus ne iremus poſt tergum Dei noſtri, id eſt, auerſi ſumus a lege, nec iuimus poſt Deum, vel non ſeruiuimus Deo. Et *Soph.* 1.*b.* Qui auertuntur de poſt tergum Domini. Hiſpane *Los que ſe apartan del ſeruicio de Dios*. quaſi diceret, qui derelinquunt Dominum, et colunt Idola. Denique Ambulare, Abire, vel Ire, vel Eſſe poſt aliquem, eſt illi ſeruire, illius ſeruum eſſe; ſicut diximus de hac phraſi Eſſe, Ire, vel Ambulare poſt tergum alicuius. vt *Iſa.45.e.* Poſt te ambulabunt, id eſt, erunt ſerui tui. Et *Eccleſiaſtici* 31.*a.* Qui poſt aurum non abiit, id eſt, qui non ſeruiuit Mãmonæ, vt eſt in Euangelio. Et *Amos* 2.*b.* Poſt quę abierant patres eorum, id eſt, quibus ſeruierant; quæ coluerant. Et *Iere.*2.*f.* Poſt eos ambulabo, id eſt, illis ſeruiam, illos colam. Inquit ergo Iſaias: Dabit tibi Dominus Sanctos Prophetas, quorum conſilia ſequaris. Nam Prophetas non eſſe in populo, vltionis grauis loco habebatur, ſicut Dominus ait per Amos *cap.*8.*d.* Mittam famem, non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini. Hoc eſt quod ait; Aures tuę audient verbum poſt tergum monẽtis, ſiue doctrinam et exhortationes eorum qui ſunt poſt tergum Domini, ſiue ſer-

uorum Dei, hoc eſt, Prophetarum. Quaſi dicat, Erunt in populo ſerui Dei, id eſt Prophetæ, quorum admonitiones ad id quod rectum eſt, audias, quique te commonefaciant de viis, et lege Domini. Audias voces, conſilia Prophetarum, qui te ad obſeruationem Diuinæ legis admonebunt. Non deerunt tibi Prophetæ Sancti, qui ad ea quæ recta ſunt, adhortentur; qui tibi proponant verbum Dei, quos conſulere poſsis in iis quæ Dei ſunt. Ioelis locus illud habet ſubobſcurum, *Relinquat poſt ſe benedictionem*. Vocat vero Sanctus Ioel Benedictionem copiam fructuum terræ, et omne genus humanæ felicitatis. Cum ait, *Poſt ſe*, ſubaudiendum eſt, *iis qui ſunt*, vt ſit contextus et ſenſus orationis Propheticæ, Et relinquat Deus *iis qui ſunt* poſt ſe, vel poſt eum, id eſt, ſeruis ſuis, ſiue populo ſuo, benedictionem. Nam eſſe poſt Deum, eadem phraſi qua vſus eſt Iſaias loco præcedenti, eſt ſeruire Deo, vel eſſe ſeruum Dei. Quis ſcit, ſi relinquat, vel mittat Deus ſeruis ſuis copiam et abundandantiam fructuum terræ? Ex horum locorum interpretatione diſcat Chriſtianus Lector Sanctarum Litterarum ſtudioſus, quantum valeat cognitio idiomatis ſermonis Hebræi, ad Scripturas Sacras intelligendas. Nō dico Sacras Litteras ſine huiuſmodi cognitione non poſſe intelligi, non id dico. Sed conſtanter affirmo, ad germanam intelligentiā Sanctarum Scripturarum, mul-

tum valere, multumque afferre adiumenti, cognitionem proprietatum Hebraici ſermonis, et circa voces ſingulas, et circa phraſes et locutiones. De quibus habemus nunc in ſcriniis opus vberius, non parum, ni fallor, vtile, quod (ſi Deus Optimus Maximus fauerit cœptis noſtris, et vires impenderit) propediem in lucem dabimus.

Et erit lux Lunæ ſicut lux Solis, et lux Solis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum, in die qua alligauerit Dominus vulnus populi ſui, et percuſſuram plagæ eius ſanauerit. Iſaiæ 30.f.

CAPVT XXXV.

E*Rit lux Lunæ &c.*) Appellatione Solis Reges ſignificantur; appellatione vero Lunæ, magiſtratus et viri Principes Reipublicę. Lucem appellat potētiam et opes, confertque Reges et Principes Regni Iſrael, cum Regibus et Principibus gentium. *Erit*, inquit, *lux Lunæ ſicut lux Solis*, hoc eſt potentia cuiuſlibet Principis, ſcilicet populi Iſrael, erit tanta quanta eſſe ſolet potentia vnius Regis gentium. Itaque appellatione Solis, Rex, vel potius Regnum, videlicet Iſrael,

l v ſigni-

ſignificatur; appellatione vero Lunæ, Principes eius, vel potius ſingulæ vrbes regni Iſrael. *Et lux Solis erit ſeptempliciter etc.*) Septempliciter, dixit Sanctus Propheta, numero finito ſumpto pro infinito. quaſi diceret, Erit lux Solis multo maior quam nunc eſt, id eſt, potentia regni Iſrael, erit multo maior quam nunc eſt, aut vmquam fuerit. Potentia Regis Iſrael erit ſeptempliciter maior quam nunc ſit; *nempe* ſicut lux ſeptem dierũ, id eſt, quanta eſſe ſolet potentia ſeptem, vel multorum Regum gentium. Adumbratur non obſcure felicitas (videlicet ſpiritualis) magna futura Eccleſiæ, quam præfigurauit populus ille vetus. Septem dies dixit Propheta, quaſi ſeptem Soles diceret, ſignificans ſeptem, id eſt, plura, vel potentiſsima regna barbararũ gentium. Nam dies dixit pro Solibus (ſi ita loqui ſermo Latinus pateretur) quia Sol efficit diem ortu ſuo, et lumine. Quę omnia de futura felicitate et potentia populi Dei, dicta; myſtice intelligenda ſunt, ita vt intelligamus adumbrari felicitatem ſpiritualem, bona et opes ſpirituales per Chriſtum collata. Simile eſt illud *Zachariæ* 12.c. Erit qui offenderit (id eſt, infirmus) ex eis, quaſi Dauid, et domus etc. Itaque illuſtris Vates Iſaias cum omnia felicia futuris temporibus (myſtice tamen intelligenda) populo Dei polliceretur: ait, *Erit lux Solis ſeptempliciter*, id eſt, ſplendor, gloria, et potentia Regis Iſrael, eo

tem-

tempore erit ſeptuplum maior quam vnquam fuerit. *In die qua alligauerit &c.*) Quia inter præcipua munia Chirurgi habetur ſtrenue alligare vulnera: *Alligare vulnus*, hoc loco dictum eſt pro illi mederi, et illud ſanare. vt *Lucæ* 10. *f.* Nam coniunctio copulatiua, vbi dicitur *Et percuſſuram*, expoſitiue accipitur pro *Id eſt*. Suntque ſingularia nomina pro pluralibus, *Vulnus*, et *Percuſſura*. Sunt qui ita locum myſtice interpretentur: Hæc nihil aliud quam ingentem lætitiam ſignificant, qua potiuntur fideles, cum vident vulnera peccatorum ſuorum ſanata per Chriſtum: cuius rei fuit typus illa inexpectata lætitia, quam habuit populus Hieroſolymitanus interfectis per miraculum Aſsyriis. Nam ſicut obſcuritas Solis et Lunæ, ſolent figurate ſignificare calamitates, et triſtia omnia: ita et lux Lunæ ac Solis multiplicata, læta omnia ſignificat. Iis enim qui læto ſunt animo, Sol clarius lucere videtur, ſicut illis qui in triſtitia ſunt, omnia obſcura apparent. Cum alligauerit ergo Dominus vulnus populi ſui, hoc eſt, cum viſitauerit, et fecerit redemptionem plebis ſuæ.

Et extendetur ſuper eam menſura, vt redigatur ad nihilum, & perpendiculum, in deſolationem. Iſaiæ 34. *c.*

CAP.

CAPVT XXXVI.

AGIT hoc loco Sanctus Propheta Iſaias de Iudææ vaſtatione. Omnes interpretes vertunt vt vulgata habet editio. Sic enim habent Hebræa. Et quidem (quod ad intelligentiam loci attinet) viri alioqui doctiſsimi in ea ſunt ſententia, vt dicant menſuram, et perpendiculum, aliquando ad conſtruendum adhiberi; aliquando vero in deſtructionem: et hoc loco de Menſura et Perpendiculo fieri mentionem, vt Iudææ vaſtitas futura ſignificetur. Miratus ſum hominum ſententiam. Quis audiuit vmquam tale? quis vmquam vidit, vel audiuit, ad euertendum ædificium aliquod, apponi Menſuram et Perpendiculum? Poterant eos qui ita ſentiunt, verba illa 4. *Reg.* 21. *b.* in hanc ſententiam adducere, ſi prima fronte inſpiciatur, quibus prædicitur vaſtitas futura vrbis Ieruſalem. Extendam (inquit Dominus) ſuper Ieruſalem, funiculum Samariæ, et pondus domus Achab, et delebo Ieruſalem etc. Sed ſi recte locus hic expendatur, intelligemus, Menſuram hic non eſſe regulam, nec ad ædificium pertinere; ſed de menſura et pondere ſermonē fieri metaphorice, ad ſignificādam æqualitatem; vt Latine dicimus, Par pari referre. Extendam, inquit, ſuper Ieruſalem funiculum etc. quaſi dicat, Eam menſuram malorum afferam Ieroſolymitanis, quam adduxi

duxi Samaritis: eadem menſura puniam Ieruſalem, qua et puniui Samariam, idem malorū pondus, idem iugum vtrique imponam. Sic dictum eſt *Deut.* 25. *a.* Pro menſura peccati erit plagarum modus, hoc eſt, pro qualitate vel grauitate. Sic illud intelligendum eſt *Iſa.* 28. *d.* Ponam in pondere iudicium. Et per repetitionem ſequitur, Et iuſtitiam in menſura, hoc eſt, adducam populo meo, vel illuſoribus Prophetarum, vindictam, iuxta mēſuram ſcelerum eorum. Sic dictum eſt *Pſal.* 79. Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis in menſura. Et *Matthæi* 23. *d.* Implete menſuram patrum veſtrorum. Vbi implere menſuram, dictum eſt, pro accipere, vel recipere mercedem. Sed ego, non temere, nec ſine cauſa, in hanc ingredior ſententiam, vt exiſtimem negationem quæ præceſsit, hoc loco repetendam, vt ſit ſenſus, Et non extendetur ſuper eam mēſura etc. Nec alicui abſurdum videatur, quod poſt interiectam periodum, negatio repetatur. Solet enim Hebræus ſermo illam longius repetere, quam linguæ aliæ. Fit autem inuerſio vocum, quæ non eſt inuſitata apud Scriptores Sacros. Nam ita dictum eſt, pro eo quod eſt; Et non extendetur ſuper eam menſura, et perpendiculum, vt redigatur (id eſt, ſed redigetur) ad nihilum, in deſolationem. Non inſtaurabitur, inquit, vltra Iudææ regio, poſt hanc vaſtationem. Solent enim Scriptores

Sacri

Sacri Menſuram et Perpendiculum nominare, cum ędificium conſtruendum volunt ſignificare: vt *Zacha. 1. c.* Domus mea, inquit, ædificabitur in ea; et perpēdiculum extendetur ſuper Ieruſalem. Et *cap. 4. c.* de eadem re, Videbunt lapidem ſtanneum (id eſt, perpendiculum) in manu Zorobabel. Hinc multa mentio Menſuræ apud Ezechielem in deſcriptione vrbis Ieruſalem inſtaurandæ, et Templi, *cap. 40. 41. 42.* Hinc illud *Iob. 38. a.* Quis poſuit menſuras eius, ſi noſti? vel quis tetēdit ſuper eam lineam? Inquit ergo Propheta, Non extendetur ſuper Iudæam menſura, hoc eſt, non inſtaurabitur, nec rurſus conſtruetur. *Ut redigatur etc.*) Idioma Hebreum eſt, pro, et redigetur, hoc eſt, ſed redigetur ad nihilū. *Et perpendiculum*) Inuerſio eſt, pro Extendetur, vel non extendetur ſuper eam menſura et perpendiculum, ſed redigetur ad nihilum, *et erit* in deſolationem. Et *non ultra* extendetur in ea mēſura, ſed redigetur ad nihilum. Et *non extendetur ultra* perpendiculum (quaſi dicat, nūquam reædificabitur) *Sed erit* in deſolationem, id eſt, velut ſolitudo et deſertum. *Ut* ponitur pro *Et*, vt *Iſa. 7. c.* Vt ſciat reprobare malum, pro Et ſciet reprobare malum. Rurſus *Et*, ex idiomate Hebræo, pro aduerbio temporis *Poſtquam*, in hoc loco mihi accipi videtur: quāquam alii pro *Sed* accipiant, vt ſit ſenſus, Extendetur ſuper eam menſura et perpendiculum, poſtquam redacta fuerit ad

nihilum

nihilum, et poſtquam redacta fuerit in deſolationem. Sed dum hæc ſcriberem, in aliam incidi cogitationem. Arbitror enim non de menſura, ſiue regula, et perpendiculo, ad ædificium conſtruendum, loqui Prophetam; ſed de funiculis ad menſurandos agros, et partes ciuitatis. Nam cum ciuitas aliqua in hoſtium ditionem veniebat, ipſi hoſtes victores diuidebant eam, et agros eius inter ſe. Cum ergo fiebat huiuſmodi diuiſio, iam ciuitas capta et ſuperata erat ab hoſtibus. Hinc cum dicitur ciuitas aliqua diuidenda, ſignificatur capienda ab hoſtibus. Extendetur, inquit, ſuper eam menſura, ſiue diuidetur inter hoſtes victores, et redigetur ad nihilum: ſiue poſtquam destructa fuerit, diuidetur (inquiam) poſtquam fuerit redacta in deſolationem. Sed vt ingenue verum fatear, nulla harum expoſitio, meo ingenio facit ſatis, licet aliquando arriſerint. Paucis ergo accipe Chriſtiane Lector huius loci germanã intelligentiam. Negari non poteſt hoc loco de ædificio conſtruendo fieri mentionem, cum Perpendiculum nominetur, quod non ad loci menſuram, et partium eius eſt, ſed ad ædificandum adhiberi ſolet. Propheta itaque vaticinatus vaſtationem veteris Synagogæ, quæ typum Eccleſiæ Chriſti gerebat: prædicit illam rurſus inſtaurandam. Sic idem Sacer Vates Iſaias *cap.* 6. cum vaticinaretur Regni Iudææ euerſionem, rurſus illud in melius commutandum, et florentiſ-

ſimum

ſimum futurum prædicit. Idque facit eodem filo orationis tam leniter ſenſim defluens, vt de eadem penitus re ſermonem facere videatur. Sic enim ait, *Terra relinquetur deſerta, et longe faciet Dominus homines* (hæc ad vaſtationem ſpectant, quæ ſequuntur, pertinent ad inſtaurationem) *et* (pro ſed) *multiplicabitur aliquando quæ derelicta fuerat in medio terræ, et adhuc in ea decimatio etc.* Et vbi ait Propheta, *Et multiplicabitur: Et,* poteſt accipi pro aduerbio temporis *Poſtea,* vel *Aliquando*. Sic hoc loco idem Propheta Iſaias, poſtquam vaſtationem veteris Synagogæ fuerat vaticinatus: ipſius inſtaurationem, et felicitatem futuram in Eccleſia Chriſti, cuius illa erat typus, prophetat. Poſtquam, inquit, redacta fuerit ad nihilum, ſiue poſtquam vaſtata fuerit, et poſtquam fuerit in deſolationem: extendetur ſuper eam menſura et perpendiculum, hoc eſt, inſtaurabitur.

Super montem excelſum aſcende tu, quæ euangelizas Sion. Exalta in fortitudine vocem tuam, quæ euangelizas Ieruſalem. Exalta, noli timere. Dic ciuitatibus Iudæ, Ecce Deus veſter. *Iſa. 40, b.*

CAPVT XXXVII.

QVI-

QVIDAM ita locum intelligẽdum putant, vt verba ſonant. Alius ex nouis interpretibus, ita locum vertit, vt ſermo tendat ad ipſam vrbem Ieruſalem, quæ Euangelizatrix appelletur. Hi tempora Imperatiui pro futuris Indicatiui poſita more Hebræo, iudicabunt, quaſi ſenſus ſit, O Sion eſto feliciſsimi nuncii annunciatrix, per Prophetas tuos. Nuncia per eos, quod ſuper montes excelſos aſcendes, ſiue regnis orbis potentiſsimis ſuperior eris, illa imperio tuo ſubiugabis. Sicut ſuperius *cap.2.a.* dictum eſt; Erit in nouiſsimis diebus mons domus Donini in vertice montium, et eleuabitur ſuper colles. Qui huius ſententię ſunt, ſequuntur lectionem quorundam interpretum (ſicut et quidam codices Vulgati interpretis habent) qui vertunt, Tu qui euangelizas Sion, vt Sion ſit vocandi caſus, quæ Eccleſiæ Chriſti typum habet. Horum ſentẽtia numquam mihi probari potuit. Quin potius crediderim, verba Dei eſſe ad Prophetam Iſaiam. Verbum vero aſcendendi, hoc loco ſignificat leuare vocem; qua proprietate loquendi vulgo apud nos Muſici vtuntur. Montium vero appellatione (nam ſingularis numerus ponitur pro plurali) regna et diuerſas orbis nationes oportet intelligere. Idq. frequens eſt apud Prophetas. Iſaias *cap.13.a.* Regnum Babyloniorum, Montem vocat. et Ieremias *cap.50.a.*

Feceruntq. inquit, vagari in montibus, id eſt, per varia regna. Et *Iſa.* 2.*a.* et *Michæ.* 4.*a.* Erit præparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons domus Domini vocatur regnum, populusque Chriſtianorum, qui eſt mons domus Domini, id eſt, regnum populi Dei, ſiue Eccleſia Chriſti; quę erit, inquit Propheta, vertex et caput omnium regnorum, ſiue omnium gentium, quas Montium appellatione intelligit. Sic vtitur voce Montium Regius Vates, *Pſal.* 67. *b.* Mons Dei, mons pinguis, vt quid ſuſpicamini montes etc. Montes ergo excelſos vocat Sanctus Propheta Iſaias regna potentiſsima, et gentes opulentiſsimas. Sicut interdum in Scripturis Sanctis gentes illæ Idola colentes, quod eſſent potentiſsimæ, dicuntur eſſe in cælo, id eſt, in excelſo potentiæ gradu conſtitutæ; vt *ad Ephe.* 1.*b.* 3.*b.* 6.*b.* et *ad Colo.* 1.*c.* Euangelizare, eſt fauſta et proſpera nunciare. Sion vero, et Ieruſalem, nulli dubium eſt, quin typum teneant Eccleſiæ Chriſti, quodq. ipſa Eccleſia his nominibus deſignetur. Quod admodũ familiare eſt apud ſanctos Prophetas. Inquit ergo Dominus ad Iſaiam: O tu Propheta, dic vocibus magnis ea quæ euangelizas Sion, ſiue læta et ſecunda quæ prænuncias illi, et quæ prædicis contra Montes excelſos; ſiue mala quæ vaticinaris contra gentes orbis potentiſsimas, ſiue contra populos gentium. Audacter vaticinare bona euentura

popu-

populo Dei, et mala euentura hoſtibus eius. Prædicitur itaque proſperitas futura Eccleſiæ Chriſti, et vaſtatio gentium. Tu o Propheta qui Euangelizas (id eſt, proſpera prædicis) Sion, aduerſus regnā gentium potentiſſima, tolle vocem, et clama. Nec dubium quin ſub hac gentiū vaſtatione, more Prophetico adumbretur ipſarum gentium vocatio ad Euangelium, et Eccleſiā Chriſti. Conſueuerunt enim Prophetæ (vt ſæpe admonemus) gentium vocationem ſignificare, ipſarum cædem, et vaſtitatem commemorando futuram. Noli timere, o Propheta, inquit Dominus, ſcilicet annunciare gentium potentiſsimarum vaſtationem; ne dubites eam futuram, ne timeas mendacē te inueniri. Fiet hoc quod tibi dico, licet videas gentes multas florere opibus et potentia.

Quis ſuſcitauit ab Oriente iuſtum, vocauit eum vt ſequeretur ſe? dabit in conſpectu eius gentes, et Reges obtinebit: dabit quaſi puluerem gladio eius, ſicut ſtipulam vento raptam arcui eius. Perſequetur eos, tranſibit in pace, ſemita in pedibus eius non apparebit. Quis hæc operatus eſt, et fecit, vocans generationes ab exordio? Iſaiæ 41.

CAPVT XXXVIII.

OMNES fere conſentiunt, hoc loco ſermonem fieri de Abraham. Sed quonam pacto, ſingulæ huius loci partes ſint explanandæ, non eadem eſt omnium ſententia. *Ab Oriente*) Exiſtimo Orientis appellatione regionē longinquam intelligi, quod non eſt inuſitatum apud Scriptores Sacros. Alioquin Chaldæa non eſt Iudeæ ad Orientem, ſed ad Aquilonem. Vnde illud *Iere.* 1. *b.* Ab Aquilone pandetur malum ſuper omnes habitatores *huius* terræ. Vocauit autem Deus iuſtum Abraham, et eduxit eum a Chaldæa, et adduxit in terrā Chanaan. *Vt ſequeretur ſe*) Iuxta illud *Gene.*12.*a.* Veni in terram, quam monſtrauero tibi. Hoc enim eſt quod ait Propheta, Vt ſequeretur ſe, vel vt ſequeretur eum. Quaſi diceret, Sequere me, Veni mecum, vt tibi oſtendam locum vbi habites. Nec mihi placet eorum ſentētia, qui ita hæc verba exponūt, vt ſequeretur ſe, id eſt, vt ambularet corā eo, ſicut dixit Dn̄s ipſi Abrahæ, *Gene.*17.*a.* Ambula corā me. Hiſpane dicimus, *Llamole a ſu ſeruicio. Dabit in cōſpectu eius gētes*) Dabit, et Futura omnia quę ſequūtur, pro Præteritis poſita ſunt, more Hebręo. Repetēda autē eſt hoc loco interrogatio Quis, hoc modo, *Et quis* dedit in cōſpectu eius gētes? Eſt autē phraſis Hebręa, pro Tradidit gētes in manu et poteſtate eius,

quis

quis fecit illum triumphare de gentibus? Gentes vero appellat Propheta exercitus gentium quatuor illorum Regum *Gene.* 14. *Et Reges obtinebit*) Obtinuit, inquit, Abraham quatuor illos Reges, ſuperauit illos, triumphauit de illis. *Dabit quaſi puluerem gladio eius, ſicut ſtipulam &c.*) Quis, inquit, dedit gladio Abrahæ, ſcilicet quatuor illos Reges cum exercitibus ſuis, quaſi puluerem? Quæ verba dupliciter intelligi poſsunt. Primum, vt Abraham exercitus illos gẽtium quaſi puluerem effecerit, id eſt, ad nihilum redegerit, triumphum nobiliſsimũ de illis reportans. Sic enim aliquando loquuntur Sacri Scriptores: vt *Pſal.* 7. *a.* Gloriam meam in puluerem deducat, id eſt, omnẽ meam felicitatẽ redigat ad nihilũ. Poſſunt et hæc verba, *Quaſi puluerẽ*, ita intelligi, vt iungantur gentibus, vel exercitibus magnis illorũ quatuor Regũ, ita vt exercitus illi præ numeroſa multitudine, fuerint quaſi puluis. Sic enim loqui ſolemus. Quis, inquit, effecit vt Abrahã cum paucis, de exercitibus magnis triũphauerit? Quod ait, *Sicut ſtipulã vento raptam arcui eius:* ſignificat Propheta, facili et minimo negotio Abrahã nobiliſsimum triumphũ de numeroſis exercitibus gentiũ reportaſſe: ſicut ſtipulã facillime vento rapitur. Infinitã prope multitudinem, inquit, tradidit in poteſtatem Abrahæ, et gladio eius, id eſt, in manus militum eius: ſicut ſtipulam vento raptam arcui eius, ſcilicet tradidit.

Gentes, ſiue magnos exercitus diuerſarum gentium, et innumerabiles quaſi puluerem, tradidit gladio eius, ſiue in manus eius, ac ſi eſſent ſtipula. *Perſequetur eos.)* Perſecutus eſt, inquit Iſaias Propheta, Reges illos, et exercitus eorum, et tranſiuit in pace; id eſt, regreſſus eſt cum victoria, regreſſus eſt victor. Pax pro Victoria vſurpatur (quia Pacis nomen ſolet ſignificare omne genus felicitatis humanæ) Sic *Iudic.* 11.*f.* Mihiq. occurrerit reuertenti cum pace, id eſt, parta victoria, quod paulo poſt exponitur his verbis, Conceſſa tibi vltione, atque victoria de hoſtibus tuis. Quod ait, *In pace, In*, ponitur pro *Cum*, quod familiare eſt Scriptoribus Sacris. Quidam noui interpretes non recte vertunt, Euaſit incolumis. *Semita in pedibus ſuis non apparebit)* Verba ſunt perobſcura, quæ Rabbini Hebræorum friuole exponunt, nec placet eorum ſententias commemorare. Sed et Chriſtiani interpretes noui obſcure verterunt locum. Germana vero intelligentia huius loci hæc eſt. Semita pro gente appellatur, ſicut via accipi ſolet, eſtque ſingularis pro plurali. Nam Viæ, et Semitæ aliquando in Scripturis Sanctis ponuntur pro regionibus, atque inde fit vt nonnumquam per Metonymiam, accipiantur pro gentibus et nationibus: quod alibi oſtendimus, inductis in eam rem Sacrarum Litterarum teſtimoniis. Semitam, vel Viam appellat genus vitæ, et exercitium,

quaſi

quaſi dicat, Euaſit victor Abraham cum paucis mili ti-bus, iisq. minime ſtrenuis, de exercitibus quatuor Regum: cum antea id vitæ genus non eſſet ſecutus. Numquam enim militiam fuerat ſectatus, nec didicerat belligerare. Gladium et Arcum vocat milites gladio et arcu pugnantes. Fitq. Inuerſio phraſis, ex proprietate linguæ Hebraicæ. Nam Semita in pedibus eius non apparebit, dictum eſt pro Pedes eius non apparuerunt, ſiue non fuerunt, numquam ſteterunt in *hac* ſemita: Numquam ſteterant pedes eius in hac via, vel in hac regione, Numquam Abraham ſteterat in regione, vbi cum illis quatuor Regibus, et exercitibus eorum dimicauit. Hiſpane, *Donde nunca puſo los pies.* In regione ſibi ignota, quam numquam pedibus calcarat. Perſecutus eſt hoſtes, et eos aggreſſus eſt in terra ſibi ignota. Hoc non fruſtra Sanctus Propheta Iſaias obſeruauit. Multum enim agit, multum confert ad congrediēdum cum hoſtibus, noſſe loci naturam; terræ, vt vocant, diſpoſitionem, vt ſcias qua ducendus ſit exercitus, vbi ſtatuenda caſtra, vnde paranda annona, quæ loca præoccupāda, et reliqua huiuſmodi. Hinc conſueuerunt duces præmittere milites aliquot, qui, vt vulgo loquimur, loca recognoſcāt. Abraham ergo in regione ſibi ignota, cum paucis non ſtrenuis militibus, ſed vernaculis, ignaris bellandi, aggreſſus acies quatuor Regūm, *Gene.* 14. victoriam

reportauit. Hac figura loquendi multa dicta ſunt in Scripturis Sanctis: et vt cetera prætermittam, duo tantum teſtimonia in medium producam. Alterum eſt *Ierem.* 11 *d.* in Hebræo eſt, Mittamus panem in lignum eius, pro eo quod eſt, mittamus lignum in panem eius, vt recte vertit Vulgatus interpres. Alterum eſt *Malac.* 1. *a.* Poſui hereditatem eius in dracones deſerti, pro eo quod eſt, in deſertum draconum. Fortaſsis eſt phraſis Hebręa, In pedibus eius, pro eo quod eſt, corā eo. Nam *In*, ſæpenumero ponitur pro *Coram*, et ea ſpecie Synecdoches qua etiam Latini dicunt Caput pro homine, Hebræi pedes pro homine interdum dicunt. Exēpla huius rei afferamus. *Habac.* 3. *a.* Diabolus ante pedes eius, pro Lues erat ante eum. Et *Pſal.* 17. *b.* Caligo ſub pedibus eius, id eſt, Tenebræ erant coram eo. Præterea obſeruare oportet, *Coram*, aliquādo in Sacris accipi pro *A*, vel *Per*. Itaq. *In pedibus eius*, idem eſt quod *Coram eo*. Atq. rurſus *Coram eo*, accipiendum eſt pro *Ab eo*, vel *Per eum*. Semitæ in pedibus Abrahæ non apparuerunt, id eſt, gentes illæ, ſiue exercitus illorum quatuor Regum, non apparuerunt, Hiſpane *deſaparecieron*: euanuerunt, perierunt, ad nihilum redacti ſunt, ſiue vaſtati ſunt ab Abraham, qui de illis inſignem victoriam reportauit. Si quis vero verba Hebraica ita exponat, non improbabo. Semitam pedibus ſuis non eſt ingreſſus, id eſt, rediit cum victoria de

Digitized by Google

bello contra Reges illos, cum tamen in ea re numquam antea ſe exercuiſſet. Tuncque ſemita, vel via, pro exercitio, et vitæ genere accipienda eſt. Mirum ſane, quod Abraham cum paucis militibus, de quatuor regibus cum ingentibus copiis nobiliſsimum triumphum reportarit; preſertim cum huiuſmodi ſemitam numquam ingreſſus eſſet, numquam hanc viam calcaſſet, aut noſset, id eſt, cũ antea non te exercuiſſet in prœlio; hoc conſecutus eſt auxilio Diuino. *Vocans generationes ab exordio*) Hæc, inquit, effecit qui in principio creauit omnia. Generationes, pro omnibus quæ ſubſiſtunt, appellantur, vt *Gene.* 2. pro qua voce quidam interpretes vertunt Sæcula, quæ pro omnibus quæ ſubſiſtunt, accipit D. Paul. *ad Hebra.* 1. Vocare aliquando Hebræis eſt facere, atque ita hoc loco ea vox accipienda eſt. Nec temere poſſet aliquis ita locum vertere, et intelligere; Hæc operatus eſt qui creauit, et fecit omnes gentes, quæ ſunt ab Oriente vſque ad Occidentem.

Rorate Cæli deſuper, et nubes pluant Iuſtum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem: & iuſtitia oriatur ſimul: Ego Dominus creaui eum. Iſaiæ 45.

CAPVT XXXIX.

CONSENSV omnium Patrum, vaticiniũ eſt de Chriſti aduentu, et copia bonorum ſpiritualium, quam contulit, ac reliquit fidelibus ſuis. Præterea *Iuſtus*, et *Saluator*, pro Iuſtitia et Salute ponuntur. Quælibet harum vocum per ſe ſumpta, ſignificat copiam bonorum, opes, potentiam, delicias, denique omne genus bonorum, et omne genus felicitatis. Quod de bonis ſpiritualibus intelligendum, nemini dubium eſſe debet. Denominata ergo Iuſtus, et Saluator; poſita ſunt a Vulgato interprete pro denominationibus Iuſtitia, et Salus. Quamquam hæ ipſæ denominationes, quæ genus omne felicitatis ſignificant, ipſum Saluatorem mundi, et Iuſtum illum, qui eſt Chriſtus Ieſus, omnis felicitas noſtra, adumbrent. Nam ſicut frequẽter apud Hebreos, Res ponitur pro perſona: ita aliquando Perſona ponitur pro Re, vt hoc loco. Denique quamquam in Hebræo eſt Iuſtitia, et Salus, ſicut omnes interpretes vertũt: Vulgatus tamen interpres docte, et prudenti ſatis conſilio, vertit Iuſtum, et Saluatorem, intelligens hæc verba ad Chriſti aduentum pertinere, vt Orthodoxi Patres docuerunt. Tempora Imperatiui, pro Futuris Indicatiui acipienda ſunt; quod ſæpe fit in Prophetis. Mutatur etiam perſona (nam ſecunda in tertiam mutatur) quod

ali-

aliquando ſit in huiuſmodi locutione, Aperiri terram, dictum eſt pro ſecundari, vel producere et generare, quemadmodum dicunt Hebræi Aperiri vuluam feminæ, cum generat et parit; Concludi vero vuluam, cum non generat prolem. Terra ergo pro femina appellari videtur, quod non abhorret ab vſu Sanctarum Scripturarum. Nam *Iere.* 3.*a.* vbi legimus, Numquid non polluta et contaminata erit mulier illa? pro voce Mulieris, in Hebræo eſt vox Terræ. Prudenti vero conſilio Vulgatus interpres Mulierem vertit. Habetq. ea vox Emphaſim, vt ſignificetur virgo electa, preſtantiſsima, ſanctiſsima et feliciſsima, quę mater futura erat Meſsię promiſsi. Quaſi dicat Sanctus Propheta, *Cum* femina illa aperietur, ſiue grauida effecta de Spiritu Sancto, pariet Saluatorem mundi: tunc rorabunt cæli, id eſt, multa bonorum genera demittent; et nubes pluent Iuſtitiam, ſine omnis generis felicitatem. Si tantum litteræ corticem ſpectes, hic erit ſenſus. Aperietur terra, id eſt, abunde omnia generabit, fructus vberrimos ſuppeditabit. Cæli pluuiam plurimum fecundantem, demittent; qua accepta, terra fecundiſsima effecta, miram virtutem producendi accipiet, cunctaque largiſsime ſuppeditabit. Temporibus Meſsiæ, inquit, rorabunt cæli, et nubes pluent multa bona, et terra erit fecūdiſsima, germinans vbique omnia, optima et præſtantiſsima; et iuſtitia ſimul,

mul, id eſt iuſtitia omnis, ſiue maxima proſperitas, orietur ſcilicet ex ea, quaſi dicat, maxima erit felicitas, omnia cedent feliciter, ipſi Cæli virtutem magnam tribuent terræ ad generandum, ipſaque terra omnes vires ſuas ſuggeret; atque ita temporibus illis fructus terræ erunt vberrimi et feliciſsimi, maxima cæli temperies et ſaluberrima, omnia denique magna, optima, felicia, et præſtantiſsima. Quæ omnia, non dubium quin figurate ſint accipienda. Nam per fructus terræ, et bona terræ, ſpiritualia bona, quæ ſunt in Eccleſia Chriſti, oportet intelligere. Solent enim Prophetę ſub huiuſmodi verborum inuolucris, animi bona, quæ Chriſtus nobis contulit, adumbrare. Sic dicunt Temporibus Meſsiæ. Montes et Colles fluent lac et mel, et cetera huiuſmodi, *Ioel.* 3.*d.* Simili figura loquendi vtitur Regius Vates Dauid *Pſal.* 71.*b.* Et erit firmamentum in terra in ſummis montium, ſuperextolletur ſuper Libanum fructus eius: et florebunt de ciuitate ſicut fœnum terræ. Tanta, inquit, erit eo tempore, fructuum terrę vbertas, vt frumētum etiam in cacuminibus montium, quæ ſolent eſſe ſterilia, copioſum reddat prouentum, et excreſcet frumentum illud in altitudinem, vt ſi vento agitetur, ſtrepitum excitent ſpicæ, qualem altiſsimæ Cedri montis Libani reddere ſolent. Et *Pſal.* 84.*b.* Veritas de terra orta eſt, et iuſtitia de Cælo proſpexit; etenim Dominus dabit benignitatem,

tem,

rem, et terra noſtra dabit fructum ſuum. Huiuſmodi itaque verborum figuratis locutionibus, et rerum inuolucris, ſignificantur, more Prophetico, bona ſpiritualia futura temporibus Meſsię. Temporibus Meſsiæ, inquit, Cæli et nubes pluent bonorum copiam, omnia erunt læta, atque felicia, cum virgo illa ediderit illum Saluatorem mundi a Deo promiſsum, permanens virgo. Vt ergo ſolent Sacri vates loquentes de aduentu Meſsiæ, figurate mira quædam promittere: ita hoc loco illuſtris Vates Iſaias, dum temporibus Meſsiæ, ait Cælos pluituros multa bona, ac terram vberrimos fructus omnigenos et præſtantiſsimos, producturam: voluit ſignificare futuram in terris copiam magnam bonorum, vtiq; Spiritualium. Nam Pluendi verbo, copia et abundantia ſignificatur. Quo genere locutionis vulgus Hiſpanorum vti ſolet, qui cun rei cuiuſpiam abundãtiam volunt ſignificare, ita loqui ſolent, *Como llouidos*. *Et iuſtitia oriatur ſimul)* Tẽpus Imperatiui, ſicut quæ præceſſerunt, accipiendum eſt. Vox vero Iuſtitię aliter accipienda eſt. Nam ponitur Res pro Perſona, ſiue denominatio pro denominato, nempe pro Iuſto, nec ſine emphaſi, pro Iuſto illo qui vocabatur Meſsias, vt *Pſal.* 84. Iuſtitia de cælo proſpexit, id eſt, Iuſtus ille de cælo proſpiciet mala noſtra, quibus vt medeatur factus homo, de cælo deſcendet in terras. Sic dictum eſt, *Et iuſtitia orietur ſimul*,

pro eo quod eſt, Tunc, eo tempore naſcetur in terris ille Iuſtus ſimul, id eſt, omnibus gentibus, ſiue ad ſalutem omnium gentium. *Ego Dominus creaui eum*) Ex his verbis conſtat ea quæ dicta ſunt, verba eſſe Dei ad Iſaiam, aliis temporibus pro aliis poſitis, mutata etiam perſona; quaſi dicat Dominus, Rorabunt cæli deſuper, et nubes pluent iuſtum etc. *Creaui*, Præteritum eſt pro Futuro, more Hebræo, et more Prophetarum. Quia vero Hebræi carent genere neutro, pro eo aliquando vtuntur genere maſculino, aliquando feminino. Itaque Creaui eum, dictum eſt, pro Faciam hoc.

Ecce, in manibus meis deſcripſi te, muri tui coram oculis meis ſemper. Venerunt ſtructores tui: deſtruentes te, et diſsipantes a te exibunt. Iſaiæ 49. d.

CAPVT XL.

Ecce in manibus meis etc.) Norunt omnes, quam vim habere ſoleat in Arcanis Litteris particula *Ecce*. *In manibus meis*, idiotiſmus Hebræus eſt pro *Coram me*. In manibus meis ſcilicet es, quod iuxta Hebræum idioma, ſignificat, Tui curam gero, de tua inſtauratione

curam habeo, cogito tibi benefacere, et te augere. Quod exponunt ea quæ ſequuntur: *Muri tui coram oculis meis ſemper etc.* Eſt vero aliquid ſubaudiendum hoc modo. In manibus meis *es quamquam* deſcripſi te. Vel, Deſcripſi te *ſed es* in manibus meis. Deſcribendi verbum hoc loco, et *Iere.* 17.*b.* exiſtimo Vulgatum interpretem accipere pro delere, perdere, et tollere e medio. Qui recedunt a te, inquit Ieremias, in terra (pro de terra) deſcribentur, vt multi codices habent. Alioquin erit ſimplex pro compoſito, Scribere pro Deſcribere, hoc eſt tollentur e medio, delebuntur e terra, atque peribunt. Sic hoc loco Iſaiæ, *Deſcripſi te,* deleui atque vaſtaui. Scio nouos interpretes in alium ſenſum locum vertere: ſed ſenſus quem huic loco, et alteri quem adduximus ex Ieremia, tribuunt ipſi, et alii alioqui doctiſsimi: non eſt, vt vocant, litteralis, ſed myſticus, ſicut ego arbitror. Exiſtimo enim, Vulgatum interpretem germanum ſenſum reddidiſſe, et in hac ſignificatione accepiſſe verbum Deſcribendi. Nam ſicut lingua Latina habet aliquot verba, quæ compoſita contrariam habent ſignificationem ſuis ſimplicibus, vt Tegere, detegere, Docere, dedocere, Claudere, recludere (qua etiam proprietate loquendi vtitur lingua Hiſpana, vt *Hazer, deshazer; Componer, deſcomponer; Cubrir, deſcubrir:*) ſic et lingua Hebræa, vt affirmat Elias Leuita Germanus, inſignis inter Rabbinos Hebræorum.

Ita-

Itaque Deſcripſi te, id eſt, vaſtaui te. Quod ſi legas Scripſi te, vt alii codices habent, et vt iacent hæc verba, velis exponere: hic erit ſenſus. Inſculpſi te, depinxi te, atque ita depictam habeo ſemper coram me, inſpiciens quo modo te inſtaurabo et augebo. Loquitur vero Deus de ſe more humano; quod frequens eſt in Prophetis. *Coram oculis meis*) Repetitio eſt illius *In manibus meis*. *Venerunt ſtructores tui*) Præteritum eſt pro futuro, more Prophetico. Eſt autem idioma Hebræum *Structores tui*, pro *Structores tibi*. Venient, inquit, tibi ſtructores, venient qui te ædificent, pro iis qui te diſsiparunt, immo ipſi qui te diſsiparunt, te ędificabunt; gentes quę te variis modis impugnarunt, debellarunt, demolitæ ſunt: erunt pars huius mirabilis ædificii, cuius tu typum geris; quod eſt domus Dei, et ciuitas Dei, hoc eſt, populus Chriſtianorum. Multa ſunt in Sacris Litteris dicta hoc genere locutionis, ex quibus pauca commemorabo. Idem Sacer Vates Iſaias *cap.* 60. *a*. ſic habet, Filii tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere ſurgent. pro eo quod eſt, venient tibi filii, et filiæ de longe, id eſt, ab Oriente, et a lateribus, id eſt, a Meridie, et Septemtrione. Et ibidem, Vt adducam filios tuos de longe. pro, Vt adducam filios tibi. Et hoc eodem capite paulo poſt hæc verba quæ explanamus, Et afferent filios tuos in vlnis, et filias tuas ſuper humeros portabunt. Filios tuos, et filias tuas, di-

ctum eſt pro Filios, et filias tibi; id eſt, eos qui futuri ſunt filii tui, et eas feminas quæ futuræ ſunt filiæ tuæ. Afferent, inquit, tibi in vlnis, et ſuper humeros filios, et filias. *Et diſsipantes a te exibunt*) Gentes quæ te impugnabant, erunt a te, id eſt, coram te. quaſi dicat, Hoſtibus dominaberis, illi tibi ſubiecti erunt, amplexantes legem tuam ſanctiſsimam. Nam *A*, aliquando ponitur pro *Coram*. Oportetque ſubaudire *Erunt*. Eſtq. idioma Hebræum, Coram te erũt, pro erunt in poteſtate tua. Erunt tibi ſubiecti, tu dominaberis illis. *Exire* pro ſuo ſimplici poſitum eſt. Sicut ergo aliquando Simplex ponitur pro Compoſito; ita e contrario hoc loco Compoſitum ponitur pro ſuo ſimplici. A te ergo exibunt, id eſt, coram te ibunt, vel ambulabunt, id eſt, tibi ſeruient. Niſi malis ita dicere. Sicut Ire, et Vadere aliquando ponuntur pro Mori, interire, e medio tolli, deleri, et vaſtari: ita hoc loco Exire. Gentes illæ, ait, quæ diſsiparunt te, tibi ſubiicientur, tibi parebunt, denique vaſtabuntur vtique genere illo feliciſsimę vaſtationis, quam Prophetæ Sancti intelligere ſolent loquentes de vocatione gentium ad Eccleſiam Chriſti. Sermo fit ad Ieruſalem, quæ typum gerit Eccleſiæ Chriſti. Sic ergo hæc verba ſunt diſpungenda: Deſtruentes te, et diſsipantes, a te *erunt*, & exibunt, hoc eſt, tibi ſubiicientur, atque peribunt, et vaſtabuntur, ſicut expoſitum eſt. Itaque quod ait Prophe

Digitized by Google

ta, A te exibunt,eſt,longe fugabuntur;hoc eſt,peribunt et ad nihilum redigentur. Hoc enim ſignificat aliquando Elongari, vel Longe eſſe. More itaque Prophetico illuſtris Vates Iſaias hoc loco vocationem gentium ad Euangelium, ipſarum cædem, et vaſtationem vocat. Tunc gentes prius infenſæ Eccleſiæ(cuius typum gerebat vetus ille populus Hebræorum) illi ſe ſubiecerunt, cum Chriſti fidem amplexatæ ſunt. Sed venit mihi in mentem,quod mihi magis placet,quia cum eundem red dat ſenſum, proprietatem loquẽdi Sanctarum Scripturarum plus redolet. Illud vero tale eſt. Exire,et Intrare; Ingredi, et Egredi; idioma Hebræi Sermonis eſt, pro Conuerſari familiariter,et quod vulgo dicimus,Tractare,atque adeo miniſtrare. Fit vero aliquando(ſicut alibi a nobis dictum eſt)in huiuſmodi phraſibus, quæ duplici membro conſtant, vt interdum alterum exprimatur,et alterum reticeatur. Vt quia A die in diem,vel De die in diem, ſæpe idem eſt quod omnibus diebus:interdum etiam A die,et in diem, quodlibet ſeorſum eandem habet vim, ſicut dictum eſt *Pſal.* 82. De gente, pro eo quod eſt, De gente in gentem, id eſt, per nationes varias diſpergamus eos. Idem dicendum de phraſi illa Ab homine vſque ad pecus, idem etiam de hac phraſi Ingredi, et Egredi; Intrare, et Exire; vt *Iſaiæ* 19. *d.* Intrabit Aſsyrius in Aegyptum, id eſt, Aſsyrii et Aegyptii fœdere ami-

amicitiæ coniungentur, Hiſpane *tratarán, y conuerſaranſe.* Et *Ioan.* 10.*b.* Ingredietur, et Egredietur etc. Sic *Deut.* 31.*g.* Ingrediente me vobiſcum, pro Ingrediente, et Egrediente inter vos, hoc eſt, me conuerſante vobiſcum, vel me gubernante. Sic dictum eſt hoc loco, *Coram te exibunt*, pro Coram te intrabunt et exibunt, id eſt, tecum conuerſabuntur, tibi ſeruient gentes nunc tibi aduerſæ; ſicut dicitur *Sopho.* 3.*b.* Et ſeruient ei humero vno. Et *Pſal.* 71.*b.* Omnes gentes ſeruient ei. Deſtruentes, et diſsipantes qui te deſtruxerunt, et diſſiparunt. Nam participium præſentis aliquãdo ex proprietate linguæ Græcæ, habet vim præteriti temporis, vt *ad Hebræos* 1.*a.* Purgationem peccatorum faciens, hoc eſt, poſtquam nos mundauit a peccatis, per mortem, et paſsionem ſuam. Et *Matthæi* 11.*a.* Illis autem abeuntibus. Sic hoc loco accipiuntur, Deſtruentes, et Diſsipantes.

Quam pulchri ſuper montes pedes annunciantiũ et prædicantiũ pacem; annunciantiũ bonum, prædicantiũ ſalutem. Iſaiæ 52.b.

CAPVT XLI.

HIc locus de Sanctis Christi Apoſtolis recte intelligitur,ſicut Orthodoxi Patres docuerunt.Illuſtris vates Iſaias,de aduetu feliciſsimo Meſsię ſermonē inſtituens,miſcet vocationem gentium ad Euangelium,qui mos familiaris eſt Prophetis. Hanc vero gentium vocationē (more etiam Sanctis Vatibus familiari)adumbrat vocibus ſignificātibus bella,et ipſarū gentium vaſtationem. Hoc arcanum his verborū tegumentis enunciauit Iſaias.O quam pulchra facinora edent Sancti Apoſtoli contra gentes:ſicut Prophetę,qui felicitatē futurā temporibus Meſsiæ prædixerunt, vaticinati ſunt. Ii inquam Prophetę,qui dicunt populo,Regnabit Deus tuus,id eſt, qui de Rege Meſsia prophetarunt. Sanctus ergo Propheta de Eccleſia Chriſti ſermonē texens,de Apoſtolis, a quibus illius fundamēta,inter varias orbis nationes iacta ſunt, ſermonē facit. *Pedes* pro greſsibus,atque adeo pro Operibus ponuntur. *Montes* pro variis orbis nationibus. Euangelizantes bona, vel annunciantes bona, vocat Sanctos Apoſtolos; quia opes illæ magnæ, (vtique ſpirituales,quarum fons et ſumma eſt Chriſtus) quas futuras temporibus Euangelii cecinerunt antiqui vates; eas iam adeſſe prædicarunt. Eadem bona vocat Propheta Pacis et Salutis nominibus, quæ quidem nomina genus omne felicitatis ſignificant. Genitiui ſingulares pro pluralibus poſiti ſunt, quibus Prophetæ ſigni-

ſignificantur, qui annunciarunt pacem, id eſt, felicißima tempora Meſsiæ, et ampliſsima bona, nempe ſpiritualia, per eum cunctis gentibus donanda, prędixerunt. Quam pulchri, inquit, ſuper montes pedes annunciantium bona. Ac ſi dicat, O quam pulchra opera edituri ſunt ſancti Apoſtoli in variis regionibus orbis, atque in diuerſis mundi partibus. O quam ſtupenda miracula edent in prædicatione Euangelii, cum verum Meſsiam iam veniſſe teſtabũtur, atque futura illa bona iam adeſſe monſtrabunt. Eſt autem conſtructio Hebraica in his genitiuis, et ſingularis numerus pro plurali, Annunciantis, pro eo quod eſt, iuxta annunciantes pacem, ſiue iuxta Prophetas, ſiue iuxta vaticinia Prophetarum, id eſt, ſicut Prophetæ prædixerunt; qui magnam felicitatẽ futuram temporibus Meſsiæ, vaticinati ſunt. Erit ergo ſenſus, O ſi *appareret* Rex ille feliciſsimus et potentiſsimus, qui iuxta voces Prophetarum, gentes et hoſtes noſtros eſt vaſtaturus. Huiuſmodi gentium vaſtationem myſtice adumbrat. Similiter de aliis genitiuis dicendum eſt. Pulchrum aliquando vocant Hebrei quod cõmodum et aptũ eſt propoſito. Pedes ergo pulchros dixit Propheta, pro celeribus et velociſsimis. Vel Pedes pulchri, pro facinoribus pulchris, vt vocant Latini, id eſt, prodigiis et miraculis. Mirabilis enim fuit Apoſtolorũ velocitas in prędicatione Euangelii, qui tot maria,

tot regiones longe diſsitas penetrarunt. Ait itaque Iſaias; O quam velox curſus erit illorum, qui annunciaturi ſunt mundo pacem inter Deum et homines. Stupendus erit diſcurſus ille ſuper, id eſt, *per* montes, hoc eſt, per diuerſa, et remotiſsima regna orbis. Quamquam ego mallem Pedes pro greſsibus, id eſt, operibus, atque adeo miraculis, appellari, vt modo dicebam. Sic enim ea vox aliquando vſurpatur in arcanis litteris. O quam pulchra edent miracula, ait Sanctus Propheta, Sancti Apoſtoli, Euangelizantes, atque prædicantes in montibus, ſiue in gentibus doctrinam Euangelicam, et bona illa; ſiue ingentes illas opes ſpirituales, quas Sancti Prophetæ vaticinati ſunt futuras illis nouiſsimis, id eſt, feliciſsimis temporibus, quæ vocantur Tempora Meſsiæ. Hi annunciarunt pacem, et bona; id eſt, prædicarunt adeſſe iam felicitatem illam a Prophetis decantatam, et promiſſam a Deo per illorum ora; et adeſſe iam bona illa, et opes ampliſsimas, vtique ſpirituales, promiſſas tāquam futuras temporibus Meſsiæ. Pacem vocat Euangelium pacis, quod Chriſtus Ieſus verus Meſsias prædicauit. vel pacem vocat reconciliationem generis humani cum Deo, de qua loquitur Apoſt. *ad Epheſ. 2. d.* Euangelizauit pacem vobis qui longe fuiſtis, et pacem iis qui prope; id eſt, dedit Euangelium non vni populo Iudæorum, ſed omnibus gentibus. Eos qui prope Deum erant,

vocat Iudæos;qui Deum verum colebant. Eos qui longe erant a Deo, et a cultu Dei, vocat gentes, quæ colebant Idola. Pacem etiam appellat Propheta bona feliciſsima, ampliſsima, vtique ſpiritualia. Nam Pacis nomen ſolet in Scripturis Sanctis omne genus felicitatis ſignificare. Similiter Bonum, vel Bona vocat opes ſpirituales futuras temporibus Meſsiæ; quas Apoſtolus *ad Heb. cap.9.c.* et 10.*a.* vocat Bona futura. Et *cap.6.a.* vocat Virtutes ſæculi venturi, hoc eſt, opes futuras, vt modo dixi, temporibus Meſsiæ. Tempus enim Euangelii appellat ſæculum illud futurum. Prædicabunt, inquit Sanctus Propheta, Sancti Apoſtoli, Meſsiam illum promiſſum iam aduenifſe, atq; in Eccleſia opes magnas ſuis fidelibus reliquiſſe. De huiuſmodi bonis, et opibus multa dicta ſunt a Sanctis Vatibus, et Sanctis Apoſtolis. vt 2.*Petri* 1.*a.* Multa, et precioſa nobis donauit. *Super montes* dictum eſt, pro *In montibus*, vel Coram montibus. vt illud *Iſa.* 52.*d.* Super ipſum continebunt Reges os ſuum, pro, Coram ipſo Reges tacebunt; quod eſt, Reges verebuntur, ſuſpicient, et adorabunt eum diuinis honoribus. Nam *Super* interdum ponitur pro *Coram.* Sicut ergo Hebræi aliquando dicunt *Coram te*, pro *Tibi*: Sic dictum eſt Super montes, vel coram montibus, pro Montibus. Prædicabunt Sancti Apoſtoli montibus, id eſt, regnis, et diuerſis gentibus. Pedum au-

tem nomine poſſunt etiam opera intelligi, vt diximus. Nam ſicut *Manus* in Sacris pro Operibus ſæpe appellantur, ita et aliquando *Pedes*, vt *Pſal.* 57. Pedes ſuos lauabit in ſanguine peccatoris, vt eſt in Hebræo. Quaſi dicat Sanctus Propheta, O quam pulchra, et præclara edent miracula, qui Euangelium Chriſti prædicabunt gentibus. Atque ita factum legimus in Actis Apoſtolicis, et in multis hiſtoriis; adeo vt Sanctus Lucas aſſeueret quod D. Petri vmbra morbos infirmorum pellebat. Quid amplius dici poteſt? Oportet vero ad memoriam reuocare quod ſępe admonemus conſueuiſſe Prophetas, gentium vocationem adumbrare vocibus ſignificantibus illarum vaſtationem, cędem, et interitum. Quod huic loco accommodandum eſt.

Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec ſplendor Lunæ illuminabit te: ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet vltra Sol tuus, et Luna tua non minuetur.

Iſaiæ 60.*d.*

CAPVT XLII.

Polli-

POLLICETVR Iſaias vrbi Ieruſalem, ſiue populo Dei electo, qui typum gerit Eccleſiæ Chriſti, omnia proſpera et læta, ſignificans ſub rerum inuolucris, obſcuris vmbris et imaginibus, felicitatem et copiã bonorum ſpiritualium, quæ in Eccleſia eſſent futura. *Non erit tibi amplius Sol etc.*) *Sol* pro regno, vt alibi diximus: Sic etiam *Luna* pro regno, vel principatu. Eſt vero idioma Hebræum *Non Sol*, pro *Nullus Sol*, id eſt, nullum regnum, et *Erit ad lucendum*, pro *lucebit*. Quo genere locutionis dictum eſt *Pſal.* 91.a. Bonum eſt ad annunciandum miſericordiam tuam, pro Bonum, vel æquum eſt annunciare miſericordiam tuam. Præterea, quia ſepe dicunt Hebrei *Tibi* pro *Coram te*; et aliquando Coram te, ponitur pro eo quod eſt Comparatione tui (vtrumq. ex Hebraiſmo) hinc factum eſt vt aliquando Tibi accipiatur pro Cõparatione tui. Erit ergo ſenſus, Nullum regnũ lucebit, nec ſplendidum erit præ cõparatione tui. Sol et Luna, vt modo dicebamus, pro regnis florentiſsimis appellantur. Cõſueuerunt enim Sacri vates Solis, Lunę, et Siderũ appellatione, Reges, ſiue Regna ſignificare: quemadmodũ dictũ eſt *Pſal.* 120. Per diẽ Sol non vret te, neq. Luna per noctẽ. quaſi dicat, Noli timere popule mi, hoſtes tuos, licet potẽtiſsimos, nullus enim Rex, nulla gens tibi nocebit, quia Deus protector tuus.

Cum ergo ait hoc loco Illuſtris Vates Iſaias, Sol, nec Luna non lucebit præ te; idem eſt ac ſi diceret, Tanta erit felicitas tua, popule mi, tanta gloria et ſplendor tuus, atque potentia, vt Regna alioqui ampliſsima et potentiſsima, quæ maximum ſplendorem opum et potentiæ habere videntur: nullum ſplendorem, nullam gloriam habere ſint æſtimanda, præ felicitate tua. Nullum Regnum ſplendorem habebit præ tui comparatione. Quid ita? quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. quaſi dicat, Dominus protectione ſua, et præſidio addet tibi ſplendorem magnum; et gloriam; efficiet te vrbem feliciſsimam, opulentiſsimam; et potentiſsimam præ aliis vrbibus gentium. Nec vero iſta tua tam magna felicitas breui temporis interuallo permanebit: quin potius numquam finem accipiet. Non, inquit, occidet vltra Sol tuus, et Luna tua non minuetur; quia Dominus erit tibi in lucem ſempiternam. Sol et Luna hoc loco pro omni genere felicitatis, et rebus ſecundis appellatur, quemadmodum *Amos* 8.c. Occidet Sol in meridie, id eſt, felicitas tua euaneſcet, cum maxime florere videbitur. Sic hoc loco, Sol tuus non occidet, et Luna tua non minuetur. ac ſi dicat, Sol iſte neſciet occaſum, hæc tua felicitas, hæc lux tua, hic ſplendor numquã deficiet, quia Dominus addet ſemper tibi gloriam, et ſplendorem,

rem. Denique Sol et Luna aliquando pro variis regnis gentium appellantur, quod non raro inuenies in lectione Prophetarum. Et ſicut Lux et Lumen ſæpe ſignificant omne genus humanæ felicitatis, in Scripturis Sanctis: ita Lucere, et Illuminare hoc loco pro bene agere, proſpere habere, et potiri opibus et potētia, poſita ſunt, quaſi diceret, tanta erit felicitas tua, o Sion (quæ typum geris populi Chriſtianorum) vt nulla gens orbis poſſit, aut debeat tecum comparari; nullaque ſit habenda aliorum regnorum potentia, et opulentia, præ tua felicitate. Quod de felicitate ſpirituali, deq. opibus ſpiritualibus Eccleſiæ Chriſti, populiq. Chriſtianorum, eſſe intelligendum, dubitari non poteſt. *Illuminabit te*) Præpoſitio *Coram* videtur ſub intelligenda, vt contextus litteræ ſit, *Coram te*, vel *Præ te*. Aliquando enim in Diuinis Litteris, ex proprietate Hebræa, ſubintelligitur præpoſitio: quod alibi obſeruamus, multis Sacrarum Litterarum inductis teſtimoniis. *Illuminare* pro *Lucere* poſitum eſt. Erit ergo ſenſus horum verborum, Splendor Lunæ non lucebit coram te, id eſt, nullius regni gloria et potentia erit magna præ tua. Poſsis, eodem ſenſu manente, ita exponere, vt *Te* dictum ſit pro *Tibi*, hoc eſt, comparatione tui, ſicut quidam vertunt; Non lucebit tibi. Eſt ergo repetitio eiuſdem rei, mutatis tantum verbis, idemque eſt Lucebit tibi, et Illuminabit te. Nullum, inquit,

quit, regnum illuminabit, ſplendebit, fulgebit opibus, potentia, et omni genere felicitatis; præ te. Huiuſmodi enim rebus externis, bona interna, et opes ſpirituales ſignificantur. Itaque ſermo Prophetæ eſt ad Eccleſiam Chriſti, ſub nomine Ieruſalem, cuius gloriam, potentiam, et felicitatem, magnam futuram prædicit, idq. typice ſub rerum inuolucris, opes ſpirituales intelligens. Tanta, inquit, erit gloria, tanta felicitas Eccleſię Chriſti; vt comparatione eius, nullus futurus ſit ſplendor, nulla gloria regnorum alioquin florentiſsimorum. Tantus erit ſplendor tuus, vt Solis ſplendor, et Lunę, nullus ſit præ ſplendore tuo. Simili loquendi phraſi dictum eſt *Iob*. 25. Ecce Luna non ſplendet, et ſtellæ non ſunt mūdæ in conſpectu eius; id eſt, præ comparatione eius. Obſeruabis circa illud, *Non occidet vltra Sol tuus etc.* aliquando in Sacris Litteris contingere, vt eadem vox in eodem contextu orationis repetita, diuerſimode accipiatur: vt alio in opere vberius obſeruamus. Hoc in præſentia vſu venire conſpicimus. Nam Sol et Luna, primo pro regno appellātur; nunc vero pro luce, id eſt, omni genere felicitatis. quaſi dicat Sanctus Propheta, Ingentia illa bona, opes illæ ſpirituales, multiplex illa gratia, per Sacramenta collata, ampliſsima chariſmata; et variæ Sancti Spiritus diſtributiones; nullo vmquam tempore deficient, non minuentur, non ceſſabunt vſq.

ad

ad ipſam ſæculi conſummationem. Hæc tua felicitas, o Eccleſia Chriſti, hæc bonorū ſpiritualium abundantia, quæ tibi per Ieſum Chriſtum verum Meſsiam obtinget; non minuetur, hæc lux numquam obſcurabitur.

Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur via non bona, poſt cogitationes ſuas: populus qui ad iracundiam prouocat me, ante faciem meam ſemper; qui immolant in hortis, et ſacrificant ſuper lateres, qui habitant in Sepulchris, et in delubris Idolorum dormiunt. Iſa. 65.

CAPVT XLIII.

E*Xpandi manus meas etc.*) Expandere manus, hoc loco eſt, aperta manu, vt Latini dicunt, dona porrigere, liberaliterque eſſe beneficum. Expādi, inquit Dominus, manus meas ad populum meum incredulum, mihi (ſępe enim a cultu meo deficit ad culturam Idolorum) id eſt, ſemper in illum liberaliter beneficus fui, aſsiduis auxi beneficiis, ditaui multiplici genere bonorum. *Qui graditur via non bona*) Latini huiuſmodi figuram lo-

quendi, *Via non bona*, pro *Via peſſima*, vocant Tapinoſim. Huius generis non pauca ſunt quæ in Sacris Litteris inueniūtur. Graditur, inquit, poſt cogitationes ſuas, id eſt, ſequitur noxias affectiones, ad quas homo pronus eſt a natura ſua corrupta, *Gene.* 6. Populus qui ad iracundiam prouocat me. *Ante faciem meam ſemper.*) Populus iſte, inquit Dominus, quem elegi, non deſinit prouocare me ad iracundiam, id eſt, irritare me iniquitatibus ſuis; cum tamen ſemper ſit ante faciem meam, id eſt, cum ſemper ſit mihi curæ, ſemper illi benefaciam, ſemper illius fuerim protector, ſemper beneficus fuerim in eum, multis illum augens beneficiis. Hoc enim ſignificat Quemquam eſſe coram alio, vel ante alium, vel in conſpectu alterius, ex phraſi linguæ Hebraicæ. Aliquid ergo ſubaudiendum eſt, hoc modo, Qui ad iracundiam prouocat me, *cum tamen fuerit & ſit* ſemper ante faciem meam. Commemorat Deus beneficia ſuá in veterem illum populum; et illius ingratitudinem, et peccata. Expandere manus, vt modo ex parte dixi, eſt benefacere, conferre beneficia, et quod ſimili locutionis genere dicunt Scriptores Sacri, Extendere manus; et Latini Aperire manus alicui, hoc eſt, aperta manu, ſiue larga manu (quod eſt copioſe, et liberaliter) conferre beneficia. vt *Pſal.* 144. *c.* Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione. Et *Prouer.* 31. Manum ſuam aperuit

ino-

inopi. In qua ſignificatione conſtructio Hebræa eſt, Expandi manus meas ad populum, pro Expādi manus meas populo. *Qui immolant in hortis*) Conſueuerunt enim cultores Idolorum, Diis ſuis offerre ſacrificia in hortis, ſicut idem Propheta Iſaias meminit *cap.* 1. *Et ſacrificant ſuper lateres*) Hoc enim prohibebatur in lege Dei. Nam altare ad ſacrificia, de terra eſſe debebat; vel lapideum de lapidibus non ſectis. *Exod.* 20. *d.* Iſti vero cultores Idolorum (præter id, quod non in templo Hieroſolymitano ſacrificabant) ſua ſacrificia offerebant ſuper altaria lateritia. *Qui habitant in ſepulchris*) Quia Idola aliquando in Scripturis Sanctis, Mortuorum nomen ſibi vendicant, (vt *Pſal.* 105. *d.* Comederunt ſacrificia mortuorum, id eſt, oblata diis mortuis. Et *Amos* 2. Vinum damnatorum bibebant, pro Vinum mortuorum, id eſt, oblatū Idolis, ſiue diis mortuis,) habitacula vero mortuorum, vulgo ſepulchra nominantur: iure ædes, ſiue templa Idolorum, hoc loco ſepulchra ſunt vocata, in quibus Idolorum imagines, ſiue ſtatuæ, et ſimulacra locabantur, et colebantur. Habet vero Emphaſim verbum Habitandi: quaſi dicat; tandiu morantur in delubris Idolorum, adeo illa freqūentāt, vt illic habitare videantur. Frequentant, inquit, delubra Idolorum, et in iis frequentiſsime verſantur. Habitandi itaque verbum frequētationem, vel commorationem frequentem, et aſsi-

duam

duam ſignificat. *Et in delubra Idolorum dormiunt.*) *Et*, expoſitiue accipitur pro *id eſt*. Nam Delubra Idolorum vocat, quæ ſepulchra appellauerat. Loquitur vero Propheta de fœdis, et ſpurcis, atque prophanis vigiliis, quas cultores Idolorum agebant noctu in delubris eorum. Præterea, quia Dormire, frequenter ex phraſi Scripturarum, eſt concumbere, et libidinem exercere; atque rurſus vocibus libidinem ſignificantibus, ſolet deſignari cultus Idolorum: arbitror hoc loco Dormiendi verbo Idololatriam ſignificari.

Non erit ibi amplius infans dierum, et ſenex qui non impleat dies ſuos; quoniam puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit. Iſaiæ 65.c.

CAPVT XLIIII.

DIFFICILIS locus eſt, atque ita variæ eius expoſitiones, quas longum eſſet recenſere. Dicam ſententiam meam, quę fortaſsis non lõge abeſt a germano huius loci ſenſu. Quod ait Propheta, *Non erit ibi amplius infans dierum etc.*) Per Inuerſionem dictum arbitror, et con-

coniunctionem copulatiuam poſitam eſſe pro particula ſimilitudinis (Vtrunq. in Sacris Scripturis reperitur ex idiomate Hebræo) vt ſit ſenſus, Non erit infans qui non impleat dies ſuos tāquam ſenex. quaſi dicat, Omnes ad plenam ætatem, ſiue ad ſenectutem peruenient, nullus in infantia morietur. *Ibi*) Locus ponitur pro tempore, *Ibi* pro *Tunc*. Infans erit ſicut modo ſenex, numero annorum. Nam tanta erit vitæ longitudo, vt infantia æquet ſenectutem horum temporum, ſiue anni infantię æquabunt annos ſenectutis horum temporum. *Puer centum annorum morietur*, hoc eſt, qui natus annos centum obierit, puer reputabitur, ſiue in puerili ętate eum deceſſiſſe dicent. *Et peccator centum annorum maledictus erit*) Et peccator, centum annos natus, ſcilicet morietur: et tamen maledictus erit, ſiue infelix, et immatura morte obiiſſe iudicabitur. Vel, qui puer obierit, centum annos natus erit, et peccator qui ob ſcelera ſua citiſsime e terra tolli ſolet, centum annorum morietur. Cum ait Propheta, *Et peccator*, forte *Et* ponitur pro particula ſimilitudinis, ſicut in verbis quæ præceſſerunt, vt ſit ſenſus, Qui centum annorum morietur, qui natus annos cētum morietur: maledictus erit, ſiue maledictus æſtimabitur (Hiſpane *Sera tenido y juzgado por mal logrado*) habebiturque, et reputabitur peccator, vel morietur in tenera ætate tamquam peccator. Nam hominibus peſsimis, et

nefariis ſolet Scriptura Sacra vitam breuem tribuere, vt *Pſal.* 54. *d.* Viri ſanguinum, et doloſi non dimidiabunt dies ſuos. Sicut e conuerſo in lege veteri ſeruantibus legem promittitur longitudo vitæ, et quod ſint futuri longæui ſuper terram. Non morientur, inquit, paruuli ætate immatura, ſed ad integram ſenectam peruenient. Quod ſi quidam in puerili, vel iuuenili ætate e vita deceſſerint: maledicti erunt, hoc eſt, habebuntur maligni, ſiue iniqui, atque mors eorum immatura eueniſſe eis ob peccata reputabitur. Habebiturque infelix, qui centum annorum morietur. vel certe (eodem fere ſenſu manente) ſimpliciſsima, et germana ratio exponendi, et recta ſeries orationis hæc eſt. Tam longe viuent homines, vt peccatores (quorum vita breuis eſſe ſolet) cẽtum annos viuant, et tamen infelices reputentur, et citiſsime e terra iudicentur ablati. Cumq. centum vixerint annos, in puerili ętate iudicẽtur deceſsiſſe. Peccator ergo centum annorum maledictus erit, hoc eſt, peccator qui erit, id eſt, eſſe ſolet (habet enim hanc vim aliquando futurum in Sacris Litteris) maledictus (Hiſpane *mal logrado*) centũ annorũ ſcilicet morietur. Poſſumus per maledictum hominem, virum iniquum, et ſceleratũ intelligere; vt *Sapi.* 1. *b.* Ac ſi dicat, Adeo erit eo tempore diuturna vita populi mei, vt vita iniqui hominis, quæ breuis eſſe ſolet, ſit centum annorum. Peccator, inquit, et homo maledictus

ctus, ſiue iniquus, non ante annos centum decedet. Quæ hoc loco de vitę longitudine dicũtur; non dubium quin myſtice ſint intelligenda. Et quia vitæ longitudo inter partes præcipuas felicitatis computari ſolet; ſumpta ſpecie pro genere, vitæ longitudo, pro omni genere felicicitatis computanda eſt. Adde etiam, vt per hæc temporalia intelligas, cæleſtia, et ſempiterna adumbrari.

Onager aſſuetus in ſolitudine, in deſiderio animæ ſuæ attraxit ventum amoris ſui: nullus auertet eam; Omnes qui quærũt eam, non deficient: in menſtruis eius inuenient eam. Iere. 2. e.

CAPVT XLV.

TAXAT Sanctus Propheta Ieremias Idololatriam populi Iſraelitici, ob quam frequentabat agros, montes, et loca deſerta, vt in eis more cultorum Idolorum, Diis gẽtium offerret ſacrificia. Ob id populum illum onagro aſsimilat, qui in ſolitudine vitam agit, illicq. eſt habitatio eius. *Onager aſſuetus in ſolitudine*) Subaudienda eſt particula ſimilitudinis. Factus eſt, inquit, populus Dei, tamquam onager aſſuetus diuerſari in ſo-

litudine. *In deſiderio animæ ſuæ etc.) In*, pro *Præ*. Deſiderium, pro Concupiſcentia et libidine, exiſtimo appellari. Nam concubitus ſignificatur, ſub quo adumbratur more Prophetico Idololatria. Deſiderium animæ ſuæ. dixit phraſi Hebræis familiari, pro deſiderio ſuo; ſiue concupiſcentia ſua. Niſi malis Animam accipere pro libidine, et fornicatione (quod nonnumquam fit in Sacris) id eſt, pro Idololatria, ſicut ponitur Deſiderium, ita vt Deſiderium animæ, ſit idioma Hebræum, pro maxima libidine. Attrahere ventum, eſt accerſire malum, vel adducere malum, parere malum. Nam venti appellatione genus omne malorum, et calamitatis ſolet ſignificari. Simili locutione fertur adagiũ, Mala ad ſe attrahens, velut Cęcias nubes. Accerſiuit ſibi malum, inquit Propheta, fornicatione maxima cum amatoribus ſuis. Sed rectius puto, ſi dicas, Deſiderio animæ ſuæ, dictum eſſe phraſi Hebræis admodum trita, vt modo dixi, pro Deſiderio ſuo. Eſt autem ſermo de voluptatibus carnis, ſub quibus manifeſte cultus Idolorum, more prophetico, ſignificatur. *Amoris ſui*) Obſerua vim genitiui ex idiomate Hebræo, pro Erga amorem ſuum, id eſt, erga amatores ſuos. Præ deſiderio, inquit, erga Deos ſuos, ſemper ſuſpirat ad montes, et colles, vbi colit eos. Vel Deſiderio (id eſt, amore ſuo, ſiue libidine ſua) animæ ſuę (id eſt, ſibi) attraxit ventum propter amores ſuos. Hoc

gene-

Digitized by Google

genere locutionis multa dicta ſunt in ſcripturis ſanctis;
e quibus eſt illud *Pſal. 115.* Calicē ſalutaris accipiam,
hoc eſt, offeram tibi ſacrificium (ſpecies pro genere, ca-
lix, vel poculum, aut libamen, pro ſacrificio) propter ſa-
lutare, vel ſalutem, id eſt, auxilium, vel beneficium a te
mihi impenſum. Nam ſalutare, vel ſalutem, vocat ſermo
Hebræus omne genus beneficii. Placet autem magis e-
ditio vulgata, quam verſio nouiorum interpretum, qui
pro Amoris ſui, tranſtulerunt Occaſionis ſuæ, quod vix
ſenſum aliquem aptum habet. Poſſunt etiam hæc verba
ſic accipi, vt Amor ponatur pro Cupiditate, quæ eſt notæ effecti-
ui apud Hebræos; Deſiderium pro Voluptate, quod in
aliis locis Sacræ Scripturæ reperitur: Eſtq; idioma He-
bræum, Deſiderium animæ ſuæ, pro Deſiderio ſuo, ſiue
voluptatibus ſuis: ſicut dictum eſt *Pſal. 9.* Laudatur
peccator, *et qui ambulat* in deſideriis animæ ſuæ, ſiue in
deſideriis ſuis. Amorem dixit Propheta pro Amatori-
bus, ſumpta re pro perſona; quo genere locutionis vti-
tur vulgus Hiſpanorum. Eſt vero conſtructio Hebræa
Amoris ſui, pro Cum amatoribus ſuis. Nec abſurdum
erit dicere, per inuerſionem vocum ita dictum eſſe, pro
eo quod eſt, attraxit ventum animæ ſuæ (id eſt, peperit
ſibi malum) deſiderio amoris ſui, ſiue voluptatibus, et
fornicatione cum amatoribus ſuis. Quibus verbis non
dubium quin Sanctus Propheta Ieremias more prophe-

tico Idolorum culturam voluerit ſignificare. Deſiderium itaque pro concupiſcentia, et ardore libidinis ponitur: ſub qua ſignificatur cultus Idolorum. Ipſa ſibi, inquit, malum adduxit libidine, et noxiis voluptatibus, hoc eſt, Idolorũ cultura. Attrahere vero ſpiritum (nam eadem dictio Hebræis et ſpiritum, et ventum ſignificat) forte hoc loco eſt, ducere ſuſpiria, ſiue trahere ſuſpiria ab imo pectore; ſicut alibi exponimus illud *Pſal.* 118. Os meum aperui, et attraxi ſpiritum; quaſi diceret, Clamaui *ad te* in afflictione mea. Inquit ergo Sanctus Propheta de populo Iudæorum Idololatriæ ſcelere cõtaminato, In deſiderio animæ ſuæ, ſiue præ cõcupiſcentia ſua, trahit ſuſpiria amoris ſui, id eſt, pro amatoribus ſuis. Tam ardet amore Idolorum, vt numquam quieſcat, niſi occupata ſacrificiis eorum. Suſpirat, ait, pro amatoribus ſuis, tam ardenter illos amat. Quidam vertunt, Cum reſpirauerit ipſa, nemo poteſt ei ſedare lamentabilem expectationem. Sed dilucide vertes, Suſpirat ipſa (id eſt, anhelat ad amatores ſuos) nec quiſquam poteſt ſedare deſiderium, vel ardorem libidinis eius. *Nullus auertet eam.*) Nullus Propheta monitis ſuis poteſt retrahere eam. Niſi malis, Nullus dictum eſſe pro Nihil. *Auertet*, id eſt, auertere poteſt. Habet enim aliquando hanc vim Futurum, ex idiomate linguæ Hebraicæ. *Omnes qui quærunt eam, non deficient*) Omnes hoſtes, in-

quit,

quit, qui quærunt eam, id eſt, qui quærunt illi mala, qui curant nocere illi, et mala irrogare ei, non deficient, nō fruſtrabuntur ſpe ſua, non erunt irriti conatus illorum, ſed voti compotes euadent. Alludit vero Propheta ad verba quæ dixerat initio capitis, Omnes qui deuorant eum, delinquunt, hoc eſt, Cum Iſrael cœpit eſſe populus Dei, omnes hoſtes qui eum deuorabant, vexabant, a Deo puniebantur; hoc enim eſt Delinquere hoc loco. Vnde Delictum interdum pro plaga, calamitate, et ſupplicio. Olim qui deuorabant eum, delinquebant, deficiebant, puniebātur a Deo; ſed modo qui quærunt eum, impune ferent. Huc ſpectat illud eiuſdem Prophetæ *cap. 50. b.* Omnes qui inuenerunt, comederunt eos, et hoſtes eorū dixerunt, Non peccabimus (id eſt, non dabimus pœnas propter mala quæ intulimus Iſraeli) pro eo quod peccauerunt Domino. Omnes ergo qui vexare populum Iſrael attentauerint, voti compotes fient, idq; In menſtruis eius. *In menſtruis eius inuenient eam*) Vox Menſtruorum difficultatem habet non exiguam hoc loco. Ego quidem in hac ſum ſententia, vt exiſtimem Menſtrua pro Sanguinibus (vt Hebræi loquuntur) appellari, ſpecie ſumpta pro genere. Et quia ſanguis frequenter pro iniquitate et ſcelere ponitur (vt *Pſal. 50. b.* Libera me de Sanguinibus. et *Eze. 9. d.* Repleta eſt terra ſanguinibus) Menſtruum quoque pro ſcelere ponitur.

Threnor. 1 *f.* Facta eſt Ieruſalem, quaſi polluta menſtruis inter eos. *In* Menſtruis dixit; id eſt, propter ſcelera: atque ita hoc loco Menſtruorum vox accipienda eſt. Hoſtes Ieruſalem, ſiue hoſtes populi Iudæorum, inquit Sanctus Propheta Ieremias, inuenient, id eſt, comprehendent eam, conſequentur victoriam ex ea, in menſtruis eius, hoc eſt, ob immania ſcelera eius: ſicut dictum eſt *Threni.* 1. c. Peccatum peccauit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt. Quare non placet ſententia nonnorum interpretum, qui hæc verba non populo Iſrael, Sed Dromedariæ adaptantes, quæ difficile comprehendi poteſt, propter leuiſſimum curſum, niſi menſe quo proxima eſt partui; vertunt In menſe ſuo inuenient eam, explicantes, Menſe quo ei pariendum erit, inuenient eam. Alii aliter. Nihil itaque aptius et magis accommodum, præſenti argumento iudicandum eſt, quam quod vulgata habet editio, vt expoſitum eſt.

Probatorem dedi te in populo meo robuſtum: et ſcies & probabis vias eorum. Omnes iſti Principes declinantes, ambulantes frandulenter, æs & ferrum vniuerſi corrupti ſunt. Defecit ſufflatorium, in igne conſumptum eſt plumbum, fruſtra conflauit conflater:

tor; malitiæ enim eorum non ſunt conſumptæ. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos. Iere. 6.

CAPVT XLVI.

VERBA Dei ſunt, non ad Prophetam, vt quidam ſentiunt, ſed ad Regem Chaldæorum. Conſtitui te, ait Dominus, vaſtatorem populi mei, et vltorem iniquitatum eius. *Dedi* pro *Dabo*, vel efficiam te probatorem robuſtum, id eſt, fortem vaſtatorem, vltorem potentiſsimum. Efficiam te præualere aduerſus populum meum, efficiam te robuſtum probatorem, id eſt, vaſtatorem magnum, daboq; tibi potentiam aduerſus populum meum, vt ſis illius probator, hoc eſt, vaſtator, et probabis, ſiue vaſtabis *eum propter* vias eorum, vel propter ſcelera eorum. Nam præpoſitio ſubaudienda videtur. Quanquam recte quoque dicatur vlciſci vel vindicare ſcelera. Alloquitur ergo Deus Regem Babylonis, ac poſtmodum exercitum eius, ac milites ipſos, qui ad vaſtationem populi Iſrael venturi erant. *Probator*, vel conflator ponitur pro vaſtatore. Vtitur vero Deus ſimilitudine conflandi, et expurgandi metalla igne vehementi applicito, quaſi dicat. Cum Principes populi mei debeant eſſe moribus candidi, vt ar-

gentium, tamen corrupti ſunt muneribus acceptis, et
auaritia; et corruperunt vias ſuas, declinantes ſcilicet a
lege Dei, ambulantes fraudulenter, id eſt, ſpoliantes ple
beios homines, et ignobiles, fraudibus ſuis; denique
ſunt velut æs et ferrum, id eſt, homines ſunt dura ceruici-
ce, et dura fronte, recuſantes colla ſubdere iugo Legis;
et non erubeſcentes reſiſtere monitis Prophetarum, qui
illis Legem Dei proponunt, et ad obſeruationem eius
adhortantur eos; qui diu iam vindictam illis vaticinan
tur, niſi a peccatis et ſceleribus deſiſtant. Ideo, inquit
Dominus, o Rex Babylonis, dedi (pro dabo, vel do)
te probatorem in populo meo, id eſt, vaſtatorem po-
puli mei (idioma Hebræum eſt ablatiuus cum præpo-
ſitione, pro genitiuo) vel contra populum meum, ut
ſcias et probes vias eius. Nam ponitur pro Ut, ex idioma-
te Hebræo. Scire, vel cognoſcere (ut quidam vertunt
hoc loco) ponitur pro vlciſci et punire. Fortaſſe ſic di-
ctum eſt ab Apoſtolo, 2. *Cor.* 5. f. Et ſi cognouimus
Chriſtum etc. id eſt, priusquam ego Euangelio crede-
rem, ſpirans minarum et cædis, puniebam et affligebam
Chriſtianos. Sic accipitur hoc loco verbum Sciendi.
Id explicatur per repetitionem per verbum Probandi.
Sic accipitur idem verbum *Oſeæ* 9. *b.* Scitote Iſrael ſtul-
tum Prophetam, quod alibi explanamus. Et quia cum
Vias nominat, haud dubie prauas intelligit, id eſt, ſcele-

varet peccata; Scire vias, dictum eſt pro, Vlciſci peccata, et punire ſcelera. Efficiam te, ait, potentiſsimum bellatorem, vt penitus puniam ſcelera eius, quæ in me commiſit. Probare, eſt excoquere igne, et examinare metalla, quæ igne probantur, id eſt, purgantur. Viarum vero appellatione opera intelliguntur, conſuetudine Scripturarum. Probare ergo eſt examinare, conflare, et decoquere metalla, igne applicito ad purgandum. Sumpta itaque ſimilitudine a re metallaria, hoc loco Probare eſt punire, perdere, et vaſtare, quemadmodum aliquando accipiuntur Quærere, et Scrutari: Vt Iob. 10. c. Vt quæras iniquitatem meam, et peccatum meum ſcruteris. Te, o Rex Babylonis, inquit Dominus, conſtitui mittere ad vaſtandum populum meum, ob peccata eius. Efficiam te probatorem robuſtum, id eſt, vaſtatorem fortem, ſiue potentem. (*Defecit ſufflatorium &c.*) Aliter nunc accipiuntur hæ voces *Conflator*, et *Conflare*, quam paulo ante vſurpantur. Nam Conflatores (ponitur enim vox ſingularis pro plurali) hic videntur appellari Sancti Prophetæ, qui ſuis conſiliis et Sanctis exhortationibus conabantur, vt iniqui Principes populi Dei, deſererent ſcelera inueterata: Ac ſi dicat Dominus, dedi populo meo Conflatores Sanctos Prophetas, qui conſiliis optimis, et ſaluberrimis exhortationibus, eum a vitiis expurgarent, et ad meliorem vitæ frugem conuerterent.

Sed

Sed quia populus meus non ſuſcepit diſciplinam, et nihil illi profuerunt Sancta conſilia: dabo ei conflatorem alium, qui alia ratione conflet, et expurget eum, id eſt, Regem Babylonis, qui ſuccendat igne ciuitatem eorũ, de qua gloriantur. Miſi, inquit, populo meo Prophetas: *ſed* fruſtra conflauit conflator, fruſtra Sancti Prophetæ admonuerunt eos, quia malitiæ eorum non ſunt conſumptæ, hoc eſt, non ideo receſſerunt a malo, ſiue non deſtiterunt a peccatis. Defecit ſufflatorium, id eſt, laſſatus eſt ſufflator, multum laborauerunt Sancti Prophetæ vt filios Iſraël a vitiis et peccatis retraherent, ſicut metalla igne purgantur, ſed nihil proficiebant, propter duritiam cordis illorum. Sic Dominus ait *Ierem.* 7. d. & 25. a. & 29. d. et 44. a. De nocte conſurgens, et mittens ſeruos meos Prophetas ad vos, et non audiſtis eos. Et *Oſee* 6. b. Dolaui in Prophetis, et occidi eos verbis oris mei. Per Conflatorium Propheta intelligitur, per Sufflatorium Os eius, et guttur, quod ex cõtinuo clamore, et frequenti exhortatione raucum fiebat, et tamen nihil populo illi proficiebat. Defecit, inquit, ſufflatorium, id eſt, omnem operam perdidi in repurgando populo. Alii vertunt, Adbenſum eſt ſufflatorium ab igne, integrum eſt plumbum. Aſſimilat Propheta peſſimos homines conflationi argenti, in qua oleum et opera perduntur, quandoquidem nihil agitur aliud, niſi quod follis ex

con-

continuo vſu ab igne comburitur, et ſcoria ab argento non educitur; cum nihil illic boni ſit, a quo malum ſeparetur. Facit vero mentionem de plumbo, quod argentum non confletur ſine appoſitione plumbi, illud etiam fluere facit. Chaldæus Paraphraſtes in hunc modum exponit, ita locum vertens: Ecce ſicut conflatores flatũ faciunt, vt incaleſcat quod eſt in medio ignis: ſic ſatagit vox Prophetarum, qui prophetant eis Conuertimini ad legem, ſed ipſi non conuertuntur. Et ſicut plumbum diffluit in fornace: ſic inania viſa ſunt illis verba Prophetarum. Omnes ſunt *quaſi* æs, et ferrum, metalla inferiora; et exiguæ æſtimationis. *Argentum reprobum vocate eos etc.*) Vox Dei eſt de populo ſuo, ad hoſtes eius. Subaudire oportet particulam ſimilitudinis, quæ hoc loco, ſicut et aliis locis, non ſimilitudinem, ſed ipſam rei veritatem ſignificet. Inquit ergò Dominus: O vos gentes, quas adduco ad vltionem populi mei, agite cum eo quaſi cum argento reprobo, reddite illi quod meretur, tractate eum ſicut commeruit. Argentum reprobum vocat argentum vile factum, corruptum, et vitiatum mixtura multa metallorum inferiorum, vel potius fæcis copioſæ. Tractate eos *tamquam* argentum corruptum. Erat populus meus quaſi argẽtum electum, ſed iam verſus eſt in Scoriam, omnes ſunt æs, et ferrum. Vt paulo ante dixerat Propheta, Erat vinea mea electa, omne ſe-

men

men verum;ſed conuerſa eſt in prauum:et facta eſt *ſicut* vinea aliena. *Iere.2.e.* Verbum Vocandi non minimam difficultatem mihi habere videtur. Fortaſsis ponitur pro Facere, ex proprietate linguæ Hebraicæ, vt *Iſa.41.e.* et Facere interdum eſt Vlciſci, punire, deſtruere etc. Facite eis, inquit Dominus, o exercitus Regis Babyloniorum *tamquam* argento reprobo. Quod vero fit argento reprobo, eſt in ſterquilinium proiici; atque ita ſequitur, Quia Dominus proiecit illos. Niſi malis de verbo Vocandi ita diſſerere. Vocare hoc loco abſtruſam habet ſignificationem. Nam quia Vocare aliquando eſt Eligere (vt cum D. Paulus ait de ſe, Vocatus Apoſtolus) factum eſt vt per Antiphraſim ſit reiicere, vel proiicere, contemnere, et male tractare. Hinc Sanctus Ieremias reſpiciens ad hanc ſignificationem verbi Vocandi, ait, Quia Dominus proiecit illos. Alloquitur ergo Propheta exercitum Babyloniorum, quaſi iam appropinquantem vrbi Solymorum, ad vaſtandum eam. Eia, inquit, reiicite, ac vaſtate populum Iſrael, reiicite illum *tamquam* argentum reprobum; nam Dominus proiecit illos. Aliquando vero ita hæc verba mihi exponenda videbantur; doctores iudicabunt. Initio oportet ſubaudire particulam aduerſatiuam, et Quia, ponitur pro Et. Vtrumque in vſu eſt apud Scriptores Sacros, ex proprietate linguæ Hebraicæ. Verba ſunt Ieremię Prophe-

tæ

tæ ad populum Iſrael, de Principibus eius, de quibus pręcipue ſermonem texit. Exhortatur enim eos, vt magiſtratus ſuos et Principes honorent, illis honorem deferant, & pareant in iis, quæ æqua ſunt. Sic D. Petrus Apoſtolorum Princeps, prioris Epiſtolæ ſuæ Canonicæ *cap.2.* Non tantum bonis et modeſtis, ſed etiam diſcolis. Inquit ergo Sanctus Propheta; Vocate, vel honorate eos (nempe Principes populi) *licet ſint velut* argentum reprobum, et Dominus proiecerit eos.

Si conuerteris, conuertam te, & ante faciem meam ſtabis: & ſi ſeparaueris pretioſum a vili, quaſi os meum eris. Iere. 15. d.

CAPVT XLVII.

VERBA Dei ſunt ad Ieremiam Prophetam, humano timore formidantem vaticinari dura populo ſuo. Si ad me, inquit, conuerſus fueris, ſi redieris ad munus a me tibi commiſſum, reſtituam te in priſtinum gradum. Si conuerteris, (vel ſi conuerſus fueris) conuertam te, quaſi dicat, ſi redieris, reſtituam, te miniſterio tuo, a quo, animo nonnihil defeciſti. Reſti-

tuam

tuam te, inquam, vt ſtes coram me, id eſt, vt mihi miniſtres in prophetando. Suadet ergo illi Dominus, vt omni metu poſthabito, vaticinetur populum illum ſeparandum, hoc eſt, euertendum, vel a regione ſua extrahendum, atque adeo captiuum abducendum. Si conuerteris, inquit, vel ſi reuerſus fueris, ſcilicet ad me, vel ad famulatum meum, fungens munere prophetandi a me tibi commiſſo: conuertam te, id eſt, recipiam te iterum in miniſterium prophetandi, et muneri prophetico te reſtituam. Si imperterritus ſine formidine prophetaueris quæcumque imperauero tibi: conuertam te etc. Poteſt etiam hoc loco Conuertere accipi pro Conſolari, ſicut aliis in locis. *Et ante faciem meam ſtabis*) Eſſe, vel Stare ante faciem alicuius, vel coram eo, dicunt Hebræi pro Miniſtrare illi. Ante faciem ergo meam ſtabis, hoc eſt, ſeruies mihi in munere prophetandi, nec te ab eo miniſterio auellam. Eſt etiam aliquando Stare ante faciem alicuius, curam gerere illius, fauere illi. quaſi dicat, ponam te iuxta me, et aduerſantium tibi manus nō præualebit contra te. *Et ſi ſeparaueris pretioſum a vili, quaſi os meum eris*) Separaueris, dictum eſt, pro Prophetaueris ſeparandum, qua proprietate Hebræa loquendi dictum eſt *Iſaiæ 6. c.* Excæca cor populi huius, pro eo quod eſt, Vaticinare (inquit Deus in Iſaiam) excæcandum cor populi huius. et Aures eius aggraua, pro Vatici-

ticinare aures eius aggrauandas. et Oculos eius claude, pro Vaticinare oculos eius claudendos. Et *Ierem.cap.*1. Vt euellas et deſtruas, diſperdas et diſsipes, ædifices et plantes. Hoc eſt, vt prophetes euertenda, atque vaſtanda quædam regna, vel Reges; et inſuper alios Reges, eorum loco ſubſtituendos. Sunt et alia exempla huius locutionis, quæ in præſentia omittimus. Pretioſum vocat nobiles, diuites, et principes viros: vile, homines plebeios, et ignobiles. Itaq. Pretioſum et vile, idem eſt quod magnum et paruum, nobile et ignobile, excelſum et infimum. *A*, vero ponitur pro *Cum*; quod nonnumquam vſu venit Scriptoribus Sacris. Niſi malis ita exponere, Populum pretioſum, populum a me electum præ aliis, et quem multis et magnis beneficiis affeci: Separandum, ſiue perdendum atque vaſtandum a populo vili, a populo barbaro Chaldæorum. Nam aliquando populus Iudæorum, qui Deum verum coleret, Sãctorum et Iuſtorum nomine vocatur, et populus dilectus, electus, quaſi pretioſus. Contra vero gentes quæ Idola colerent, Stultorum et Inſipientium habent nomina; interdum etiam viles et abominabiles appellantur. Sed magis placet ſenſus quem primo propoſui, iuxta quem inquit Dominus ad Ieremiam; Si non pertimeſcens minas populi mei, audacter prophetaueris captiuitatem eius, et nobiles ſimul cum plebeiis ſeparandos a regione ſua, id

p eſt

eſt abducendos, et in exilium mittendos: ſi hoc, inquit, annunciaueris quod tibi iubeo; quaſi os meum eris. Quod ait, Quaſi os meum eris, ita exponendum arbitror. Quia per Sanctos Prophetas loquebatur Dominus; aliquando Os Domini appellatur Propheta. Per Sanctos inquam Prophetas loquebatur Dominus, ſicut dictum eſt *Lucæ* 1. Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui a ſeculo ſunt Prophetarũ eius. Et *Iſaia* 30.*a*. Os meũ non interrogaſtis, quod eſt, Prophetas meos non conſuluiſtis. Quia vero particulæ ſimilitudinis in Arcanis litteris, ex idiomate Hebræo, frequenter emphaſim, et vim augendi habent, ſicut aliis in locis a nobis dictum eſt: Quaſi os meum eris, idem ſonat quod eris Propheta meus electus, eris verus, ſiue fidelis Propheta, vere annuncians mandata Dei, ſicut de Samuele dicitur 1. *Regum* 3.*d*. Quod eſſet fidelis Propheta Domini. Eris meus Propheta præ aliis electus, et inſignis præ aliis, qui comminationes Principum populi non timueris; et potentium inſidiæ, atque mala non te fregerint. Si imperterritus prophetaueris ſeparandum, vel eiiciendum pretioſum a vili, id eſt, nobilem cum ignobili abducendum per hoſtes, nobiles et plebeios populi mei de regione ſua abducendos in exteras nationes; quaſi os meum eris, hoc eſt, eris meus Propheta inſignis, qui non habeat poſtremum locum inter Prophetas, quin potius electus

præ

præ aliis, riteque fungeris munere Prophetæ. Poſsit et aliquis ita hæc verba exponere. Quaſi os meum eris, hoc eſt, eris vt ego promiſi, firmus ſcilicet, et inuincibilis.

Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in vngue adamantino, exaratum ſuper latitudinem cordis eorum, et in cornibus ararum eorum. Iere. 17. a.

CAPVT XLVIII.

PECCATVM pro vindicta, plaga, et omni genere calamitatis, et laboris appellatur. Quod in multis Diuinarum litterarum locis contingere, alibi obſeruamus. Præteritum tempus ponitur pro Futuro, more Prophetarum. Pro vngue quidam vertunt ſtylum, atque ita Vnguis pro Stylo accipitur. Quod fit per Synecdochem, admixta Metonymia. Synecdoche eſt Vnguis pro Digito. Metonymia vero (quæ eſt continens pro contento) Digitus, pro Stylo qui digitis tenetur ad ſcribendum. Vel inſtrumentum, pro re quæ fit ipſo inſtrumento. Inquit ergo Ieremias, Vindicta quæ ſumetur de

Iuda,tam grauis erit,vt nulla vnquã obliuione deleatur futuris temporibus, ſicut id quod ſtylo ferreo, vel adamantino exaratur. Non erit abſurdum ſubintelligere particulam Immo,nec id inuſitatum eſt apud Scriptores Sacros, Stylo ferreo *immo* in vngue adamantino. Vel potius,quia Hebraice legitur, Et in vngue, dicendum, quod coniunctio *Et* ponitur pro Immo;quod aliquando fit in Sacris. *Super latitudinem cordũ eorum*) Latitudinem cordis vocat Propheta effuſionẽ cordis,cum quis abſque vllo fræno effunditur in voluptates, et ſectatur laxis habenis praua ſua deſideria, ſequitur cogitationes cordis(vt loquuntur Scriptores Sacri)et abit poſt concupiſcentias ſuas. Quod de libidine intelligi ſolet, hoc tamen loco de Idolorũ cultu dictum eſt, more Prophetico. Solent enim Sacri Vates loqui de Idololatria, ſub nomine libidinis. Et quamquam alii pro Latitudine cordis,vertant Tabulam cordis: mihi magis placet editio vulgata. *Cornua ararum*, phraſi Hebræa dictum exiſtimo,pro delubris fortiſsimis quaſi arcibus; propterea quod Idolorum cultores conſtruerent Diis ſuis delubra ampliſsima, et munitiſsima quaſi vrbes, ſicut ait Oſeas Propheta *cap.* 8.*d.* Aedificauit delubra, et Iudas multiplicauit *ea, quaſi* vrbes munitas. Poteſtque vox Cornua diuerſimode accipi,eodem ſenſu manente. Nam quia ſæpe Cornu ponitur pro forti, et Forte aliquando ex

idio-

idiomate Hebræo ponitur pro re quæ eſt in genere ſuo excellens et inſignis; Cornua ararum, ſiue templorum, idem erit quod delubra ampliſsima, maxima, præſtantiſſima, et munitiſsima: *Aræ* pro Idolis, quæ in aris colun-tur, accipi poſſunt. Et quia cornu, ſignificare ſolet in ſacris omne genus felicitatis humanæ; Cornua ararum, idem eſt quod Dii potentiſsimi, ſcilicet, iuxta opinionem colentium eos; qui eos omnia poſſe exiſtimabant; et ab eis omnia bona ſibi euenire dicebant, vt conſtat ex verbis ipſorum, *Oſeæ cap. 2. 4.* Vadam poſt amatores meos (inquit cœtus Idololatrarum) qui dant panes mihi, et aquas meas; lanam meam, et linum meum, oleum meum, et potum meum. Erit ergo ſenſus; Vltio quæ ſumetur de Iuda, ſuper latitudinem cordis eorum, id eſt, propter effuſionem cordis eorum; ſiue quia effuſum eſt cor eorum cum Idolis ſuis, et quia laxarūt habenas cultui Deorum: erit vltio memorabilis, nec delebitur memoria eius, *ſicut* id quod ſcribitur ſtylo ferreo, vel adamantino. Manente hac Ararum ſignificatione, qua Aræ, per Metonymiam, pro Diis qui in ipſis aris colebantur, accipiuntur; Cornua ararum, id eſt, Deos cornutos exponere poſſumus. Nam filii Iſrael aliquando, more gentium, colebant pro Diis imagines animalium cornutorum: vt taurorum, vitulorum, vaccarum, et arietum. Niſi malis Cornua ararum, idem eſſe quod aras, et

altaria. Meminit vero Propheta cornuum ararum, quia in ipſis cornibus altarium fundebatur ſanguis victimarum, ibiq. iugulabantur pecora. Peccatum, inquit, Iuda, ſuæ vltio ſumenda de populo Iudæorum, propter latitudinē cordis eorum (id eſt, quia laxarunt habenas prauis deſideriis, ad quod malum propēſum eſt, et ea effrænes ſecuti ſunt) et, id eſt, in cornibus ararum eorum (id eſt, propter Idololatriam eorum) ſcribetur ſtylo ferreo, vel potius adamantino, hoc eſt; erit ſupplicium famoſum, memorabile; quod nulla vmquam deleat obliuio. Quia vero id quod litteris mandatur, præſertim ſi ſcribatur ſtylo ferreo, vel adamantino, in multa ſæcula memorabile eſt, et ad perpetuam rei memoriam; cum ait Sanctus Propheta Ieremias, vltionem ſumendam de populo Iudæorum, et ſcribendam ſtylo ferreo, vel adamantino: ſignificat eam adeo grauem futuram, vt eius memoria nullis vmquam temporibus deleatur, ſed ſit in perpetuum duratura. *Super*, et *In*, pro *Propter* accipiuntur. Hæc ergo eſt ſeries orationis propheticæ. Peccatum Iuda (id eſt, vindicta quę ſumetur de Iuda) propter latitudinem cordis eorum, et propter cornua ararum eorum (id eſt, propter Idololatriam eorum. *Et* ponitur expoſitiue pro *id eſt*) Scribetur (id eſt, erit quaſi ſcribatur) ſtylo ferreo, *vel potius* vngue, vel ſtylo adamantino. quaſi dicat, erit vindicta memorabilis, numquam exci-

det memoriæ hominum, ſed erit in multa ſęcula duraturum, ſicut id quod ſcribitur ſtylo ferreo, vel adamantino, in lamina ferrea. Aliquando ſuſpicatus ſum, hoc loco ſubaudiri negationem, in hunc ſenſum. Peccatum Iuda nullo tempore obliuioni tradetur. Mandabitur enim memoriæ, et ſcribetur *non* in vngue, *Sed* lamina ferrea, et ſtylo adamantino. Quod ait Propheta *In vngue*, proprietate etiam ſermonis Hiſpani dictum videtur, *Eſcriuildo en la vña, bien lo podeys eſcriuir en la vña*. Quia recordati ſunt filii eorum ararum ſuarum, pro, filii eorum recordabuntur ararum eorum, hoc eſt, imitabũtur patres ſuos in cultu Idolorum. Obſerua ſubitam perſonæ mutationem. Nam a tertia perſona tranſit Propheta ad ſecũdam. Huiuſmodi perſonarum mutatio frequens eſt apud Prophetas. Ideo fortitudinẽ tuam, id eſt, opes tuas, in direptionem dabo, propter peccata *Idololatriæ, quæ commiſiſti* in omnibus finibus tuis.

Ecce dies veniunt, dicit Dominus: et ſuſcitabo Dauid germen iuſtum; et regnabit Rex, et ſapiens erit; et faciet iudicium et iuſtitiam in terra. Iere. 23. a.

CAPVT XLIX.

PROMITTIT Deus per os Ieremiæ; ſe Meſsiam ex ſemine Dauid ſ. miſſurum in terram, ſicut et antea per alios Prophetas fuerat pollicitus. *Et ſuſcitabo) Et*, id eſt, in quibus. Aliquando enim Scriptores Sacri, ex proprietate linguæ ſuę, vtuntur coniunctione copulatiua pro nomine relatiuo; iuxta loci exigentiam. Futura ſunt, inquit, tempora, in quibus ſuſcitabo etc. *Suſcitare*, ponitur pro Mittere. *Germen Dauid*, idem eſt quod filius Dauid, ſicut et fructus appellatur, quæ vox hoc loco non ſine emphaſi efferenda eſt. Mittam, inquit Deus, illum filium Dauid, id eſt, Meſsiam promiſſum. Eſt autem *Dauid* datiuus, ſed poſitus pro genitiuo, conſtructione Hebræa. *Iuſtus* vero (quamquam accipi poſsit in ſua communi ſignificatione pro viro Sancto) inclytum, principem, et Regem aliquando Hebræis ſignificat, ex proprietate linguæ ſuæ. vt *Iſa. 62. a.* Videbunt gentes iuſtum tuum, et cuncti Reges inclytum tuum, hoc eſt, ſuſpicient, colent, et venerabuntur Regem Meſsiam; colent Principem de genere Dauid futurum; venerabuntur illum filium Dauid, nempe Meſsiam promiſſum. Hoc enim nomine paſsim eum vocabant, Filius Dauid, vel Ille filius Dauid; quod ex locis Sanctorum Euangeliſtarum conſtat. Et ibidem paulo ante, Donec egrediatur vt ſplendor Iuſtus eius. Et *Iſa. 51. b.*

Prope

Prope eſt iuſtus meus. Nomen vero Iuſti, ſicut et nomen Germinis, hoc loco habet emphaſim. Mittam, inquit Pater cæleſtis, illum filium Dauid iam olim a me promiſſum, mittam illum iuſtum, vel Regem illum, illud germen Dauidis, ſiue illum filium Dauidis iam antea à me promiſſum, qui ex ſemine Dauid naſciturus eſt. *Et regnabit Rex*) coniunctio copulatiua, ex idiomate ſermonis Hebræi, ponitur pro nomine relatiuo Qui. Qui inquit, regnabit Rex. idem eſt ac ſi dicat Propheta, Regnabit regnans, id eſt, regnabit feliciſsime, erit Rex maximus atque feliciſsimus, regnum eius erit feliciſsimum. Eſt vero Hebraiſmus, *Regnabit Rex*, pro, erit Rex potentiſsimus et feliciſsimus. Regnabit ille Rex, emphaſim enim habet nomen Regis. *Et ſapiens erit*) Quia apud gentes multas, ex numero ſapientium in Regem et Principes populi aſſumebantur: aliquãdo in Scripturis Sacris Sapiens ſonat idem quod Inclytus, Potens, Magnus, Præclarus, denique Princeps et Rex. Erit, inquit Sanctus Propheta, hic filius Dauid (qui eſt Meſsias promiſſus) potentiſsimus, et Rex maximus. Denique Sapiens aliquando ſonat idem quod Potens et Princeps, quo nomine Meſsias promiſſus ſignificatur. Nam quia olim, vt modo dicebamus, apud gentes multas Sapientes in Magiſtratus populi, in proceres et viros Principes eligebantur, et de numero Sapientium Rex creaba-

pro Lege non raro accipiuntur in Scripturis Sanctis, Iudicium, et Iuſtitia, ex idiomate Hebræo, idem ſonat quod Lex Sancta. Idioma Hebræum eſt, ſicut alio genere Hebraiſmi dicunt Scriptores Sacri, Pars hereditatis, pro inſigni hereditate. Ac fortaſsis Iudicium, et Iuſtitia, dictum eſt Hendiady Hebræorum, pro Iudicium iuſtitię; quaſi dicas, lex legis, id eſt lex æquiſsima, et lex Sancta, genere illo Hebraiſmi Pars hereditatis, Ira furoris, Furor indignationis. Facere vero iudicium, phraſis Hebræa eſt. Aliquando vero eſt ferre legem, vt *Pſal.98.a.* Iudicium, et Iuſtitiam in Iacob (id eſt, coram Iacob, pro ipſi Iacob, ſiue populo Iſrael) tu feciſti. Ad idem pertinet illud *Ioan.1.c.* Gratia, et veritas per Ieſum Chriſtũ facta eſt. Hoc eſt, Lex gratiæ, quæ eſt lex Euangelica (eſt enim Hendiadys Hebræa) per Chriſtũ lata eſt. Nam veritas pro Lege ponitur, ſicut aliis in locis. Aliquando vero Facere legem, eſt legem implere. Vt *Ioan. 7.c.* Nemo ex vobis facit legem. Et *ad Roma.2.b.* Factores legis. Sic Facere iudicium, et iuſtitiam, hoc loco Ieremiæ, eſt legem æquiſsimam ferre, omnibus numeris abſolutam, legem ſanctiſsimam. Talis enim eſt lex Euangelica, de qua ſermonem texit Propheta, ſicut iam iam exponemus. Terra vero, conſuetudine Scripturarum, ponitur pro variis orbis nationibus. Quod vero ait *In terra*, auferendi caſus cum præpoſitione ponitur

pro

pro datiuo, ex idiomate ſermonis Hebræi. Erit ergo germanus huius loci ſenſus. Meſsias promiſſus (iuxta vaticinia multorum Prophetarum) daturus eſt legem quandam ſanctiſsimam, perfectam, et omni culpa vacantem (vt loquar cum Diuo Paulo *ad Hebræ. 8. b.*) non ſoli populo Iudæorum, vt lex vetus data eſt, ſed vniuerſis gentibus. Hęc eſt germana loci intelligentia. quamquam alii exiſtiment, Facere iudicium et iuſtitiam in terra, dictum eſſe pro eo quod eſt, Facere vindictam de gentibus; vt de vocatione gentium ad fidem Chriſti ſit intelligendum iuxta conſuetudinem loquẽdi Prophetarum.

Quaretur iniquitas Iſrael, et non erit; et peccatum Iuda, et non inuenietur. Iere. 50. d.

ET

Contere brachium peccatoris & maligni: quaretur peccatum illius, et non inuenietur. Pſal. 9. d.

CAPVT L.

HAEC duo loca in caput vnum redegimus, quod ſimillima ſint: ac primum de loco Ieremiæ diſſeremus; quamuis eadem fere vtrique loco conueniant. Circa locum Ieremiæ obſeruare oportet, Iniquitatem et

Peccatum pro Plaga, et omni genere vltionis aliquando appellari, atque ita hoc loco has voces accipiendas. Quærere vero iniquitatem, vel peccatum Iſrael, eſt vindicare plagam, quam paſſus eſt Iſrael a gentibus. Ea vero quæ proxime præceſſerunt, manifeſte oſtendunt ſermonem fieri de Rege Nabuchodonoſor perdendo, quia vaſtauerat filios Iſrael. Tunc, ait Sanctus Propheta Ieremias, vindicabitur malum quod perpeſſus eſt Iſrael a Rege Babylonis, malum quod Rex Babylonis intulit Iſraeli; et nõ erit, ſubaudi ipſe Rex Babylonis. quaſi dicat, tam graui ſupplicio punietur a Deo Rex Babylonis, ob mala quæ irrogauit Iſraeli, vt ad nihilum redigatur, vaſtetur, et intereat. Hoc ſignificat, *Non eſſe*. Idem eſt, *Non inueniri*. Nam Non inueniri, Hebręis dicitur quod perit, et nuſquam eſt, nec ſi quæratur, inueniri poterit. vt *Ezechię* 26. *d*. Cum dedero gloriã in terra viuentium, in nihilum redigam te, et non eris, et requiſita non inuenieris vltra. Et *Apoca*. 12. *b*. Non eſt inuentus amplius locus eorum in cęlo, hoc eſt, periit felicitas eorum, et ſubito euanuit. Et *Pſal*. 36. Non eſt inuentus locus eius. quaſi dicat, euanuit, et ſubito diſparuit vniuerſa illius felicitas. Obſeruare autem debet diligens lector Sanctarum Scripturarum, multiplicem vim Genitiui ex proprietate ſermonis Hebræi, in lectione diuinarum litterarum inueniri. Ex tam multiplici vi Genitiui, vnicum

cum tantum officium quod huic loco congruit, commemorabo. Nam Genitiuus aliquando ponitur pro Accuſatiuo cum præpoſitione Contra, vel Propter. vt 3. *Reg.* 15. *b.* Excepto ſermone Vrię, hoc eſt, excepto ſcelere admiſſo contra Vriam. Et *Luca* 2. *a.* Bonæ voluntatis, hoc eſt, propter bonam voluntatem, ſiue propter magnam miſericordiam. Sunt et alia huius generis teſtimonia, quæ in præſentia omittimus. Hoc ergo genere conſtructionis Hebraicæ: Iniquitas Iſrael, idem eſt quod ſcelus contra Iſrael admiſſum. *Quæretur* vel Quæratur, id eſt, puniatur et vindicetur, inquit, ſcelus hoſtiũ populi Dei, quod admiſerunt contra Iſrael; vindicetur vaſtitas populi Iſrael, vel peccatum contra Iſrael admiſſum a gentibus, et non ſit, ſcilicet hoſtis, id eſt, ita vt hoſtes eius qui afflixerunt eum, non inueniantur, hoc eſt, intereant, et ad nihilũ redigantur. Futura vero amborum locorum poſita ſunt pro temporibus Imperatiui, ex idiomate ſermonis Hebræi. Nam Scriptores Sacri, præſertim Prophetæ, ex proprietate linguę ſuæ, ſæpe vtuntur temporibus Indicatiui, pro temporibus Imperatiui; et e contrario; cuius rei alibi pleraque teſtimonia in medium producimus. *Et peccatum Iuda*) repetitio eſt eius quod præceſſerat, Quæretur iniquitas Iſrael. Et in eadem ſignificatione accipiendæ ſunt hæ voces, *Iniquitas*, & *Peccatum*: et eodem modo accipiendi ſunt Geni-

tiui

tiui *Iſrael*, & *Iuda*. Illud vero *Non inuenietur*, tam in Ieremia, quam in Regio Vate, referendum eſt non ad Peccatum, ſed ad ipſum peccatorem. Inquit ergo Dominus ad Ieremiam Prophetam; Quæretur Iniquitas Iſrael, ſiue Iſraelis, hoc eſt, vindicabitur vaſtitas et rapina admiſſa contra Iſrael, ſumetur vltio de vaſtitate contra Iſraelem, ſumetur inquam vltio ſcilicet de Rege Babylonis, qui vaſtauit Iſraelem. Et non erit, ſcilicet ipſe Rex Babylonis. Vel potius loquitur Sanctus Propheta Ieremias ad Dominum, petens ab eo vltionem, propter vaſtitatem inductam Iſraeli. Quæratur, inquit, iniquitas Iſraelis, id eſt, vindicetur vaſtitas, et rapina inducta a Rege Babylonis contra Iſraelem etc. Hucuſque locum Ieremiæ Prophetæ explanauimus, de loco Regii Vatis pauca dicturi, eo quod omnia fere quę dicta ſunt in explanatione loci Ieremiæ, accōmodanda ſunt loco Regii Vatis. Brachii appellatione intellige vires, potentiam, et (ſumpta ſpecie pro genere) omne genus felicitatis humanæ. Perde, inquit, deſtrue, et vaſta omnem peccatoris felicitatem, in qua confidit. *Peccatum*, vox eſt ſingularis pro plurali. *Quæretur peccatum illius*, hoc eſt, puniantur peccata hominum ſceleratorum, ita vt ipſi non compareant, non amplius fruantur hac luce; ſed intereant, et ad nihilum redigantur.

Et

Et fornicata es cum filiis Aegypti vicinis tuis magnarum carnium. Ezechi.16.c.

CAPVT LI.

PRAEPOSITIO *Cum*, ſimilitudinem ſignificat, quod aliquando reperitur in Diuinis Litteris, ex idiomate Hebræo. vt *Pſal.* 72.*a*. Cum hominibus non flagellabuntur. Sermo eſt de improbis hominibus, et ſceleratis, qui florere, & raro a Deo corripi videntur; et ipſa illorum correptio non grauis, ſed lenis eſt, cum iuſti ſi quando a lege Dei diſcedant, grauiter puniantur. In laboribus ergo *aliorum* hominum, non ſunt peccatores: aut non ſicut alii homines, a Deo flagellantur. Et *Pſal.* 105.*a*. Peccauimus cum Patribus noſtris, id eſt, peccauimus ſicut et patres noſtri peccauerunt. Eodem modo accipienda eſt præpoſitio *Cum*, hoc loco Ezechielis, Fornicata es cum filiis Aegypti, id eſt, ſicut filii Aegypti, coluiſti Idola ſicut Aegyptii. Nam Fornicari hoc loco, more Prophetico, pro Idola colere, poſitum eſt. Præterea Filii Aegypti, idioma Hebręum eſt, pro Aegyptiis. Sic dicunt Hebræi, Filios Aſſur, et Filios Aſſyrio-

riorum, pro Aſſyriis, et Filios Tyri, pro Tyriis. Taxat ergo Sãctus Propheta Ezechiel vrbem Ieruſalem, atq; adeo duas tribus de Idololatria, quod tam cæco impetu abirent poſt Idola, et illorum cultui adeo deditæ eſſent, vt æquarent Aegyptios, quorum inſignis haberetur Idololatria. Fuerunt enim Aegyptii præ aliis gentibus culturæ Idololorum nimium dediti, adeo vt inter gentes alias etiam Idola colentes inſani haberentur, et portenta pro Diis colere dicerentur. Vnde illud Satyrici, *Qualia demens Aegyptius portenta colat*. Colebant enim, cæpam, et allium. Sed quid eſt quod Propheta Aegyptios vocat magnarum carnium? Caro interdum pro libidine appellatur. Hinc Eſſe in carne, apud Apoſtolum eſt, Sequi carnis libidinem & concupiſcentiam; et Eſſe, vel Ambulare ſecundum carnem, eſt viuere iuxta carnis praua deſideria, et ſequi carnis concupiſcentiam. vt *ad Rom. 8. a*. Qui non ſecundum carnem ambulant. Et poſt pauca, Qui enim ſecundum carnem ſunt; quæ carnis ſunt, ſapiunt. Et, Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. In hac ſignificatione vox Carnis accipienda eſt hoc loco. Sicut vero dicunt Hebræi, ex idiomate linguæ ſuæ, Sanguines, et Salutes: ita hoc loco dictum eſt Carnes, pro libidine. Aegyptios itaq; vocat magnarum carniũ, id eſt, inſignis libidinis, atque adeo inſignes Idololatria, quæ more Prophetico, per libidinem, et

fornicatione ſignificatur. Sanctus ergo Propheta de libidine agens, ſub ea non obſcure cultum Idolorũ adumbrat. Eadem ratione ſunt explicanda verba illa eiuſdem Prophetę *cap*: 23. *c*. Quorũ carnes (loquitur Propheta de eiſdem Aegyptiis) ſunt vt carnes aſinorũ, et ſicut fluxus equorũ, fluxus eorum. Carnes, inquit, Aegyptiorum ſunt vt carnes aſinorum, id eſt, libido Aegyptiorum eſt ſicut libido aſinorum, et equorum. Hæc enim duo animalia, prę aliis, ad libidinem ſunt procliuia, et inter alia ſalaciſſima. Sicut fluxus, id eſt, curſus equorum; ſic fluxus, id eſt, curſus eorum. hoc eſt, ſicut equi præcipiti curſu feruntur ad libidinem, ita Aegyptii cæco impetu currunt ad fornicationem, id eſt, ad Idololatriam; atque his ſimiles ſunt filii Iſrael, proni etiam ad cultum Idolorum.

Et bibes illum, et potabis vſque ad faces, et fragmenta eius deuorabis, & vbera tua lacerabis. Eze. 23. e.

CAPVT LII.

SERMO eſt ad Ooliuam, quę eſt Ieruſalem; de calice Samariæ ſororis eius. Intelligẽtia horum verborum, dubiam diu traxit mentem meam. Quis enim ebrius vnquã, aut dementatus philtris, fragmenta vora-

uit

uit calicis quem bibit? Ideo in hanc ſententiam adductus ſum, vt exiſtimem non de fragmentis calicis verba Prophetica eſſe intelligenda (quamquam alii interpretes in hunc ſenſum locum tranſtulerint, vertentes, Teſtas eius comminues, vel confringes) ſed de fragmentis, vel fruſtulis panis, in quibus miſceri, et abſcondi ſolent venena ad mortem. Huius rei fuiſſe conſuetudinem apud veteres, aperte oſtendit illud *Ieremiæ cap.* 11. Mittamus lignum in panem eius. Duo enim ſupplicii genera latenter videtur proponere Propheta Ezechiel, quibus Oola punita ſit, et quibus ſit punienda Ooliua; alterum in potu, alterum in cibo; alterum eſt potatio calicis ebrietatem inducens, et mentis alienationem: alterum eſt cibus veneno infectus, mortem adducens. Conſueuerunt enim Sacri Vates per ebrietatem ſignificare quodlibet genus plagæ, calamitatis, et afflictionis maximæ; quod hæc ſoleat aliquando mentem immutare, et dementationem afferre, vti ſolet grauis calamitas. Alterum vero ſupplicii genus a Propheta inductum, eſt miniſtratio veneni occulti, quod deuoratum mortem inducat. De quo ait, *Fragmenta eius deuorabis*, id eſt, cogeris edere cibos in quibus venena mixta lateant. Itaque pronomen *Eius*, non refert nomen calicis; quaſi de fragmentis calicis fiat ſermo; ſed nomen ſororis Samariæ. Bibes, inquit, calicem quem bibit ſoror tua Samaria, id

eſt, ſuſtinebis plagas & ſupplitia quæ illa ſuſtinuit, & edes panis fruſtula, in quibus latent aconita permixta, quæ ſoror tua vorauit. Non itaque de fragmentis calicis eſt ſermo Prophetæ, ſed de fragmentis, vel fruſtulis (vel fortaſſe raſuris) arboris illius lethalis, quæ in cibo, vel potu apponebantur. Sed licet hæc ſententia alicui placere poſsit, et mihi aliquando placuit: poſtea in aliam incidi cogitationem. Mihi enim perſuadeo, fragmenta hoc loco vocari, quæ fæces calicis dictæ ſunt. Ponitur vero Calix, pro potione, per Metonymiam: quæ frequens eſt in Litteris Diuinis, et Profanis. Accipitur etiam Calix aliquando pro omni genere plagæ, et calamitatis. Potabis ergo calicem vſque ad fæces, in quibus præcipue latet venenum mortiferum: vel fragmenta, ſcilicet lethalis arboris, permixta cibo, quæ vorauit ſoror tua, vorabis.

In loco vbi dicetur eis, Non populus meus vos: dicetur eis, Filii Dei viuentis. Oſeæ 1. d.

CAPVT XLII.

PAVCA quædam verba, ſed ſuboſcura, quæ ſunt de vocatione gentium ad Euangelium, & Chriſti Eccleſiam. Singularum pæne vocum proprietates oportet indagare. *In* ponitur

tur pro *De*. Locus pro perſona,id eſt, pro gente & populo. Aliquando enim Scriptores Sacri (de qua re alibi vberius agimus) vtuntur Loco pro Perſona, aliquando Tempore pro Perſona,aliquando Tempore pro Loco, interdum etiam Loco pro Tempore. *In loco* ergo dictum eſt pro *De populo*. Vbi, aduerbium loci In quo, ponitur pro altera ſpecie loci, nempe A quo, id eſt, pro Vnde. Et quia refert nomen Loci,qui ponitur pro Perſona: *Vbi*, exponendum eſt, id eſt, de quo populo gentium. Conſtructio Hebræa eſt, Dicetur, vel dicebatur eis, pro dicebatur de eis. *Dicetur*, futurum eſt pro præterito imperfecto,ex Hebraiſmo: vt *Iſa* 38.*c*. Recogitabo(pro recogitabam)omnes annos meos. Superabundat ex Hebraiſmo pronomen relatiuum *eũ* bis poſitum. vt *Pſal.* 73.*a*. In quo habitaſti in eo, pro In quo habitaſti. Et *Pſal.* 44. *b*.Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus,pro omnis gloria filiæ Regis. Et *Matth*.3.*c*. Et *Lucæ* 3.*d*. Cuius ventilabrum in manu eius, pro In cuius manu ventilabrum. Et *Lucæ* 3. *d*.Cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum eius. Inquit ergo Sanctus Propheta Oſeas. De loco, vel de populo vbi (id eſt, de quo, vel cui dicebatur, ſcilicet a Domino in Prophetis, Non eſtis populus meus: dicetur, id eſt dici poterit, Vos eſtis filii Dei viuentis) Pronomen *Eũ*, refert nomen Loci,quod quia pro populo capitur,eſt no-

men collectiuum. Hebraiſmus eſt, *Filii Dei*, pro Cultoribus Dei. Deum viuentem appellabant Sancti Prophetæ Deum verum, ad diſcrimen Deorum falſorum, qui erant Dii mortui, atque nomen mortuorum tribuitur illis in Litteris Sacris. De populo gētium, inquit, Oſeas, de quo dicebatur a Deo, Non eſtis vos populus meus: dici poterit; quod ſint filii Dei. Apertum eſt teſtimoniū de vocatione gētium. Nam populus gentium, qui Idola colebat, et dęmoniis diuinos impendebat honores: temporibus Euangelii, deſerto Idolorum cultu, Deum viuentem erat veneraturus. Poteſt eſſe Hebraiſmus, Ablatiuus cum præpoſitione In, pro caſu Nominandi, vt exponas, In loco, vel de gēte, de qua dicebatur, Non plebs mea vos, ipſi vocabuntur filii Dei. Pro eo quod eſt, Locus de quo dicebatur, id eſt, gentes de quibus dici poterat a Deo, Non eſtis vos populus meus; dicetur, vel dici poterit de eis; quod ſint filii Dei, id eſt, eædem gentes erunt populus Dei.

Ideo fornicabuntur filiæ veſtræ, & ſponſæ veſtræ adulteræ erunt. Non viſitabo ſuper filias veſtras, cum fuerint fornicatæ: & ſuper ſponſas veſtras, cum adulterauerint. Oſeæ 4. c.

CAP.

CAPVT LIIII.

LOCVS eſt, mea ſententia, perobſcurus. Ego vero cum ſedula indagatione eius germanam intelligentiam perquirerem: in hanc ſuſpicionem ductus ſum, vt exiſtimem, ex idiomate ſermonis Hebræi, fieri abuſum Perſonarum, et ſecundam perſonam pro tertia eſſe poſitam, ita vt Filiæ veſtræ, et ſponſę veſtræ, dictum ſit, pro Filiæ eorum, et ſponſæ eorum. Eſt enim multiplex abuſus loquendi in lingua Hebræa (vt alibi obſeruamus) eoque Scriptores Sacri non ægre vtuntur, quaſi patria lingua ſcribentes. Cum vero Propheta Filias, et Sponſas eorum dicit, de Idolis intelligendum eſt, de quorum cultura execrabili ſermonem texit. Sicut vero Filii Dei, aliquando in Arcanis Litteris, Hebræa proprietate loquendi, idem eſt quod Cultores Dei; ita hoc loco Filiæ Idolorum, vocantur feminæ quæ Idola colerent, illiſque impenderent diuinos honores. Præterea quia Sacri Vates cultum Idolorum conſueuerunt appellare fornicationē, et adulterium; iidem cultores Idolorum, fornicarii, vel adulteri eorum vocantur, quaſi cum Idolis adulterantes. Sicut vero Peccare aliquando eſt punire, et dare pœnas peccati (vt Peccatum aliquando vſurpatur pro plaga, et vltione) ita priori loco Fornicari, eſt dare pœnas fornicationis ſuæ, et Adulterari,

dare pœnas adulterii, ita vt ſicut genus vſurpatur, et ſpecies eius vſurpentur. Eſt itaque ſenſus: Cultores Idolorum dabunt pœnas ſceleris ſui, nec impune ferent. Quod ſequitur, *Non viſitabo ſuper filias veſtras &c.* Per interrogationem legendum eſt, mea ſententia, quod filum orationis expoſcere videtur. Cum vero lingua Hebræa careat ſigno interrogationis in ſcribendo: nihil quod ad hanc rem pertineat, ex textu Hebræo elici poteſt. Numquid, ait Dominus, non viſitabo ſuper filias veſtras, cum fuerint fornicatę? et ſuper ſponſas veſtras, cum adulterauerint? id eſt, numquid non puniam Idololatriæ ſcelus, quo ſe contaminauerunt filiæ veſtræ, & vxores? Numquid impune ferent? Poteſt & Modus pro Modo, & Tempus pro Tempore accipi, ex idiomate linguæ Hebraicæ: vt ſit ſenſus, Non viſitarem (Hiſpane, *No hauia de viſitar, o caſtigar*) ſuper filias veſtras &c. Itaque ſecundo loco Fornicari, et Adulterare, in ſua communi ſignificatione qua a Prophetis accipi ſolent, accipienda ſunt; ſcilicet, pro Idola colere. Poſſunt et hac ratione hæc verba explanari, Vt Futura pro Præſentibus accipiantur, more Hebręorum; vt quidam hoc loco verterunt, et coniunctio rationalis *Ideo* pro aduerbio loci poſita ſit; quod nonnumquam fit in Sacris, quāuis locus non ſuccurrat; vel potius *Ideo* ponitur pro *Et*; quod etiam aliquādo reperitur in Scripturis Sanctis,

ex idiomate ſermonis Hebræi. Rurſumque *Et* pro *Denique* poſita ſit; vt ſit ſenſus. Ibi (nempe ſub arboribus) cultores Idolorum offerunt eis ſua ſacrificia, vel denique filiæ veſtræ, et ſponſæ veſtræ fornicantur cum Idolis, id eſt, Idola colunt.

Separatum eſt conuiuium eorum, fornicatione fornicati ſunt, dilexerunt afferre ignominiam protectores eius. Ligauit eum ſpiritus in alis ſuis, et confundentur a ſacrificiis ſuis. Oſea 4. d.

CAPVT LV.

S*Eparatum eſt conuiuium eorum*) Pro Vino, vt eſt in Hebræo, recte vulgatus interpres reddidit *Conuiuium*. Sic enim aliquando vox vini vſurpatur, quod in conuiuio res præcipua habeatur vinum. Sic *Eccleſiaſt.* 2. *a.* Cogitaui in corde meo abſtrahere carnem meam a vino. Quod alii vertunt, vt traherem in vinum (id eſt, in conuiuium, atq adeo in omne deliciarũ genus) carnem meã, hoc eſt cogitaui oblectari in deliciis carnis, ſiue voluptatibus corporeis. Vox autẽ cõuiuii in ſingulari poni

tur pro plurali. Prudenti etiam conſilio idem Vulgatus interpres vertit *Separatũ eſt*, quod noui interpretes obſcure vertunt, Fœtuit, vel putridum eſt. Separatum vero idem eſt quod immundum, pollutum, et profanum: quia quæ ſecundum legem polluta erant, ſeparabãtur ab vſu, vel a conſortio hominum, donec mundarentur. Profana vero conuiuia, et immunda vocat Propheta Oſeas, veſci iis quæ Idolis erant oblata, et Idolothyta vocabãtur; de quibus *Pſal.* 105.*d.* dictum eſt, Comederunt ſacrificia mortuorum, hoc eſt, oblata diis mortuis. Et *Deutero.* 32.*e.* Vbi ſunt dii eorum, de quorum victimis comedebant adipes, et bibebant vinum libaminum? Sic intelligendum arbitror illud *Amos* 2.*c.* Vinum damnatorum, id eſt, vinum oblatum Idolis, ſiue Diis mortuis. Nam Damnatos dixit Propheta pro mortuis. Cum ergo conuiuia Iſraelis, vel Iuda (nam de vtroque hæc verba intelligi poſſunt) nominat polluta; manifeſte taxat eos de Idololatria. Nam Idolorum cultores, cum illis ſollemne ſacrificium immolarent; oblatis hoſtiis (quas ſacras epulas vocabant) veſcebantur. Et ſicut veri Iſraelitæ ſacra conuiuia celebrabant, cum ſollemnes Deo, pro inſignioribus beneficiis gratias agerent: ita Idolorum cultores Idolis gratias agentes, pro omnibus bonis, quæ ſe ab eis recipere dicebant, conuiuia agebant. De huiuſmodi itaq. conuiuiis inquit Oſeas, Pro-

fana ſunt cõuiuia corum. *Fornicatione fornicati ſunt*) Explicat Propheta ſe loqui de Idolorum cultu. Nam Fornicari in Prophetis frequẽter vſurpatur pro Idola colere, et Fornicatio pro Idolorũ cultura. Fornicatione ergo fornicari, eſt vehementer Idolorum culturæ eſse deditum. *Dilexerunt afferre ignominiam etc.*) Varie vertuntur hæc verba ab interpretibus. Pro eo quod habet vulgata editio *Protectores*, alii vertunt Principes. Principum vero nomine, exiſtimo Sacerdotes Idolorum intelligendos. Nam et aliquando Sacerdotes vocantur Principes, et Sacerdos interdum ſonat idem quod Princeps. Sic *Gene*. 41. *f*. Dicitur Ioſeph duxiſse vxorem filiam Sacerdotis Heliopoleos. *Diligere* vero pro Colere poſitum eſt. Quod et aliis locis reperitur. *Ignominia* pro Idolis ponitur, quæ Sordium, et Abominationis nominibus appellantur. Diligunt, ſiue colunt, inquit Propheta, ignominiam; id eſt, Deos abominandos, et Sacerdotes eius (nempe ignominiæ) vel Sacerdotes ipſorum Idolorum, vel potius Sacerdotes eius, id eſt populi, dicunt ad plebem, Afferte, vel offerte, ſcilicet ignominiæ, aut diis veſtris munera et ſacrificia. Hæc eſt horum verborum ſeries. Protectores, vel Principes eius, *nempe Iſraelis*, dilexerunt, vel diligunt ignominiam, ſiue Idola, et diligunt afferre, vel offerre *munera illis*. *Afferre* ponitur pro Offerre, vt *Pſal.* 28. *a*. Infinitus *Afferre* po-

nitur pro præſenti Indicatiui, quod non eſt alienum ab vſu Sacrorum Scriptorum, ſicut nec ab vſu auctorum profanorum. Taxat ergo Sanctus Propheta Idololatriam Principum populi, qui vt plebeiorum Idololatriã augerent; ſe illis in exemplum præbentes, Idola diligebant, et colebant, atque illis ſacrificia, et munera offerebant. Poſſunt et hac ratione hæc verba explicari. Nam Pagninus vertit, Dilexerunt *munera*. Principes vero dicuntur diligere munera, cum accipiunt perſonam ob munera, et cauſas, ſiue iudicia peruertunt. Principes, inquit, Iudices, et Magiſtratus populi, inique ſuas partes agunt; nam muneribus corrupti, a recto tramite deuiant in iudiciis, inſuper Idolis ſacrificia offerunt. Et quidem, vt modo dicebamus, ſicut aliquando Sacerdos ſonat idem quod Princeps, ita e contrario mea ſententia, hoc loco Principes pro Sacerdotibus appellantur, vt ſit ſenſus. Sacerdotes quos ad miniſtrandum Idolis, populus meus conſtituit; dicunt populo, Afferte ignominiæ, hoc eſt, Offerte Diis *munera & ſacrificia*. Obſerua inuerſionem verborum, et genus locutionis, pro eo quod eſt, Dilexerunt ignominiam, *& dicunt* Principes eius Afferte. *Ligauit eum ſpiritus in aliſuis)* Quidam ita interpretantur. Quia cædem Idololatrarum Propheta ſacrificium appellarat, nunc vtitur verbo Ligandi, quia hoſtia ligabatur vt mactaretur, quaſi dicat, dabit Dominus populum

lum ſuum in ſacrificium,id eſt,in cædem;et vaſtabit eum in alis ſuis id eſt, propter alas, propter manus et opera eius praua.Sicut vero vinculorum nomine,genus omne vindictæ, calamitatis, et plagæ, ſignificari ſolet apud Scriptores Sacros; ita et *Ligare* hoc loco pro malis afficere, affligere, in vincula, id eſt in mala coniicere;pro vltionem ſumere, perdere, et vaſtare, poſitum eſt. *Spiritus* autem pro vento vſurpatur, vt omnes interpretes vertunt; ſignificatque omne genus plagæ, et calamitatis. Ego vero in eam adducor ſententiam, vt exiſtimem ſpiritum hoc loco pro Deo vſurpari. Sic enim aliquando ea vox accipitur in Scripturis Sanctis, vt dicturi ſumus inferius capite 76. *Ligauit*, præteritum eſt pro futuro; eum, ſcilicet Iſraelem. Alæ vero, quæ in volucribus locum habent brachiorum, pro brachiis, ſiue manibus appellantur; et ſicut Brachia et Manus pro operibus accipiuntur; ita Alę hoc loco. In alis ergo ſuis, id eſt, propter opera ſua, propter ſcelera ſua, ob Idolorum cultum. Ligabit ergo Iſraelem Dominus, hoc eſt, puniet et affliget eum ob Idolorum culturam. *Et confundentur a ſacrificiis ſuis) Et*, pro *Nam* accipi poteſt. Eadem res aliis verbis ſignificatur. Nam Confuſionem ſolent appellare ſacri Vates genus omne ſupplicii, pœnæ, et calamitatis. *A*, pro *Propter* ponitur, ſicut *In* accepta eſt. Punientur, inquit, propter ſacrificia quæ Idolis immolarunt, dabunt pœnas Idololatriæ ſuæ.

Noli

Noli lætari Iſrael, noli exultare ſicut populi: quia fornicatus es a Deo tuo, dilexiſti mercedem ſuper omnes areas tritici. Oſeæ 9.a.

CAPVT LVI.

Sicut populi) Inuerſio verborum eſt, et oratio conciſa. Aliquid enim ſubaudiendum eſt, hoc modo. Noli lætari Iſrael, noli exultare: vel non lætaberis, non tibi proſpere eueniet, quia fornicatus es a Deo tuo, et Idola colis ſicut populi, *nec tamen adhuc pœnas dediſti.* *Lætari*, & *Exultare*, pro feliciter agere accipiuntur, & verbum Nolendi, pro aduerbio Non. Non feliciter ages, o Iſrael, inquit Propheta, non tibi proſpere cedet (vt tu exiſtimas) quod receſſeris a Deo, ſiue a cultu veri Dei, & Idola colas vt gentes aliæ. *A Deo tuo*, id eſt, contra Deum tuum; ſiue coluiſti Idola ſicut gentes. *A*, pro *Coram* capi videtur; et rurſum *Coram*, pro *Contra*. Vtrumque aliquando reperitur in Sacris. *Diligere*, ſcilicet Idola, pro fornicari cum illis; quod eſt, ea colere. Amas, inquit, Idola, & illis diuinos honores impendis, propter mercedem, *nempe* propter omnes areas tritici.

Mer-

Mercedem vocat Propheta omne genus bonorum. Quia populus Iſrael, cum Idola coleret, quęcumque bona illi contingebant; a Diis quos coleret, prouenire dicebat: quia illis honores diuinos deferebat. De qua re ſermo cultorum Idolorum, eſt apud ipſum Oſeam *cap*. 2. Mercedes meæ ſunt, quas amatores mei mihi dederunt. Fornicatus es a Deo, ſiue Idola coluiſti contra Deum, vt gentes, idque propter mercedem quam ab ipſis Idolis ſtultus et inſipiens expectas; nempe plenas areas tritici, ſiue frugum copiam, et omnium fructuum vbertatem (nam ſpecies ponitur pro genere, Triticum pro omni genere fructuum) quam ab illis prouenire demens opinaris, ipſaque Idola omnium rerum copiam ſuis cultoribus impertiri, quaſi mercedem pro cultu quem illis exhibent. Sed non tibi cedet, vt tu exiſtimas. Nam area, et torcular non paſcet vos; id eſt, non tibi eueniet copia frugum, et vini, aliarumq. rerum quarum tu expectas prouentum. Sic Dñs *Oſeæ* 2. ad ipſos Idolorum cultores loquitur, Sumam, inquit, frumentum meũ etc. Tẽpora Imperatiui huius loci, pro Futuris Indicatiui commode accipi poſſunt, more Hebræo. Non lætaberis, inquit, Iſrael, non exultabis ſuper mercedem, ſuper omnes areas tritici, quia fornicatus es a Deo tuo etc. Contingit vero aliquando in Scripturis Sanctis, ex proprietate Hebraicæ linguæ, vt vox aliqua ſubaudiatur

tur, quæ non præceſsit, ſed poſtmodum ſequitur. vt *Iſa.26.c. Ideo* ſalutes non fecimus, ideo non ceciderunt habitatores terræ. Sic hoc loco Præpoſitio *Super*, ſubintelligenda eſt prius quam exprimatur, hoc modo. Dilexiſti, ſcilicet Idola, *ſuper* mercedem, *&, pro, id eſt, ſuper* omnes areas tritici. Vbi *Super* pro *Propter*, vel pro *De*, ponitur. Non lætaberis, inquit, de mercede, ſiue non potieris mercede deſiderata. *Fornicatus es a Deo tuo*) hoc eſt, relicto cultu veri Dei, coluiſti Deos falſos, ſicut gentes barbaræ, & *Idola* dilexiſti, ſiue coluiſti. Sed non potieris mercede, ſcilicet fornicationis tuę; nempe omnibus areis tritici, ſiue ampliſsimis fructibus terræ. Coluiſti Idola, fornicatus es cum Diis falſis, ſperans ab eis mercedes fornicationis tuæ, copioſum frugum prouentum: ſed non potieris huiuſmodi mercede, non eueniet tibi quod tuo ſcelere intendebas. Ideo ſequitur, Area et torcular non paſcet eos. Lætus es, quia relicto cultu veri Dei, Idola colis, ſicut alię gentes; nullo remorante freno, nam flagellum diuinæ vltionis adhuc non venit ſuper te: ſed non impune feres, moramq. vindictæ ſuæ, Deus ſupplicii grauitate compenſabit. *Dilexiſti mercedem ſuper omnes areas tritici.*) *Diligere* poſitum videtur pro Colere, atque adeo Immolare, et Offerre ſacrificia. Subaudire autem oportet appoſitum iuxta exigentiam loci, quod congruat verbo, et argumēto propoſito. Dilexiſti, ſiue Coluiſti

luiſti ſcilicet Idola. Fit ergo tranſpoſitio præpoſitionis, pro eo quod eſt, Dilexiſti, vel colis *Idola* propter mercedem, id eſt, propter omnes areas tritici. Eſtque inuerſa ſeries orationis. vt diximus initio capitis, pro eo quod eſt, Noli lætari Iſrael, noli exultare (id eſt, non lætaberis, vel non proſpere habebis) quia fornicatus es a Deo tuo, *&* *Idola* dilexiſti, ſicut populi, vel ſicut gentes, ſuper mercedem etc. Pro *ſuper* quidam noui interpretes vertunt *Pluſquam*. Sed id non recte, ponitur enim hoc loco *Super* pro *Propter*. Et quia vox *Omnis* ſæpe in litteris ſacris, ex proprietate linguæ Hebraicæ, ſignificat quod magnum et inſigne eſt in genere ſuo: Omnes areas dixit Propheta pro Areis pleniſsimis, id eſt, pro Magna frugum, atque adeo omnigenorum fructuum copia. Poteſt et hic locus hunc habere ſenſum. Dilexiſti Idola, id eſt, coluiſti ea, offerens illis ſacrificia *tamquam* mercedem, vel tamquam ſeruitutem debitam eis. Nam cultores Idolorum, cum dicerent fruges, vinum, et omnia bona, ab Idolis ſuis prouenire: dicebant etiam debere ſe ſacrificia offerre illis, pro acceptis beneficiis. Ait ergo Sanctus Propheta; Offers Idolis ſacrificia tamquam mercedem, et debitam ſeruitutem, propter omnes, vel copioſas areas tritici. Dicis enim te ab Idolis magnum frugum prouentum accipere.

Non libabunt Domino vinum, & non placebunt ei: ſacrificia eorum quaſi panis lugentium. Omnes qui comedent eum, contaminabuntur: quia panis eorum animæ ipſorum, non intrabit in domum Domini. Oſeæ 9.a.

CAPVT LVII.

NOn libabunt Domino vinum, et non placebunt ei) Idiomate Hebręo duæ negationes duobus verbis appoſitæ, in vnam reſoluuntur alteri verbo apponendam. Nam *Non libabunt &c.* dictum eſt, pro Quando libabunt Domino vinum, non placebunt ei. Species ponitur pro genere, Libatio vini pro quolibet genere ſacrificii. quaſi diceret, Sacrificia eorum non erunt Deo grata. Niſi malis ita exponere hæc verba, vt Futurum *Libabunt*, poſitum ſit pro Præterito, more Hebræo; & coniunctio copulatiua *Et*, pro cauſali *Ideo*. Non obtulerunt ſacrificia Domino, inquit, ſed Diis alienis, ideo non placent ei. *Sacrificia eorum quaſi panis lugẽtium*) varie hic locus exponitur. Quidam per panem lugentium, panem mortuorum intelligunt, id eſt, cibos oblatos Diis mortuis.

Digitized by Google

tuis. Ac ſi dicat Propheta, Sacrificia eorum mihi ingratiſsima erunt, quemadmodum deteſtor ſacrificia quæ offeruntur Diis mortuis: vel quemadmodum deteſtabile eſt veſci pane mortuorum, hoc eſt cibis oblatis Idolis. Lugentes ergo quidam pro Mortuis accipiunt, ita vt appellatione mortuorum Idola ſignificentur: et Panem pro Sacrificiis et oblationibus (vt ſit ſpecies pro genere) accipi exiſtimant, vt Panis lugentium ſit, Sacrificia Idolis oblata, quæ Deus verus haberet exoſa. Mihi vero non placet hæc ſententia. Exiſtimo enim, quod Panis, more Hebræo, pro cibo, atque adeo pro victu vſurpetur. Sacrificia ergo eorum quaſi panis lugentium, id eſt, ſicut victus pauperibus vi ablatus, exoſus eſt Deo; Sic et iſtorum ſacrificia Deo ingrata ſunt. Panis ergo pro bonis, et facultatibus ad victum appellatur. Lugentes dixit Propheta, pro pauperibus. *Omnes qui comedent eum, contaminabuntur.*) Id eſt, quem qui deuorant, grauiter peccant. Qui deuorant, inquit, et abſtulerint ſubſtãtiam pauperis ad victum eius neceſſariam, graui peccato contaminantur. Contaminari ergo, pro macula peccati ſordidari, quod eſt peccare, poſitum eſt. Poteſt etiam accipi Contaminari, pro vaſtari, puniri, et dare pœnas. Sic enim aliquando vſurpantur hæc verba, Contaminare, Polluere, et Profanare, ex idiomate Hebraico. Omnes, inquit, qui deuorãt ſubſtantiam pauperum, et diripiunt

eis victui neceſſaria: dabunt pœnas, punientur a Deo, non impune ferent. Fitque Inuerſio particulæ Quia, vt ego exiſtimo, et repetenda eſt particula ſimilitudinis *Quaſi*, et aliquid aliud ſubintelligēdum, hoc modo. Non libabunt Domino vinum, & non placebunt ei: quia ſacrificia eorum *erunt Domino* quaſi panis lugētium; omnes qui comedent eum, contaminabuntur: *quaſi*, panis, inquam, eorum (ſcilicet lugentium, ſiue pauperum) *qui neceſſarius eſt* animæ, id eſt, victui ipſorum, *qui* non intrabit (id eſt, non debet intrare) in domum Domini, hoc eſt, non debet offerri in templo. Cum vero ſecundo ponitur vox Panis, pro oblatione accipitur, ſicut priori loco pro victu, ſiue pro bonis, aut facultatibus neceſſariis ad victum. Contingit enim aliquando in Arcanis Litteris, vt eadem vox in eodem contextu orationis repetita, diuerſimode vſurpetur. *Eorum*) nempe filiorum Iſrael. Inquit ergo Propheta. Panis, ſiue victus *neceſſarius* vitæ ipſorum, ſcilicet pauperum, non debet illis vi auferri, nec etiam debet offerri in templo Domini. Arbitror vero Animam hoc loco pro victu appellari. Quia enim frequenter Anima pro vita accipitur, et Vita aliquando pro victu: hinc factum eſt vt Anima aliquando pro victu. Quod oſtendit illud *Matthæi cap.* 6. *d.* Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, id eſt, de victu veſtro, ſiue de victu vobis neceſſario. Panis, inquit, eorum (id eſt, oblatio

corum)

eorum) animæ ipſorum (id eſt, quæ quidem oblatio ad victum ipſorum eſt ſcilicet neceſſaria)non intrabit(hoc eſt, non debet intrare. habet hanc vim aliquando Futurum apud Hebræos)in templum, ſiue non debet offerri Deo. Si non vult Deus vt ſibi offeratur, quod ad victū neceſſarium pauperum pertinet: quanta erit iniquitas hominum, qui hoc ipſum alimentum vi, aut fraude abſtulerint pauperi? & ſi quis violenter auferat pauperi, quod ad victum habet neceſſarium, vt deuoret, et in ſuas conſumat vtilitates. Panis, inquit, eorum (pro, eis, id eſt, vi vel fraude ablatus lugentibus, ſiue pauperibus.) Tollere ergo a paupere minimū illud quod habet ad victū neceſſariū, graue peccatū iudicatur in lege Dei. *Eccle.* 34.*c.* Qui offert Sacrificium ex ſubſtantia pauperum, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui. Cum ergo Oſeas Propheta ſacrificia Iudæorum, ob ſcelera ſua, minime Deo grata eſſe dicere vellet: ait illa perinde eſſe coram Deo, ac ſit rapina pauperum, vel ſacrificium ex rapina pauperis oblatum. Comedere, vel deuorare panem pauperum, dictum eſt, pro illis eripere neceſſaria ad victum. quaſi dicat, Sacrificia iſtorū ſunt Deo exoſa, ſicut ſi quis egeno victum ſurripiat. Adeoq. vult Deus victum manere integrum pauperi: vt nolit ſibi offerri ſacrificia de neceſſariis ad victum eius. Panis, inquit, Propheta, pauperum, *qui eſt neceſſarius* victui eorum, hoc

eſt, ſacrificium oblatum de ſubſtantia pauperum, quæ illis ad victum eſt neceſſaria: non debet intrare in templum Domini, ſiue non debet offerri Deo.

Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem: & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ: ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, & iuuenes veſtri viſiones videbunt. Sed & ſuper ſeruos meos, & ancillas in diebus illis effundam ſpiritum meum. Ioe. 2. f.

CAPVT LVIII.

HVNC locum de effuſione Spiritus ſancti in die Pentecoſtes ſuper ſanctos Apoſtolos, et reliquos fideles, intelligendum eſſe; oſtendit D. Petrus Apoſtolorum Princeps, apud Lucam Actorum Apoſtolicorum cap. 2. *Super omnem carnem)* Caro, pro homine ponitur, ex idiomate Hebræo, ſicut et in aliis locis Sanctarum Scripturarum. Vox vero *Omnis* apud Scriptores Sacros, ex proprietate linguæ ſuæ, dicitur de re quæ in genere ſuo inſignis, & magna eſt. Omnem carnem itaque dixit ſanctus Propheta Ioel; pro carne Chriſtia-

na: id eſt, pro hominibus Chriſtianis, ſuper quos venit Spiritus ſanctus. Quia non ſolum venit ſuper ſanctos Apoſtolos, ſed etiam ſuper alios fideles (qui omnes erant numero centum viginti, *Act.* 1. *c.*) licet diuerſo gradu. Poſſunt hæc verba aliter exponi; vt caro accipiatur (ſicut aliis in locis) pro gente, et natione, per duplicem ſynecdochem. vt *Pſal.* 64. Ad te omnis caro veniet; hoc eſt, Omnes gentes, relicta Idolorum cultura, ad cultum tuum, qui verus Deus es, conuertentur. Et illuſtris Vates Iſaias *cap.* 40. *b.* cum de hac ipſa vocatione Gentium figurate loqueretur, ait: Omnis caro fænum. quaſi diceret; Omnes gentes temporibus Meſsiæ vaſtabuntur, et quaſi ad nihilum redigentur. Significans (vt modo diximus) gentium conuerſionem per illarum cædem et internecionem. Itaque Super omnem carnem, id eſt, ſuper omnes gentes. Nam omnes gentes venient ad Chriſti Eccleſiam, et potientur gratia, et donis Spiritus ſancti, temporibus Meſsiæ. Propheta nominat filios et filias, ſenes et iuuenes, ſeruos et ancillas; vt oſtendat, vocari ad Euangelium et viros et feminas, liberos et ſeruos, omnium ætatum, et vtriuſque condicionis homines et feminas, et omnium gentium etiam Barbararũ quod Apoſtolus Paulus exponit *ad Gala.* 3. *d.* et *ad Coloſ.* 3. *b.* Ideo ſanctus Propheta Ioel inquit; Super ſeruos et ancillas. quia de Gentibus fit mentio. nec

legitur Hebraice Meos,aut Meas.Quia vero cum filios nominat et filias,ſenes et iuuenes,addit pronomen *Veſtrum*,ad gentes fieri ſermo videtur Dñi. Ergo ad gentes loquitur,licet tunc a vera religione,et cultu veri Dei multum alienas; polliceturq. aliquando (nempe temporibus Meſsiæ) ſe poſteros illarum ad veram religionem adducturum. *Somnia ſomniabunt,et iuuenes veſtri viſiones videbunt*) Somniare, et videre, hoc loco ponuntur pro Prophetare; propterea quod Sanctis Prophetis ſæpe Deus per ſomnium loquebatur, illiq. in ſomnis diuinas reuelationes excipiebant: ſæpe etiam per ſpectra,et rerũ ſimilitudines. Vtrumq. ait Dominus, *Nume.*12.*b.* Si quis fuerit,*pro,eſt*,inter vos Propheta Dñi,in viſione apparebo,id eſt,*ſoleo apparere*,ei;vel per ſomnium loquar,id eſt, *loqui ſoleo*,ad illum. Hinc ſomniare mendacium.*Iere.*23.*f.* pro vana, ſiue falſa vaticinari. Et paulo ante eodem capite, in perſona Pſeudoprophetarum, ait Ieremias: Somniaui, ſomniaui. hoc eſt,habeo Prophetiam a Domino;excepi per ſomnium diuinam reuelationem. Et paulo poſt, Propheta qui habet ſomnium, id eſt, *Prophetiam & reuelationem a Deo*, narret ſomnium. Sanctus ergo Propheta Ioel, cum dixiſſet, Prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ: adiecit per repetitionem, Senes veſtri ſomnia ſomniabunt. Idem etiam eſt, videre viſiones; quod Prophetare. Nam quia ſanctis Pro-

phe-

phetis Teſtamenti veteris, Deus ſæpe per viſum, per ſpectra, et rerum ſimulacra, futura reuelabat (ſicut ait Dominus *Nume*. 12. *b*.) factum eſt, vt *Videns* ſonet idem, quod Propheta, et *Viſio* pro Prophetia accipiatur; et *Videre* pro Prophetare. Hinc intelliges, quare olim Propheta vocaretur Videns, vt legimus 1. *Reg*.9.*b*. nimirum, quia Propheta videbat rerum ſimilitudines, et ſimulacra, per quæ diuinam reuelationem excipiebat; ipſasq. rerum ſimilitudines videbat; id eſt, intelligebat. Sicut ergo hoc loco Prophetare, eſt diuinas laudes celebrare: ſic etiam ſomniare, vel ſomniare ſomnia; videre, vel videre viſiones. Itaque Prophetare aliquando, eſt laudes Deo canere; opera Dei laudibus extollere; arcana diuina prædicare. vt *Act*. 19. *b*. Venit Spiritus ſanctus ſuper eos, et loquebantur linguis, et prophetabant. Et *Act*. 21. *b*. Dicuntur fuiſſe Philippo Euangeliſtæ quatuor filiæ virgines Prophetantes; id eſt, diuinas laudes celebrantes; vt nunc Moniales. Tunc enim harum condicio cœpiſſe videtur. Aliquando vero Prophetare, eſt ſacra vaticinia ſanctorum Prophetarum interpretari, et oſtendere illa eſſe cõpleta. Hinc aliquando Propheta apud D. Paulũ idem eſt, quod interpres ſacræ ſcripturæ. Vtroque modo poteſt accipi Prophetare hoc Ioelis loco; quamquã ſæpe ad priorem ſignificationẽ tantum referendũ ſit. Filios dixit S. Ioel,

pro poſteris, idiomate linguæ ſuæ. Effundam, inquit Pater cæleſtis, ſpiritum meum, id eſt, Spiritum ſanctum, qui a me Patre, et a Filio procedit, ſuper omnem carnem. Cum ait ſanctus Propheta, Et prophetabunt filii veſtri; apte *Et* pro tunc accipi poteſt, ex proprietate linguæ Hebraicæ. Et quia *videre, & ſomniare*, aliquando ponuntur pro Prophetare; et Prophetare aliquando eſt diuinas laudes celebrare; Videre quoque et ſomniare, hoc loco eſt, decantare immenſam Dei bonitatem, et clementiam erga genus humanum; prædicare illius potentiam, et ſtupenda opera. Eſt autem phraſi Hebræa, non ſine emphaſi dictum, Videre viſiones pro Videre tantum; et Somniare ſomnia, pro ſomniare tantum; pro eo quod eſt, Prophetare mirifice, multifarie, variis linguis, et ſententiis ſelectiſsimis. Eſt ergo eiuſdem rei repetitio per emphaſim, mutatis verbis. Nam nihil aliud eſt, videre viſiones, et ſomniare ſomnia; quam Prophetare. *Super ſeruos, & ancillas &c.*) ſignificatur his verbis, vt modo dicebamus, cuiuſcumque condicionis homines ad Euangelium vocandos, nec quemquam repellendum ob ſeruilem condicionem; ſicut ex Apoſtolo adduximus. *Videbunt viſiones &c.*) Hoc eſt, intelligent vaticinia Prophetarum; quia tunc multa implebuntur prædicta a Prophetis. Temporibus, inquit, Meſsiæ; qui legem eius ſuſceperint, intelligent multa vaticinia Pro-

phetarum ad ea tempora pertinentia. Tunc multa arcana Prophetarum patebunt, vt quæ ſunt de vocatione gentium; et quod Meſsias promiſsus, futurus eſset verus Deus, in humilitate victurus; et ſponte ſua ſe ipſum morti eſset traditurus. Tunc intelligent multa ſomnia, id eſt, multas Prophetias (quæ appellantur ſomnia, quia aliquando in ſomniis excipiebantur) ſanctorum Prophetarum, quas ſomniarunt, id eſt, vaticinati ſunt.

Et dabo prodigia in cælo, & in terra, ſanguinem, & ignem, et vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem: antequam veniat dies Domini magnus, et horribilis. Et erit: omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.
Ioel. ibidem, 2.

CAPVT LIX.

ET *dabo prodigia &c.*) *Et*, pro tunc (nimirũ temporibus Meſsiæ) dabo prodigia &c. Cæli appellatione, intellige Reges, et Principes gentium; ſicut *Terræ* nomine, diuerſę orbis gẽtes ſignificantur. Prodigia enim fuerunt, et erunt, mirabilis illa conuerſio Regum terræ, et gen-

et gentium, a cultura Idolorum ad fidem Chriſti Ieſu. Edam, inquit, prodigia, oſtendam mirabilia. *Sanguinem & ignem &c.* Verba ſubintelligenda videntur, hoc modo; *effundam* ſanguinem, *& mittam* ignem. *Sanguis*, pro cæde, et internecione vſurpatur. *Ignis*, pro omni genere vaſtationis. Inquit ergo Dominus, Mittam in cælum et terram, hoc eſt, contra Reges, et regna gentium; contra Principes, et gentes ipſas; plagas, et grauem vltionem. Obſcura quidem verba hæc, ſcilicet, *Vaporem fumi &c.)* Quorum germanam intelligentiam cum diu quærerem; non potui inuenire in doctiſsimorum virorum commentariis; nec mea ſedula indagatione potui quicquam comminiſci, quod mihi ſatisfaceret; donec ſubito mihi incidit ſuſpicio, hoc modo eſſe explananda. Et quidem, ni fallor, non longe abeſt huiuſmodi explanatio a germana loci intelligentia. Eam ex parte paulo ante perſtrinximus; nunc apertius tractabimus. Primum ergo oportet ſubaudire, *Eruntque in*, vel *Redigentur ad*, vel aliquid ſimile. ita vt lectio ſit, *Eruntque in* vaporem fumi; vel *redigentur ad* vaporem fumi. Pręterea figura eſt contraria Hendiady Hebręæ; Vapor fumi, pro, vapor, et fumus. Aliquid vero eſſe in vaporem et fumum; vel Redigi in vaporem et fumum; eſt, illud euaneſcere, citiſsime perire, et ad nihilum redigi. Nam tam vapor, quam fumus citiſsime euaneſcunt. Hinc illud *cap. 4. d. epiſtolæ*

Canonicæ D. Iacobi Apoſtoli: Quæ eſt enim vita veſtra? Vapor eſt ad modicum parens. Et *Iſaiæ* 9. *d.* Conuoluetur in ſuperbia fumi. Reges, inquit Propheta, et Principes, et gentes erunt in vaporem, et fumum; ſiue vt vapor, et fumus; hoc eſt, euaneſcent, ad nihilum redigentur; quod eſt vaſtabũtur. Nam vocatio gentium ad Euangelium Chriſti, more Prophetico adumbratur hoc loco per cædem, et vaſtationem. Nec mihi placet expoſitio eorum, qui vaporem fumi, pro fumo euaporante, vel igne flammante, dictum eſse intelligunt. quaſi diceret Propheta, Dabo ignem fumigantem, ignem ardentem, et omnia deuorantem; quaſi fumus hoc loco (ſicut aliquando reperitur in Arcanis Litteris) pro igne accipiatur. Cum fumum vides commemorari, intellige omnia in fumum, et in nihilum conuertenda. Dabo, inquit, ſanguinem, ſiue cædem hominum; ignem et flammam; quod Hiſpane dicitur; *Todo lo lleuare a fuego, y a ſangre. Sol conuertetur in tenebras &c.*) Hic locus adducitur a D. Petro Apoſtolorum Principe *in Actis cap.* 2. Vaticinium eſt de vocatione gentium ad Euangelium Chriſti. Ipſam quidem vocationem gentium (de qua Sacri Vates ſæpius texunt vaticinia) ſignificat Sanctus Propheta Ioel, more Prophetico, his verbis; Dabo prodigia etc. Et Sol conuertetur in tenebras etc. Conſueuerunt enim ſancti Prophetæ vocationem gentium ad cultum

Digitized by Google

cultum veri Dei, et fidem Ieſu Chriſti; ſignificare per ipſarum gentium vaſtitatem, et euerſionem; ſicut ſæpe a nobis dictum eſt. Cum ergo ait Dominus, ſe prodigia aduerſus Reges terræ, et varias orbis nationes editurum; et ſupplicium grauiſsimum, et quaſi prodigioſum de illis ſumpturum; ſignificatur, eas temporibus Meſsiæ ſe reducturum ad veram Fidem. Oſtendam, ait, potentiam meam in cælum, et terram; id eſt, aduerſus Reges gentium, et aduerſus gentes ipſas. Hoc enim eſt dare prodigia in cælum, et in terram. Nam effundam ſanguinem Regum, et gentium; cædem exercebo in eas, et igni conſumam. Hoc eſt, quod ait: Sanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Dabo, *id eſt, efficiam, reddam omnia tamquam* vaporem fumi; hoc eſt, tamquam nebulam et fumum. Solem vero conuerti in tenebras; eſt, Solem obſcurari tenebris, & pro luce ſuccedere tenebras. quemadmodum dictum eſt *Pſal. 65.b.* Qui conuertit mare in aridam. Quia vero Tenebrarum nomen, genus omne malorum, calamitatis et miſeriæ ſolet ſignificare: nihil aliud eſt, Solem conuerti in tenebras, quam Reges gentium, vel nationes orbis vaſtari: ita tamen vt ſub huiuſmodi gentium vaſtitate intelligas adumbrari vocationem earum ad Fidem Chriſti. Per ſanguinem vero, rubor, et erubeſcentia ſignificatur. Nam erubeſcentia eſt ſanguis in facie. Lunam ergo in ſanguinem conuerti,

ti,eſt,lunam erubeſcere vehementer,et rubore ſuffundi. Et quia erubeſcere apud Prophetas ſæpe eſt vaſtari, affici malis, et pati aduerſa; lunam in ſanguinem conuerti, vel erubeſcere; eſt, Principes vexari plagis, et vaſtari. Idem itaque eſt, Solem conuerti in tenebras, et lunam erubeſcere. eſt enim repetitio eiuſdem rei, verbis mutatis. Sol, inquit, conuertetur in tenebras: id eſt, mala, plagæ, et calamitates (quæ Tenebrarum nomine deſignantur) apprehendent Reges gentium. Tenebræ venient ſuper Solem; ſiue mala venient ſuper Reges, obruentur illi malorum fluctibus, peribunt atque vaſtabuntur. Nam ſolem conuerti in tenebras, nihil aliud eſt, quam ſolem obtenebreſcere; id eſt, Reges, et regna vaſtari. *Et luna in ſanguinem conuertetur*, hoc eſt, ſanguis, ſiue cædes ac vaſtitas veniet ſuper eos; cæde, atque effuſione ſanguinis peribunt. Huiuſmodi interitu, et vaſtatione, intellige adumbrari, vt dictum eſt, ipſorum Regum vocationem ad Chriſti Eccleſiam. Poteſt hic locus, eodem ſenſu manente, ita exponi; vt per ſanguinem intelligamus ſanguinis effuſionem, trucidationem, internecionem, et cædem. Et Lunam in ſanguinem conuerti, ſit, Reges, et Principes gentium, multa ſanguinis effuſione exanimari, multo ſanguine effluere; trucidatos, tantum ſanguinis effundere, vt in ſanguinem conuerſi videantur. Nam Hebræi aliquando vtuntur *Conuertendi* verbo,

non

non ad veram conuerſionem vnius rei in aliam; ſed ad ſignificandam copiam rei, quę ſuccedit denuo. Sic dictũ eſt *Pſal.*113.*a.* Conuertit petram in ſtagna aquarum; pro Eduxit e rupe miram aquarum copiam. Et *Pſal.*29.*b.* Conuertiſti planctum meum in gaudium mihi. Et *Iere.* 31.*c.* Conuertam luctum eorum in gaudium. Et *Pſal.* 65.*b.* Qui conuertit mare in aridam; id eſt, aqua maris deſeruit locum illum abyſsi, remanſitque terræ portio il la aquis nudata. Sic dictum eſt, Sol conuertetur in tenebras, hoc eſt, Peribit ſplendor, et felicitas Regum gentium, et ſuccedent multa malorum genera. Et luna conuertetur in ſanguinem, id eſt, calamitates operient Principes etc. His adumbratur, vt dictum eſt, Regum, et principum gentium, conuerſio. *Antequam veniat dies Domini magnus & horribilis)* Quidam diem Domini hoc loco tempora eſſe Meſsiæ intelligunt; et diem magnum, & manifeſtum, ſiue illuſtrem, vt quidam vertunt, appellari; quaſi dicas tempus felicisſimum, et lætiſsimum. Sic enim aliquando Sancti Prophetæ tempora Meſsiæ vocant tempora nouiſsima, id eſt, feliciſsima. Atque vox Horribilis, vel Terribilis, de re admiratione et reuerentia digna dicitur. Sic Iacob *Gene.*27.*d.* locum terribilem vocat. Exiſtimantque dictum eſſe Idiomate Hebræo; Antequam veniat dies Domini, quod ita etiam Hebræi efferre ſolent, Coram die Domini: id eſt, cum aderit dies

Domi-

Domini. Ita vt ſicut dicunt Hebræi, Mortus eſt Aran ante Thare patrem ſuum; *Gene.* 11.*d.* pro, Mortuus eſt Aran, viuente Thare. Et *Pſal.* 71.*b.* Ante lunam; pro, Quamdiu ſteterit luna; ſimili locutionis genere dictum ſit hoc loco; Antequam veniat dies Domini magnus et manifeſtus, pro eo quod eſt, Cum venerit dies Domini magnus, temporibus Meſsiæ; quamdiu durauerint tempora Meſsiæ. Ego tamen malim hæc verba intelligere iuxta communem intelligentiam, et iuxta vulgarem phraſim; ita vt dies Domini magnus et manifeſtus apud Lucam *in Act. cap.* 2. ſit dies extremi iudicii; qui apud Ioelem dicitur magnus, et horribilis. Erit ergo ſenſus horum verborũ, tam apud Lucam, quam apud Ioelem; In die illa, ſiue tempore illo, nempe temporibus Meſsiæ, erit vocatio gentium ad Chriſti Eccleſiam, et Euangelium, antequam veniat conſummatio ſæculi. Eſt itaque ſermo de extremo aduẽtu Chriſti ad Iudicium, vocatq. tempus illud diem magnum, et horribilem, vel manifeſtum; vt habet Lucas *Acto.* 2. de quo Propheta Regius, *Pſal.* 49.*a.* Deus manifeſte veniet. Quia ergo Propheta Ioel de vocatione gentium ad fidem Chriſti, ſub typo vaſtitatis earum more prophetico, ſermonem texens, iudicium euenturum pronunciat; dicens, Antequam veniat dies illa Domini; ſignificat proculdubio gentium vocationem, non vno tempore futuram; ſed progreſſu

S tem-

temporum vſque ad ipſam ſæculi conſummationem; nec ante futurum iudicium illud, quam ſit cõpleta gentium vocatio; nec prius mundum finem habiturum, quam plenitudo gẽtium intret Eccleſiam Chriſti. Nam duplicem Chriſti aduentum confitemur; alter iam præceſsit, alterum expectamus. Ille fuit, cum venit in mundum, vbi factus eſt homo, et mortuus eſt pro nobis. Ille alius erit ad iudicandum. Inquit ergo Propheta; Hæc ipſa vocatio gentium, de qua figurate loquor, erit in priori Chriſti aduentu, temporibuſque illis, quæ intercedunt inter vtrumque aduentum ipſius, quę vocantur tempora Meſsiæ. Hæc itaque vocatio gentium continget antequam veniat dies extremi iudicii, ſiue ante ſæculi conſummationẽ. *Omnis qui inuocauerit nomen &c.)* Conſuetudine Scripturarum, Inuocare poſitum eſt, pro colere et venerari. Quicumque, ait, verum Deum ſancta religione (quæ diuinæ legis obſeruationem complectitur) coluerit, ſaluus erit.

Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus locutus eſt, quis non prophetabit? Amos 3. b.

CAPVT LX.

Rui-

RUgire, pro Sæuire, perdere, et vltionem ſumere; *Timere*, pro puniri, et exerceri malis. Sumpta eſt ſimilitudo a leone; qui tunc maxime ſæuit, cum rugit; tuncque ad prædam ſe accingit. *Ieremi. 2. c.* Super eum rugierunt leones, id eſt, ſæuierunt aduerſus eum. Dominus, inquit Amos, quaſi leo ſæuiet in populum ſuum, propter peccata illius; quis tunc non timebit? quis tunc effugiet vltionem eius? quaſi diceret, Et magni, et puſilli dabunt pœnas. Simile eſt illud *Iſa. 33. b.* Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante, aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis? id eſt, Quis ſubſiſtet, cum Dominus de vobis ſumat ſupplicium? Quod vero addit Propheta, *Dominus Deus locutus eſt, quis non prophetabit?* poſſet hac ratione explanari. Quemadmodum cum leo rugit, illius rugitus terrorem incutit: ita, et cum Deus iratus aduerſus populum ſuum, loquitur ad Prophetas; illi timore perculſi, non poſſunt non loqui quæ Deus præcipit. Cum ergo Deus iratus ad me ſit locutus, quid faciam, niſi illius ſermones commemorare? quis non prophetabit? Quis non vaticinabitur quæ ille futura prædicit? Vel quis non prædicabit, et Prophetæ fungetur officio ad populum? vel Deus quaſi leo rugit, id eſt, iratus aduerſus populum ſuum, mandata mihi dedit, quæ illi exponam; quid ergo aliud faciam, niſi

prophetare quæ ab illo audiui? Deus locutus eſt, ſcilicet mihi, tamquam Prophetæ, quæ populo exponam; quis ergo non prophetabit? id eſt, quomodo potero non prophetare? Afferam vero interpretationem, quam vero proximam eſſe mihi perſuadeo. Duplex difficultas eſt in ſignificatione verborum *loquendi*, *& prophetandi*. poſterior maior priori. *Loqui*, pro facere, id eſt, vlciſci, perdere, et vaſtare poſitum eſt. quod non eſt inuſitatum Scriptoribus ſacris. vt *Thren.* 1. *a.* Dominus locutus eſt ſuper eam: id eſt, afflixit eam. Et quia loqui aliquando eſt facere; aliquando etiam loqui veritatem, eſt facere veritatem; id eſt implere legem. vt *Pſal.* 14. Qui loquitur veritatem in corde ſuo. Idem eſt quod dixerat, operatur iuſtitiam. Et *Iſa. cap.* 33. *c.* cum dixiſſet, Qui ambulat in iuſtitiis, addit per repetitionem; Et loquitur veritatem. Licet hęc verba recte poſsint intelligi in communi ſignificatione. Prophetandi autem verbum reconditam habet ſignificationem, non triuialem, nec omnibus peruiam. Nam quia prophetare aliquando eſt inſanire, et furore corripi (vt dictum eſt de Saule, quod prophetabat in medio domus ſuæ, 1. *Reg.* 18. *c.*) et inſanire aliquando in Prophetis eſt exerceri malis, grauiter puniri, et tam graui malorum pondere vexari, vt homo in inſaniam vertatur, et calamitatum pondus mentis alienationem illi inducat (ſicut dictum eſt *Iere.* 25. *d.* Bibent,

et

et turbabuntur, et inſanient) factum eſt, vt prophetare hoc loco dictum ſit, pro malis grauiſsimis affici, et graui calamitatum pondere diuexari. Oportet vero ſubaudire aduerbium temporis, vt ſit ſenſus. Cum Dominus locutus eſt, vel loquetur (nam præteritum ponitur pro futuro, more Prophetarum) id eſt, Cum vindictam de populo ſuo faciet, quis non inſaniet? quis non grauiſsima ſuſtinebit? quis impune feret? quis impunitus effugiet iram, et vltionem Domini? Chaldæus Paraphraſtes hunc locum vertit vt habent Hebræi, nihil lucis afferens. Alii vero in ſuis Commentariis locum explanant, vt ſonant verba.

Ecce oculi Domini Dei ſuper regnum peccans, et conteram illud a facie terræ: Verumtamen conterens non conteram domum Iacob, dicit Dominus. Ecce enim mandabo ego, & concutiam in omnibus gentibus domum Iſrael, ſicut concutitur triticum in cribro: et non cadet lapillus ſuper terram. Amos 9. b.c.

CAPVT LXI.

QVIA oculi aliquando ponuntur pro iudicio, et iudicium aliquando pro vindicta, ſupplicio, plaga, & calamitate: hinc factũ eſt, vt hoc loco, *Oculi*, pro plaga & vltione ponantur. *Regnum peccans* vocat Dominus populum ſuum peccatis deditum. Fortaſsisque Res ponitur pro Perſona, Regnum pro Rege, fitq. ſermo de interitu Pharaonis. Peccare ponitur pro affligere, quod non eſt alienum ab vſu ſanctarum Scripturarum. Inquit ergo Propheta; Plaga Domini venit ſuper Regem Pharaonem, qui affligebat patres veſtros duriſsima ſeruitute, quem contriui a facie terræ: vel e medio ſuſtuli, abuolutum aquis maris Rubri, cum vniuerſo exercitu ſuo. Vel potius, iuxta quorundam ſententiam: Regnum peccans, eſt ſingularis pro plurali, comminaturque Dominus temporibus Meſsiæ filii ſui, ſe omnia Regna ſceleri Idololatriæ dedita, ſiue omnia Regna gentium euerſurum; ſeruata domo Iacob, quæ typum tenet Eccleſiæ Chriſti. Hæc vero euerſio Regnorum, eo modo intelligenda eſt, quo Sacri Vates interitum et vaſtationem multarum gentium, et Regum prædicere ſolent. Repete memoria quæ diximus *Cap.* 29. Super illud *Iſaiæ* 11.*a*. Non ſecundum viſionem oculorum iudicabit. Exiſtimant itaque iſti de quolibet Regno peccatis dedito fieri ſermonem. *Conteram illud a facie*

terræ)

terræ) Arbitror pronomen *hoc*, ſubaudiendum; quod non raro in Scripturis ſanctis reperitur, ex proprietate linguæ Hebraicæ. Diſperdam, inquit, populum meum a facie *huius* terræ: id eſt, auferam eum de hac terra (nam ex Hebraiſmo vacat ſæpe nomen *facies*;) et diſpergam in exteras nationes. In quem ſenſum dicta ſunt quæ ſequuntur, *Uerumtamen conterens non conteram domum Iacob*) quaſi dicat, Non penitus deſtruā populum meum, ſed illum diſpergam in gentes. *Conterens conteram*, Hebraiſmus eſt. quod genus locutionis emphaſim habet, exponendumq. eſt iuxta ſubiectam materiam. vt *Pſal.* 39.*a*. Expectans expectaui; pro, diu et anxie expectaui. Et *Pſal.* 117.*b*. Caſtigans caſtigauit me, pro, Grauiter me afflixit. Sic hoc loco; Non conterens cōteram eum; pro, Non penitus conteram eum. *Ecce enim mandabo ego, et concutiam in omnibus gentibus domum Iſrael*. hoc eſt, vagari faciam eam in omnibus gentibus, vt quidam vertunt. Quanquam ego malim ita locum exponere (reclamantibus licet quorundam tranſlationibus) vt mandare, hoc loco ſit, mittere. quod in multis locis ſanctarum Scripturarum reperitur. Sic enim verbo mādandi vtuntur Hebræi, ſicut et Luſitani. Mandabo, ſiue mittam, inquit Dominus, ſubaudi, populum meum in varia orbis Regna; atque concutiam eum in omnibus gentibus; hoc eſt, vexabo, affligam illum per omnes gentes, ſiue

per gentes potentiſsimas, vel atrociſsimas. Hæc enim omnia ſignificat vox *Omnis*, iuxta ſubiectam materiam, vt aliis in locis dictum eſt. *Et non cadet lapillus ſuper terram*) Aliquando hæc verba ita explananda putabam. Lapis, et petra aliquando in Sacris Litteris, Regem, vel Regnum ſignificant; ſicut apud Danielem: Lapis ille abſciſſus de monte; Regnum Chriſti, id eſt, Eccleſiam de cælo deſcendentem, iuxta ea quæ habentur in Apocalypſi, deſignat. Lapillum ergo vocat Propheta Amos Regnum Iſrael humile, et attritum, et variis modis vexatum, ſicut et *cap.7.b.* idem Propheta Paruulum vocat; ſed re melius perpenſa, mutaui ſententiam, et germanum ſenſum huius loci exiſtimo, quem modo ſubiiciam. Hæc verba non parum habent difficultatis. Legi cuiuſdam viri doctiſsimi ſententiam, quam ſcriptam reliquit in ſuis commentariis; ſed ingenio meo non fecit ſatis. Quid vero ego ſentiam de hoc loco, paucis explicabo. Quia mentio facta eſt de cribro, in quo concutitur triticum, vt expurgetur a lapillis (Hiſpane, *guijas*,) et aliis, et ſtatim de lapillis fit mentio in his verbis; poſset aliquis decipi (niſi diligenter aduertat) exiſtimans, ad ſimilitudinem propoſitam de cribro, pertinere hæc verba. Sed longe aliter res ſe habet. Mea ergo ſententia hæc eſt. Ciuitas, vel Populus, id eſt, gens aliqua ſolet ædificio aſsimilari, cuius funda-

men-

menta, anguli, et lapides angulares, et columnæ, ſunt Magiſtratus, et Principes viri; parietes vero reliquum vulgus. Sic interdum viri Principes, Reipublicæ fundamenta appellantur; interdum anguli et lapides angulares; aliquando etiam columnæ, vt *Pſal.* 17. *a.* Fundamenta montium (id eſt, Principes gentium) conturbata ſunt. Et *Sophon.* 3. *b.* Diſperdidi gentes, et diſsipati ſunt anguli earum. Et *Pſal.* 117. *c.* Lapidem quem reprobauerunt ædificantes; hic factus eſt in caput anguli. Et *Pſal.* 74. *a.* Ego confirmaui columnas eius; id eſt, ego conſtitui eos columnas, ſiue Principes huius terræ, ſeu populi mei. Sic lapides, ſiue petræ, pro Principibus, vt ego ſentio, appellantur. *Iob.* 5. *d.* Cum lapidibus, inquit, regionum pactum tuum. Lapides regionum appellat Principes gentiũ. Ergo lapilli, ſiue lapides parui, ſunt infimæ ſortis homines, pauperes, ignobiles et plebeii. Horum quemlibet Propheta Amos vocat lapillum, cum ait, *Non cadet lapillus &c.* Solet vero inter homines loco infelicitatis haberi, mori quemquam extra patriam, et regionem ſuam. Hinc legimus in hiſtoriis, Regem volentem milites ad gentes longinquas impugnandas traiicere, magna ex parte ab exercitu derelictũ; militibus in regionem ſuam remeantibus. Quod præ aliis gentibus faciebant Iudæi, qui regionem ſuam plus ſatis diligebant. Ideo hoc genus diuinæ vltionis indici-

tur illis,quod extra regionem ſuam eſſent morituri,exu les inter exteras nationes. Hoc eſt quod ait Propheta in perſona Domini; Non cadet lapillus ſuper terram. quaſi dicat, Vniuerſus populus ducetur captiuus, et in captiuitate morietur. Nec ſolum Principes viri,et Magiſtratus; ſed etiam plebeii, et ignobile vulgus; non cadet, id eſt, non morietur ſuper terram *hanc*, ſiue in hac regione. Subintelligendum eſt enim pronomen *Hoc*, vt paulo ante. Cadere vero ponitur pro perire, ſumpta ſimilitudine a vaſe figulino, quod ſi in terram cadat, ſolet frangi et perire; vel quia quod non viuit, illico cadit, nec per ſe poteſt ſubſiſtere. Qua proprietate loquendi dictum eſt *Matthæi* 10. *c*. Vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro. Simile vindictæ genus proponit ſanctus Propheta Ezechiel *cap*. 11. *b*. eidem populo Iſrael, his verbis. Hæc (nempe regio, et ciuitas Ieruſalem) non erit vobis in lebetem; et vos non eritis in medio eius, in carnes; in finibus Iſrael iudicabo vos: hoc eſt, extra fines Iſrael (eſt enim abuſus præpoſitionis, *in*, pro *extra*, ex idiomate Hebræo) ſumam ſupplicium de vobis: nam gladio hoſtili peribitis inter barbaras nationes. Itaque Reſpublica eſt veluti ædificium quoddam huius Magiſtratus: et Principes viri, lapides vocantur in arcanis litteris. Lapilli ergo, erunt priuati homines, plebeii, et ignobile vulgus.

Omnes

Omnes mercedes eius comburentur igne, et omnia Idola eius ponam in perditionem: quia de mercedibus meretricis congregata ſunt, et vſque ad mercedem meretricis reuertetur. Michææ 1. b.

CAPVT LXII.

OMnes mercedes eius comburentur igne) Mercedes vocat Sanctus Propheta Michæas, bona, & diuitias eorum, qui Idola colebant, loquens vt illi loquebantur. Dicebant enim, opes quaſcumq. haberent, accepiſſe ab Idolis, et Diis ſuis, pro mercede cultus, quem illis exhibebant. Iſtorum enim verba ſunt illa apud Oſeam *cap.2.a.* Vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi, et aquas meas, lanam meam &c. Et poſt pauca, Corrumpam vineam eius (inquit Dominus) & ficum eius, de quibus dicit, mercedes hæ meæ ſunt, quas dederunt mihi amatores mei. Et quia cultus idolorum nomine fornicationis deſignatur in arcanis litteris, opes quas a Diis ſuis accipiebant cultores Idolorum (vt ipſi mentiebantur) mercedes meretricis, id eſt, fornicationis, ſiue pro fornicatione, hoc loco Michæas appellat. Bis

enim

enim ponitur hoc loco meretrix pro fornicatione. Aliquando enim in ſcripturis ſanctis perſona ponitur pro re, et res pro perſona. Eſt autem phraſis Hebræa, De mercedibus fornicationis, Vſque ad mercedes fornicationis, pro, Omnes mercedes fornicationis; ſicut dictum eſt *Pſal.* 71.*b.* Dominabitur a mari vſque ad mare, pro Dominabitur vniuerſo mari. Erit ergo ſenſus. Et omnes mercedes, quas pro fornicatione ſua cum Idolis (id eſt omnes opes) quas accepit Samaria, reuertentur, ſiue redigentur *ad nihilum*, hoc eſt, peribunt, auferentur ab hoſtibus, vel comburentur. Quia omnia bona, inquit, Propheta, quę habet Samaria, dicit ſe accepiſſe pro mercede fornicationis: ideo quęcumque habet, quę ſunt quę congregauit, et accepit (vt ipſa ait) pro mercede fornicationis, vſque ad mercedem fornicationis (id eſt omnes mercedes eius) reuertentur *ad nihilum. Et omnia Idola eius ponam in perditionem*) Exiſtimo hæc verba ita explicanda: *Et* pro, *id eſt*, omnia *quæ illi donata ſunt per* Idola (vt ipſa vaniſsime, & mendaciter gloriatur) ponam in perditionem, ſiue vaſtabo; quia de mercedibus meretricis congregata ſunt &c. Verba ſunt perobſcura, quæ alii interpretes eodem modo vertunt, quæque ſic arbitror explicanda. *De mercedibus meretricis cõgregata ſunt*) id eſt, Quia pro mercede fornicationis, Samariæ data ſunt; & id eſt, *ideò* ab illis, nempe habitatoribus Samariæ, vſque

ad mercedes fornicationis, reuertentur *ad nihilum*. Nec miretur quiſquam, me aliquot voces ſubaudire in huius loci expoſitione. Id enim ſæpe facit Hebręorum lingua, propterea quod ſit nimis conciſa. Cum dicitur De mercedibus; *De*, ponitur pro, *Pro*; quod aliquando fit in arcanis litteris. Niſi malis ita exponere De mercedibus fornicationis, vſque ad mercedes fornicationis, vt dictũ eſt. Oportet vero obſeruare, ſcriptores ſacros conſuetudine linguæ ſuæ (quod alibi obſeruamus) in multis phraſibus, præſertim in iis quæ duplici membro conſtant, aliquando vocem aliquam, vel voces omittere; quas tamẽ oporteat ſubaudiri. Sic dictum eſt *Pſal.* 77.*b.* Filii Ephren intendentes & mittentes arcum, conuerſi ſunt *in fugam* in die belli. Et conuerſi ſunt *in fugam* in arcum prauum; id eſt, per hoſtem potentiſsimum, vt alibi exponimus. Et *Pſal.* 82.*a.* Diſperdamus eos de gente *in gentem*, id eſt, per varias orbis nationes. Hoc genere locutionis dictum eſt hoc loco; Reuertentur *ad nihilum.* Omnia, inquit Propheta, bona quæ habet Samaria, dicit ſe accepiſſe a Diis ſuis, pro mercede cultus, quem illis impendit; ideo ipſi cultores Idolorum, ſimul cum mercede, vel mercedibus fornicationis ſuæ (vt ipſi vocant) redigẽtur *ad nihilũ*; id eſt, peribunt ſimul cũ opibus ſuis. Niſi malis ita exponere; Omnia Idola Samariæ ponam in perditionem, ſeu vaſtabo; & *ab ipſis Idolis* vſque ad

mer-

mercedem fornicationis, redigentur *ad nihilum*. hoc eſt, Tam Idola Samariæ, quam opes illius, redigentur ad nihilum, ſiue peribunt. Aliquando enim Sancti Prophetæ de euerſione ſimulacrorum, et vltione cultorum loquuntur. Alia ratio (quæ eadem fere eſt cum ſuperiori) interpretandi hęc verba, De mercedibus meretricis vſque ad mercedem meretricis &c. et ſimplicior & magis accommoda phraſibus ſacræ paginæ, mihi venit in mentē. Nam Cōgregata de mercedibus meretricis, vſque ad mercedem meretricis, dictum exiſtimo phraſi illa Primogenita ab homine vſque ad pecus, pro Primogenita hominum et pecorum. Et *Geneſ*. 14. *d*. A filo ſubtegminis vſque ad corrigiam caligæ non accipiam, nec filum veſtis, nec corrigiam calcei. Et De die in diem, pro Omnibus diebus. Sic dictum eſt, Congregata de mercedibus fornicationis vſque ad mercedem fornicationis; pro, omnia quę congregauit de mercede (id eſt, pro mercede) fornicationis. Coniunctio vero cauſalis *Quia*, hoc loco ponitur pro *et*, vel pro *certe*, vel pro *denique*, ex Hebraiſmo. Cum dicitur, *et vſque*, ſuperabundat, *et*, ex idiomate etiam Hebræo. Nec verbum *Reuertentur*, iungendum eſt vocibus præcedentibus, ſed interponendum comma; & verbo aliquid addendum quod ſenſum perficiat, & congruum atque conueniens ſit filo orationis juxta ſubiectum argumentum. Inquit ergo Dominus.

De-

Denique quę Samaria(intellige decem Tribus)congregauit de mercedibus fornicationis vſque ad mercedes fornicationis(id eſt, omnes mercedes fornicationis)reuertentur, ſcilicet ad nihilum. Omnes opes quas congregauit et accepit a Diis ſuis(vt ipſa dicit)pro mercede fornicationis ſuæ, redigentur ad nihilum, exurentur, peribunt, vaſtabuntur.

Egreſſus eius ab initio, a diebus æternitatis. Propter hoc dabit eos vſque ad tempus, in quo parturiens pariet: et reliquiæ fratrum eius conuertentur ad filios Iſrael. Et ſtabit, & paſcet in fortitudine Domini, in ſublimitate nominis Domini Dei ſui: & conuertetur, quia nunc magnificabitur vſque ad terminos terræ. Et erit iſte pax. Michææ 5.a.

CAPVT LXIII.

E*Greſſus eius ab initio &c.*) Egreſſus, pro aduentu, vel natiuitate, idioma Hebræum eſt. ſicut Propheta Regius egreſſum pro partu dixit *Pſal.* 143.*b.* Oues eorum fœtoſæ abundantes in egreſsibus ſuis. Vaticinium eſt de aduentu Meſsiæ promiſsi, qui eſt Chriſtus Ieſus,

vt plane teſtatur D. Matthæus *cap.* 2. aſſeuerans, hoc vaticinium impletum eſſe in Chriſto. Quin etiam ita ab omnibus hoc vaticinium intelligebatur apud Hebræos: vt conſtat ex ſententia Principum, Sacerdotum, et Scribarum loco iam inducto. Inquit ergo Michæas Propheta, vel potius per Michæam Dominus. In te, o Bethlehem, naſcetur ille Meſsias a me promiſsus, & Rex ille Iſrael. Quod ſequitur: *Et egreſſus eius &c.* verba eſſe Prophetæ videntur. Frequenter enim, vt ſæpe admonemus, fit ſubita mutatio perſonæ loquentis, vel perſonæ ad quam fit ſermo, apud Prophetas. Inquit ergo Michęas: Hic Rex Iſrael naſciturus in Bethlehem, eſt ille cuius aduentus ab initio mundi, et a diebus æternitatis, hoc eſt, a priſcis illis temporibus; atque adeo ab origine mundi ſcilicet promiſſus eſt a deo: atque variis typis, et rerũm inuolucris, præſignatus et adumbratus, ſicut orthodoxi et erudiciſsimi Patres docuerunt. Nam primo parenti, poſt lapſum; Meſsiæ aduentum fuiſſe reuelatum; multorum eſt ſententia. Et illud *Gene.* 3. Ipſum conteret caput tuum. De Meſsia intelligendum, conſtanter affirmant antiqui Patres, et magni nominis Theologi. Itaque Egreſſus eius ab initio, ſubaudi prophetatus; et prædictus eſt a Sanctis et antiquis Prophetis. Nam ſancti Prophetæ, qui fuerunt iam ab initio orbis, de aduentu Meſsiæ, qui eſt Chriſtus Ieſus, locuti

ſunt

ſunt, et multa de eo cecinerunt. Egreſſus ergo eius ſcilicet promiſſus fuit a Deo, et deſideratus a ſanctis Patribus. quare poſsis non abſurde ita interpretari. Egreſſus, ſiue aduentus eius, *deſideratus eſt* ab initio; id eſt, a Patribus antiquis, *qui fuerunt* a diebus æternitatis, id eſt, ab origine mundi. explicatq. Propheta his verbis, quiſnam ſit ille Rex naſciturus in Bethlehem. Ille, inquit, Rex Iſrael, ille inquam, cuius egreſſus, id eſt aduentus prædictus, et prophetatus eſt ab initio (id eſt, ab exordio ſæculi) et a diebus æternitatis; ſiue a diebus antiquis. Repetitio eſt, Ab initio, et a diebus æternitatis. Eſt enim Hebraiſmus, Aliquid æternum, vel aliquid in æternum, vel aliquid æternitatis, pro eo quod eſt, antiquum. Prophetauerunt enim Meſsiæ aduentum vetuſtiſsimi Prophetæ: ſicut ait Zacharias pater Ioannis Baptiſtæ *apud D. Lucam cap.* 1. Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui a ſæculo ſunt, Prophetarum eius. Forſan non inepte expones: Natiuitas eius erit qualis decet eum qui eſt ab æterno, id eſt, qui eſt verus Deus. Nam naſcetur ex Virgine ſine viri commixtione etc. Multa et præclara ſunt quæ Chriſti natiuitatem temporalem exornarunt, præter miracula ſtupenda, quæ eo tempore contigerunt in orbe. Sed horum verborum germanam intelligentiam, arbitror eſſe, quam modo ſubiiciam. Pronomen *alius* aliquando ab Hebræis ſubintelligitur,

quod hoc loco vſu venire arbitror; ſicut et aliis in locis Scripturæ Sacræ. Præterea *A*, et *Ab*, aliquando ex Hebraiſmo pro *Coram*, vel *Ante*, vſurpantur in diuinis litteris: atq. ita hoc loco accipiendæ ſunt hæ præpoſitiones. Sanctus ergo Propheta Michæas poſtquam de Chriſti Ieſu veri Meſsiæ natiuitate temporali vaticinium protulit, meminit etiam de altera Chriſti natiuitate, quæ eſt ſempiterna, et ſecundum diuinitatem. Eſt, inquit, *alius* egreſsus eius, ſiue alia natiuitas eius ab initio, id eſt, ante omne principium rerum, antequam crearentur omnia, et à diebus æternitatis, hoc eſt, ante tempora æterna, ſiue antiqua; ſic enim loquuntur Hebræi, vt paulo ante diximus. Sed idem Hebraiſmus alio etiam ſenſu accipi poteſt. Nam aliquid æternum, vel aliquid in æternum, vel aliquid æternitatis appellat ſermo Hebræus, quod excellens, et præſtantiſsimum eſt in genere ſuo. Egreſsus ergo Chriſti eſt æternus, ſiue a diebus æternitatis, hoc eſt, feliciſsimus, et deſideratiſsimus. *Propter hoc dabit eos vſque ad tempus, in quo parturiens pariet.*) Coniunctio cauſalis ponitur pro *et*, Et rurſus *et* pro *qui*. *Eos*, relatiuum eſt ſine antecedenti, ex idiomate Hebræo, vt illud *Oſeæ* 11. *a*. Poſt eos (ſcilicet Deos alienos) abierunt. Sic hoc loco *eos*, intellige hoſtes populi ſui, ſiue gentes, dabit eos; id eſt, ſinet eos, vel expectabit eos vſque ad tempus illud, in quo parturiens pariet. Vel da-

bit *Dominus internecioni* eos (loquitur de gentibus, et hoſtibus populi ſui, de quibus in fine capitis præcedentis) parturiens *Dominus*, vel *quaſi* parturiens, ſcilicet, clamauit aduerſus hoſtes populi ſui: hoc eſt, grauiſsimum ſupplicium ſumet de illis. Huiuſmodi ſupplicio, vocatio ad Euangelium, more Prophetico intelligenda eſt. Dabit, ſiue permittet (vt quidam vertunt) Dominus gentes omnes, quæ idola colunt, inique agere impune. Non caret emphaſi vox temporis. Vſque ad illud tempus, ſcilicet, quo naſcetur Meſsias. Verbum vero *dare*, quaſi per Antiphraſim, pro *ſinere* poſitum eſt: Sinet Deus, inquit Propheta, gentes agere ex ſententia, agere ex voto, ſectari cordis ſui deſideria, vſque ad tempora Meſsiæ. Tunc enim animaduertet in eas, de illis duriſsimum ſupplicium ſumet, hoc eſt, tunc adducet gentes ad gremium Eccleſiæ, et ad legem Euangelicã, qui ſponte parebunt. De hac re D. Paulus *Act.* 14. *c.* Qui in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas; id eſt, incedere viis prauis, ad quas noſtra natura corrupta propenſa eſt; et ſectari ſuas noxias voluptates. Expectabit Dominus ad pænitentiam gentes culturæ Idolorum deditas, vſque ad tempora Meſsiæ: expectabit inquam eas, vt conuertantur a cultura Idolorum, ad cultum et religionẽ veri Dei. Quod ſi ante illa tempora non reſipiſcant; quaſi parturiens pa-

riet; vel adducet eis vltionem; quaſi parturiens loquetur, et clamabit contra eos. Per clamorem parturientis, vltio grauis ſignificatur; Vt *Iſaiæ* 42 *c*. Significat ergo Propheta temporibus Meſsiæ vindictam ſumendam de gentibus, per quam vocatio gentium adumbratur. Tempore illo aduentus Meſsiæ, temporibus Meſsiæ, quæ ſunt tempora Euangelii, quaſi parturiens (eſt enim ſubintelligenda particula ſimilitudinis) pariet ſcilicet Deus. Sinet ergo Deus gentes ingredi vias ſuas. Quouſque tandem ſinet illas? Vſque ad tempus quo parturiens pariet; hoc eſt, vſque ad illud tempus, de quo loquor, nempe vſque ad tempus Meſsiæ; quo quidem tempore ipſe Dominus tamquam parturiens vociferabit; id eſt, ſæuiet in gentes; ac durum ſupplicium ſumet de eis. Vt loquitur Iſaias *cap*. 42. *c*. Tacui, ſemper ſilui; ſicut parturiens loquar. Sanctus ergo Propheta Michæas vocationem gentium ad Euangelium intelligit, cum de illarum plagis, et interitu loquitur. Tunc Deus pariet gentes; id eſt, generabit, vel regenerabit per Sacramentum Baptiſmi, quod inſtituet; per quod renaſcentur quotquot credentes fuerint abluti aqua ſalutari, de quo Chriſtus Ieſus loquitur ad Nicodemum, *apud Ioannem cap*. 3. *a*. Et Apoſtolorũ Princeps 1. *Pet*. 1. *a*. Regenerauit nos in ſpem viuã. De hac ſpirituali regeneratione inquit D. Ioannes *cap*. 1. *b*. Qui non ex ſanguinibus,

neque

neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri;ſed ex Deo nati ſunt. Temporibus itaque Meſsiæ, inquit ſanctus Propheta, Deus pariet, ſiue regenerabit gentes, ſicut loquitur illuſtris Vates Iſaias in perſona Domini *cap. 66. c.* Numquid ego qui alios parere facio, ipſe non pariam? qui generationem ceteris tribuo, ſterilis ero? Repete memoria verba illa Domini, quæ modo adduximus *apud Iſaiam cap. 42. c.* Tacui, ſemper ſilui, ſicut parturiens loquar; diſsipabo, et abſorbebo ſimul, hoc eſt, vaſtabo. quaſi dicat, Diu diſsimulaui ſcelera veſtra, quaſi non viderem, nullam ſumens vindictam; ſed iam tarditatem ſupplicii, grauitate compenſabo. Non amplius ſilebo, ſed loquar; et quidem vt parturientes feminę, quæ cum proximę ſunt partui, vociferantur magnis clamoribus. Sic ego, inquit Dominus, clamabo, id eſt grauiſsimam immittam vltionem. Per loquelam itaque aliquando Prophetæ vindictam ſignificant; et per clamorem, grauiſsimam vindictam. Vnde phraſes illæ, loqui ſuper aliquem, pro vexare illum; et loqui iudicia ſuper aliquem, vel contra aliquem &c. Ad hanc itaque phraſim alludere videtur ſanctus Michæas, cum ait de Domino, Quaſi parturiens pariet; hoc eſt, quaſi parturiens loquetur ad gentes, clamabit ad eas vocibus magnis; ſiue vaſtabit eas, et grauiter animaduertet in illas.

Per huiuſmodi gentium vaſtitatem, adumbrans, vt diximus, ipſarum gentium vocationem ad gremium ſanctæ Eccleſiæ. Ideo ſequitur: *Et reliquiæ fratrum eius conuertentur ad filios Iſrael.*) *Et*, pro *Tunc*. Fratres Iſrael, videtur appellare Propheta, decem Tribus: Gentes, inquit, cum decem Tribus conuertentur ad Deum, conuertentur ad filios Iſrael, id eſt, ad Deum verum quem colunt filii Iſrael, conuertentur ad cultum quem habent filii Iſrael. Gentes temporibus Euangelii, conuertentur ad cultum veri Dei, ſuſcipient colēdum verum Deum, relictis Idolis; quē colunt filii Iſrael. *Eius*, ſcilicet Iſrael, vel eſt conſtructio Hebræa pro, Per eum, ſcilicet Deum. Fratres itaq. vocat varias orbis nationes, quas prædicit futuras eſſe fratres Iſraelitarum; quia reiecto Idolorū cultu, ſuſcipient Deum verum, quem coleret Iſrael. Iam ergo fratres vocabat ſanctus Propheta, quos certo ſciebat fratres eſſe futuros. Tunc, inquit, reliquiæ fratrum; id eſt, omnes fratres, ſiue omnes gentes factæ iam fratres, conuertentur ad filios Iſrael; hoc eſt, ad Deum filiorum Iſrael; vel cum filiis Iſrael (vt quidam verterunt) quia omnes gentes, quæ Idola colunt, ſimul cum perfidis Iudæis, nouiſsimis temporibus (quæ ſunt tempora Euangelii) ſuſcipient Chriſti Euangelium. *Reliquiæ fratrum*, idioma Hebræum eſt, pro *reliqui fratres*, vel omnes fratres, id eſt, omnes gentes factæ iam fratres.

tres, ſuſcepta eadem lege Euangelica. Sinet eos vſque ad tempus illud, in quo ipſe parturiens pariet. Quaſi dicat, Nunc Deus ſinit gentes ex voto agere vſque ad illud tempus, quo quaſi parturiens pariet furorẽ, et indignationem contra eos. Itaque cum gentes omnes intrauerint Eccleſiam Chriſti, tunc totus Iſrael conuertetur, qui poſt omnes gentes conuertendus eſt. Hoc eſt quod ait hoc loco ſanctus Propheta, cui concinit D. Paulus Apoſtolus *Ad Roma.* 11. *c.* Cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret; et ſic omnis Iſrael ſaluus fieret. Tunc, inquit, veris Iſraelitis (qui ſunt Chriſtianæ religionis ſectatores) aggregabuntur perfidi Iudæi, et eandem religionem Chriſtianam amplectentur. Simile eſt illud *Oſea* 1. *d.* Congregabuntur filii Iuda, et filii Iſrael pariter, et ponent ſibimet caput vnum. *Et ſtabit, & paſcet in fortitudine Domini &c.*) Coniunctio copulatiua pro nomine relatiuo accipi videtur, ex idiomate Hebræo. Qui ſtabit, inquit. Standi verbum Hebræis aliquando ſignificat Principatum et poteſtatem; ducem eſſe, præſidem, et Regem. Sic dictũ eſt hoc loco: *ſtabit*, quaſi dicat, Regnabit Meſſias, et paſcet *oues ſuas* in fortitudine Domini, id eſt, opibus magnis, nempe ſpiritualibus. Poteſt etiam *accipi* ſtare pro *miniſtrare*, iuxta illud *Matthæi* 20. *d.* Filius hominis nõ venit miniſtrari, ſed miniſtrare. Et *ad Rom.* 15. *b.*

Dico Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis: quia verbum vitæ miniſtrauit, ſiue prædicauit circumciſis, ſiue populo Iudæorum. Poteſt eſſe hendiadys Hebræa: Stabit, et paſcet, pro miniſtrabit paſtum, ſiue cibum: id eſt, doctrinam *ambulantibus* in fortitudine Domini (id eſt coram Deo omnipotenti) Et *in ſublimitate nominis Domini Dei ſui*; id eſt, coram excelſa maieſtate Patris cæleſtis paſcet doctrina Euangelica eos qui deſerto Idolorum cultu, verum Deum colent. *Paſcet*, dictum eſt pro, *erit Paſtor*: vt *Lucæ* 8. *a*. Qui ſeminat, pro ſeminator. Erit, inquit, Paſtor, id eſt, Rex. Et paſcere in fortitudine, pro eſſe Paſtorem fortem: id eſt, Regem magnum, et potentiſsimum. Paſcet Meſsias oues ſuas Sacramentis, chariſmatibus ſpiritualibus, atque donis cæleſtibus. Paſcet eos qui ambulant coram Deo, id eſt, qui verum Deum colunt. Paſcet Chriſtus Ieſus verus Meſsias, paſcet, inquit, doctrina ſanctiſsima, et gratia ſpirituali, *ambulantes* in fortitudine Domini; id eſt, coram Deo forti, ſiue omnipotenti, et vero. Et *ambulantes* in ſublimitate nominis Dei ſui, ſiue coram magnificentia maieſtatis Dei; hoc eſt, coram immenſa maieſtate Dei. Paſcet, inquit, veri Dei cultores. Cum ait Propheta, Et paſcet, *et*, pro *denique* accipi poteſt. Vel ponitur pro aduerbio temporis, quaſi dicat, Cum Meſſias regnauerit, vel quamdiu regnauerit, paſcet oues

ſuas,

ſuas, populum ſuum, Eccleſiam ſuam; in fortitudine Domini, hoc eſt paſtu vberrimo et ſalubri, ſiue opibus magnis et veris, vtique ſpiritualibus: atque adeo omni genere bonorum, plenitudine gratiæ, Sacramentis variis, Spiritus ſancti chariſmatibus, et diſtributionibus. Fortitudo, pro opibus ponitur. Eſt autem idioma Hebræum, Fortitudo Domini, pro opibus magnis, veris et ſolidiſsimis; vt Montes Dei, Cedri Dei. vel Paſcet huiuſmodi opibus *ambulantes* coram Deo Patre ſuo, et paſcet ambulantes in ſublimitate nominis Domini Dei ſui; hoc eſt, ambulantes coram maieſtate Dei Patris ſui. Poſſunt hæc verba ſic exponi. Paſcet in fortitudine Domini; id eſt, regnabit cum potentia et maieſtate magna. Et per Repetitionem addit Propheta, *Et in ſublimitate nominis Domini Dei ſui*. Vox nomen vel vacat, ex phraſi Hebræorum; vel ponitur pro maieſtate. *Et conuertentur)* Conuerti hoc loco, (quod aliquando reperitur in ſacris) eſt refici, recreari, ſolatium accipere, et miris potiri conſolationibus. Hi omnes, inquit, quos paſcet Meſsias, miris ſolatiis paſcentur. Eſt enim magna voluptas, tranquillitas animi, pacata conſcientia, et a peccatis purgata. Quod efficit Chriſtus in ouibus ſuis. *Quia nunc magnificabitur vſque ad terminos terræ) Quia*, pro *Et*, ex idiomate Hebræo. *Nunc*, pro *Tunc* accipi videtur, niſi malis

Meſsiæ aduentum propinquum ſignificari: Magnificabitur, inquit, vſque ad terminos terræ, ſiue in omnibus finibus terræ, habebitur magnus, coletur tamquam potentiſsimus ab vniuerſis gentibus terræ. Poteſt etiam aduerbium temporis, *Nunc*, accipi pro Pronomine. Et hic, inquit, magnificabitur, vel adorabitur apud omnes gentes. Simile eſt illud *Pſal. 71. b.* Dominabitur a mari vſque ad mare, a flumine vſque ad terminos orbis terrarum, omnes gentes ſeruient ei. *Et erit iſte pax*) Perſona pro tempore poſita videtur: *iſte* pro *tunc*. Suntq. referenda hæc verba ad aduentum Meſsiæ, de quo initio capitis: quiq. hoc loco pacis nomine intelligi poteſt. Cum venerit, inquit, Meſsias, erit pax in orbe terrarum. Sic enim contigiſse, legimus in hiſtoriis autorum probatiſſimorum. Quamquam appellatione pacis, conſuetudine Sanctarum Scripturarum, poſsis intelligere copiam bonorum, et diuitiarum vtique ſpiritualium, et genus omne felicitatis. Temporibus, inquit, Meſsiæ, ſiue temporibus Euangelii, erit magna felicitas bonorum ſpiritualium, ſicut dictum eſt *Pſal. 71. a.* Orietur (vel florebit) in diebus eius iuſtitia, et abundantia pacis. Et *Iſa. 9. b.* Multiplicabitur eius imperium (id eſt, proſperabitur regnum eius) et pacis non erit finis. Sicut vero paulo ante diximus, aduerbium temporis *Nunc*, poſsitum eſſe pro Pronomine, *Hic*: Ita modo e conuerſo,

Pro-

Pronomen *Iſte*, poſitum eſt pro aduerbio temporis *Tunc*. Tunc, inquit Propheta, nempe temporibus Meſſiæ, erit pax; hoc eſt, rerum omnium felicitas. Poſsunt et hæc verba ita exponi, vt denominatio pro denominato accipiatur; *Pax*, pro *Pacifico*. Et erit hic pacificus, ſiue erit Rex ille feliciſsimus, a Deo Patre promiſsus. Sic Iſaias *cap.* 9. vocat eum Principem pacis, ſiue Regem pacificum; id eſt, feliciſsimum, potentiſsimum.

Tunc mutabitur ſpiritus, & pertranſibit; & corruet: hæc eſt fortitudo eius Dei ſui. Numquid non tu a principio Domine Deus meus, Sancte meus, & non moriemur? Domine in iudicium poſuiſti eum; & fortem vt corriperes, fundaſti eum. Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.
Habac. 1. *c.*

CAPVT LXIIII.

SERMO eſt de hoſte Chaldæo, quem delendum, atque vaſtandum prædicit ſanctus Propheta Habacuc, poſtquam populum Dei ob peccata eius corripuiſset plagis. *Tunc mutabitur Spiritus*) Mutari

He-

Hebræis ſæpe eſt deficere, ceſſare, perire, atque finem accipere; propterea quod qui a loco in locum mutatur, deſinit eſſe in priori loco vbi erat, et quaſi perit de illo. *Spiritus* vero pro fortitudine et potentia ponitur; quia vires hominis a ſpiritu, id eſt anima, originem habent. Tranſire, vel pertranſire, idem eſt quod perire, deficere, atque finem accipere. Quemadmodum enim ſeneſcere aliquando ponitur pro deficere, et interire; quia quod ſeneſcit (vt inquit Apoſtolus *ad Hebr.* 8. *d.*) prope interitum eſt; ita Tranſire, vel pertranſire, ponitur pro interire; quia quod obnoxium eſt mutationi, ſtabile non eſt, nec diu permanſurum. Sic dictum eſt in Euangelio; Cælum, et terra tranſibunt. Atque ita hoc loco accipiendum eſt. Tunc, inquit Propheta, cum hoſtis Chaldæus venerit cum exercitu magno, et magna potentia contra regnum Iſrael; peribit omnis fortitudo Iudæorum. *Et corruet*) Corruet, inquit, populus Iſrael, hoc eſt, ſuperabitur, et vaſtabitur ab hoſte Chaldęo, et in maximas plagas et miſerias decidet; obruetur malorum fluctibus, de excelſo potentię et felicitatis gradu pręcipitabitur. *Hæc eſt fortitudo eius Dei ſui.*) Quia Hebręus ſermo non ſeruat in reciprocis regulas quas ſeruat lingua Latina (ſicut aliis in locis perſtringimus) exiſtimo *ſui* poſitum eſſe pro *eius*. Pręterea *Dei*, pro *a Deo* dictum eſt, ex idiomate Hebręo. Hæc, inquit, forti-

titu-

titudo eius,id eſt,hoſtis Chaldæi,hęc tam magna poten tia Regis Aſsyriorum, a Deo eius(id eſt populi Iſrael) erit.quaſi dicat, Deus efficiet potentem hoſtem Chaldæum,ad vindictam populi ſui,ob eius ſcelera.Niſi malis ita exponere, Talis erit fortitudo, ſiue vindicta eius (id eſt Populi Iudæorum)a Deo ſuo;talis,ac tam grauis vltio veniet a Deo,populo Iudæorũ;corruet ſcilicet populus Hieroſolymitanus,ſiue cadet gladio hoſtiũ Chaldæorũ. *Numquid non tu a principio &c.*) *A*,ponitur pro *Ante*. Eſſe ergo a principio,id eſt,ante omne rerũ initiũ, eſt eſſe ſempiternum. Et quia æternum,vel ſempiternũ non raro Hebræis ſignificat quod magnũ eſt in genere ſuo;eſſe a principio,vel ſempiternũ,hoc loco ſignificat, eſſe potentiſsimũ.Poteſt et ſempiternum pro miſericorde accipi,hoc ſenſu.Nonne Deus meus,et(id eſt,ideo) nõ mortui ſumus,cõſumpti,atque e medio ſublati?*quia* tu miſericors es, et ſępe vteris nobiſcũ benignitate tua. quaſi dicat,Eſto nunc propitius nobis,qui ſemper benigne nobiſcũ egiſti. *Sanctus* hoc loco idem eſt quod magnus,Rex,et Potens,ſic enim vſurpatur hęc vox aliquãdo apud ſcriptores ſacros. *Et non moriemur*) Repetẽda eſt particula *numquid*,quæ præceſsit. *Mori* vero pro *mortalem eſſe* poſitum eſt, vt dixit Apoſtolus *ad Roma.6. b*, Chriſtus reſurgens ex mortuis,iam nõ moritur.Et quia quidquid mortale eſt, fragile eſt, caducum, imbecille,

et mi-

et miſerum: mortalem eſſe, eſt miſerum eſſe, et imbecillem, multisque calamitatibus obnoxium. Subaudiendaque eſt vox *Nos*. Sic ergo habet locus; Et numquid non *Nos* moriemur? pro morimur, id eſt, mortales ſumus. Numquid, ait Propheta, non tu es potentiſsimus; et nos nonne ſumus mortales, id eſt, fragiles, caduci et imbecilles? quaſi dicat, cum ſimus adeo miſeri, et tot malorum fluctibus iactati; et poſsis nos eripere de manibus hoſtium noſtrorum, vſque quo differes auxilium noſtrum? quouſque tandem ſines nos malorum vndis conflictari? numquid non modo es omnipotens, vt olim, cum in gratiam populi tui aduerſus gentes ſtupenda edidiſti miracula? et (id eſt, cum) non moriebamur (nam aliquando Futurum ponitur pro Præterito imperfecto) hoc eſt, nihil mali a gentibus patiebamur, quia te habebamus protectorem. *Domine in iudicium poſuiſti eum &c.*) *Poſuiſti*, dictum eſt pro *euexiſti*, et ad ſublimem potentiæ, et felicitatis gradum erexiſti: vel poſuiſti, ſcilicet in loco excelſo. *Iudicium* pro *ſupplicio*, conſuetudine Sanctarum Scripturarum. Euexiſti, inquit, hoſtem Chaldæum, et in excelſo potentiæ faſtigio conſtituiſti, vt potentiam tuam contra eum oſtenderes. Hoc eſt quod ait Propheta: *Fortem fundaſti* (pro fundabis) *eum, vt corriperes*) quaſi diceret, Efficies potentem, et victorem, hoſtem Chaldæum, ad vltionem populi tui. Sic

Sanctus Ioel Propheta *cap. 2. e.* loquens etiam de hoſte Chaldæo, ait: Magnificauit Dominus vt faceret, id eſt, magnificauit Dominus hoſtem Chaldæum vt faceret, euexit Dominus ad ſublimem potentiæ gradū, hoſtem Chaldæum, vt contra eum exerceret potentiam ſuam, vaſtans et perdens illum. Nam facere hoc loco (ſicut aliis in locis) eſt ſupplicium ſumere. Simile eſt illud de Pharaone Rege Aegyptiorum, *Exo. 9. c.* quod adducit Apoſtolus *ad Rom. 9. d.* Idcirco poſui te, vel excitaui te, vt oſtendam in te (id eſt, contra te) fortitudinem meam. In iudicium, inquit, id eſt, ad vltionem, ſcilicet populi tui: vt corriperes ſcilicet populum tuum, per manum illius. (*Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum; & reſpicere ad iniquitatem non poteris.*) *Oculi* pro *Iudicio* ponuntur. Et *mundi oculi*, pro *iuſto et recto de rebus iudicio.* Mundi ergo ſunt oculi tui, id eſt, æquiſsime de rebus iudicas. *Ne videas malum*, id eſt, ne *igitur* hominem iniquum, et improbum aſpicias. Videre, vel aſpicere hominem improbum, eſt illi fauere. Hiſpane dicitur, *Poner los ojos en el.* quaſi dicat, obſecro mi Deus, ne hoſti Chaldæo tantum virium tribuas, vt populum tuum perdat atrociſsime: cum oculi tui mundi ſint; id eſt, cum ſis æquiſsimus iudex, et rectus, et cum non videas malum. Mundi ſunt oculi tui: id eſt, iudicium tuum æquum eſſe ſolet. Sic *Pſal.* 118. Iuſtus es Domine, et rectum iudi-

cium

cium tuum. Ne ergo videas malum; hoc eſt, ne ergo videaris ſceleratos homines approbare, dum faues gentibus contra nos. Ne videas, ſiue reſpicias; et approbes hominem improbum et ſceleratum, quantumuis potentem, et ſublimi potentiæ gradu eleuatum; cum ad iniquitatem reſpicere non poſsis; id eſt, cum iniquitas, nec homo iniquus tibi placere poſsint. Eſt enim Deo odio iniquus, et iniquitas eius. *Et reſpicere &c.*) Cum coniunctio copulatiua *Et* variis fungatur officiis, hoc loco pro, *Nam*, accipi exiſtimo. Reſpicere vero ad iniquitatem; eſt placere iniquitatem, vel hominem iniquum, et fauere illi. Quod dictum eſt; Videre malum non poteris, dictum eſt, pro, Non ſoles. Sic enim aliquando ſcriptores ſacri loquuntur. Vt *Ioan. 1. g.* A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Et *Ioan. 5. c.* Non poteſt filius a ſe facere quidquam, niſi quod viderit patrem facientem. Ad iniquitatem ergo reſpicere non poteris, id eſt, Non ſoles gratis oculis intueri ſcelera, et ſceleratos homines. Quare ergo non reſpicis ſuper iniqua agentes? hoc eſt, cur nefarios homines ſinis inultos?

Totum in hamo ſubleuauit, traxit illud in ſagena ſua, & congregauit in rete ſuum. Super hoc lætabitur

bitur & exultabit. propterea immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo: quia in ipſis incraſſata eſt pars eius, & cibus eius electus. Propter hoc ergo expandit ſagenam ſuam, & ſemper interficere gentes non ceſſat. Habac. ibidem, d.

CAPVT LXV.

T*Otum in hamo &c.*) Totum frequenter vocant Hebræi quod in genere ſuo eſt magnum et excellens; atque ita hoc loco *Totum* pro præſtantiſsimo accipiendum eſt. Quidquid pulchrum, ait, et pretioſum habent gentes, deprædatur Rex Chaldæorum; quidquid opulentum, excellens, et præſtantiſsimum eſt in multis regnis, ſibi aufert. Eandem vim habent hæ voces, omnis, cunctus, vniuerſus, et ſi qua eſt alia vox eiuſdem ſignificationis: quæ dicuntur de re, quæ in genere ſuo eſt inſignis et excellens; ſiue in bonam, ſiue in malam partem, iuxta ſubiectum argumentum. Sic Propheta Dauid *Pſal.* 38. *a.* vniuerſam vanitatem dixit, pro maxima vanitate. Et *Iſai. cap.* 10. *c.* cuncta opera, ſiue cuncta ſupplicia dixit, pro grauiſsimis ſuppliciis. *In ſagena ſua*) *In*, pro *Cum*, nota effectiui apud Hebræos. Nam Hebræus ſermo effectiuo addit præpoſitionem *In*, id eſt, *Cum*. Vt percutere in gladio. Percutere in la-

 pide.

pide. Quidam locum ita vertunt: Colligitq. in ſagenam ſuã, et in rete ſuum conuertit. Alii vero aliter. Sed optime vertit vulgatus interpres. Vaſtationem et prædam, quam hoſtis Chaldæus in Ieruſalem, et in aliis aliorum regnorum ciuitatibus exercuit, Propheta aſsimilat piſcationi et capturæ piſcium, quæ fit hamo, vel reti. *Super hoc lætabitur &c.*) *Super*, pro *Cum*, quod in aliis locis contingit; iungitur effectiuo more Hebræo. Duo futura tempora poſita ſunt pro præſentibus, more etiam Hebræo. *Lætari*, pro *Ditari*, et proſpere habere. Idem eſt exultare. Huiuſmodi, inquit, ſpoliis multarũ gentiũ, ſe ipſum ditat Rex Chaldæorũ. Hiſpane *Con eſto triumfa, con eſta peſca ſe haze rico: con eſto eſta proſpero, y ſe ha hecho poderoſo. Propterea immolabit ſagenæ ſuæ &c.*) Propterea inquit, id eſt, quia ditiſsimus effectus eſt, et potentiſsimus, ſpoliis multarum gentium acceptis, immolat, &c. Pingui, inquit, præda, et opimis ſpoliis multarum gentium ditatus, proſpere agit, feliciter habet. Quod addit Propheta, *Immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo:* verba ſunt ſubobſcura. Quidam viri doctiſsimi locum in hunc modum exiſtimant explanandum. Immolare, vel ſacrificare, ponitur pro Gratias agere, vel Acceptum ferre. Ac ſi dicat Propheta, Rex Chaldæorum dum vaſtat gentes, et illarum ſpoliis ditatur; hæc omnia tribuit potentiæ ſuæ, cuncta accepta fert illi. Sed hæc ratio

locum

locum explanandi, numquam mihi placere potuit. Germanam intelligentiam arbitror eſſe, quam modo ſubiiciã. Duo datiui *Sagenæ*, et *Reti*, pro genitiuis ponuntur; quod fit in arcanis litteris aliquando, ex idiomate Hebræo. Ac rurſus genitiui illi pro auferendi caſu cum præpoſitione ponuntur. Quod etiam aliquando reperitur in Scripturis Sanctis ex eodem idiomate Hebræo, et ex alio genere Hebraiſmi. Itaque *Sagenæ ſuæ, & Reti ſuo*, poſitum eſt, pro *De ſagena ſua, & de reti ſuo*. Immolat, inquit, ſcilicet diis ſuis, illis offert ſacrificia de ſagena ſua, et de reti ſuo; hoc eſt, de ſpoliis gentium, quas vaſtauit et ſpoliauit. Vbi obſerua (quod aliis in locis expediet ad memoriam reuocare) aliquãdo ſubaudiri ſuppoſitum, vel appoſitum verbi, quod ſit congruens argumento propoſito, et ſubiectæ materiæ. vt hoc loco Immolabit (futurum eſt, pro præſenti) ſubaudi diis ſuis, vel idolis ſuis. Propterea, inquit, de iis, quæ expiſcatur, offert idolis ſacrificia et munera. Quidam coniiciunt, Sacrificare, et Immolare, hoc loco eſſe Perdere, et vaſtare gentes; ſicut aliquando Hoſtiam et ſacrificium appellant Prophetæ, pro cæde hominum. quaſi diceret Propheta; Non ceſſat Rex Chaldæorum expiſcari gentes multas, et earum ſpolia deripere; quia hoc cedit illi impune. Vel immolabit ſagenæ ſuæ; id eſt, opes ſuas, et triumphos tribuit viribus ſuis et potentiæ ſuæ; qua ſicut

 ſage-

ſagena, gentium opes expiſcatur. Gloriatur ergo de viribus ſuis, de potentia ſua, ſuper hoc exultat et lætatur. Hæc eſt iſtorum ſententia, ſed germanus ſenſus horum verborum is eſt, quem aſsignauimus. Sagenam ergo, et rete per Metonymiam vocat Propheta expiſcationem, id eſt, prædam et ſpolia multarum gentium. *Quia in ipſis incraſſata eſt pars eius &c.)* Aliquando Scriptores Sacri, ex proprietate linguæ Hebraicę, vtuntur nominibus, vel pronominibus relatiuis, quorum antecedentia non præceſſerunt voce, ſed tantum ſenſu, ex filo orationis. Vt *Oſeæ* 11. 4. Vocauerunt eos, vbi intelligendum eſt, Deos falſos et alienos, (nam de ipſis fit ſermo) cum tamen nomen Deorum non præceſſerit, aut exprimatur. Quod hoc loco factum videmus. Nam cum inquit Propheta, *In ipſis*: ſubintelligendum eſt, Diis eorum. id eſt, per Deos eorum incraſſata eſt pars eius: hoc eſt, ditatus eſt populus eius. Nam *pars* (ſicut in aliis locis) pro populo vſurpatur; Et *Incraſſari*, pro Pingueſcere et ditari opibus magnis. Inquit vero Propheta, per Deos ditatum fuiſſe Regem Chaldæorum, et populum eius; propterea quod cultores idolorum, bona quæcumque ſibi proueniebant, Idolis ſuis adſcriberent; dicerentq. illa ſibi mitti a Diis, quos colebant, et ab eis ſe accipere. Dicebat ergo Rex Chaldæorum, ſe ditatum ſpoliis multarum gentium, quas debellarat, et ſuperauerat auxilio

Ido-

Idolorum ſuorum. Propterea illis offerebat ſacrificia de præda, in ipſis, vel per ipſos Deos, vel auxilio eorum. *Et cibus eius electus)* hoc eſt, ſpoliis multarum gentium mirum in modum ditatus eſt. Vel multi de populo eius, ſpoliis gentium ditati ſunt. Hoc ſignificant hæc verba, *Cibus eius electus*. Quæ ſimilia ſunt proprietate loquendi phraſi Hiſpanę; *Tiene bien de comer*, cum aliquem diuitem volumus appellare. *Propter hoc ergo expandit ſagenam ſuam)* Quia, inquit, Rex Chaldæorum diues effectus ſimul cum populo ſuo, vel exercitu ſuo, de ſpoliis gentium; non ceſsat expandere ſagenam, id eſt, expiſcari, et deprædari, et interficere (id eſt, perdere, vexare, ſpoliare, et affligere) gentes. Hac eadem proprietate loquendi, in verbo occidendi, vel interficiendi, vtitur ſępe lingua Hiſpanorum. Hoſtis Chaldæus, inquit, opulentus, et potens effectus ex vaſtatione et præda Hebræorum, alias atque alias gentes debellare, et prædari pergit; vt earum ſpoliis magis ac magis diteſcat.

Dominus iuſtus in medio eius, non faciet iniquitatem: mane mane iudicium ſuum dabit in lucem, & non abſcondetur: neſciuit autem iniquus confuſionem. Sophoniæ 3. a.

CAPVT LXVI.

IN *medio eſſe*, hoc loco dictum eſt, pro curam gerere, protegere, vel eſſe iudicem, et gubernatorem. quaſi diceret, Deus curam gerit populi ſui, animaduertet ergo in principes viros illius iniquos, nec ſinet populum ſuum ab iniquis magiſtratibus vexari, et affligi. Quod vero ait ſanctus Propheta Sophonias, *Non faciet iniquitatem*, per interrogationem legendum videtur. alioquin, ſi vim verborum attendas, nullum aptum ſenſum excipies. Quod ſi vulgatus interpres, ſicut et ceteri, ſine interrogatione legit, inde eſt, quod ſermo Hebræus in ſcribendo, non habet ſignum interrogationis. quamquam mihi perſuadere non poſſum, quin Vulgatus interpres per interrogationem verterit. Conſulat diligens lector codices vetuſtiſsimos, quos ego ad manum non habeo. Facere vero, eſt punire et vlciſci; proinde *facere iniquitatem*, eſt, facere vindictam de peccatis. Nam aliquando iniquitas vſurpatur pro vindicta. Dominus Deus, inquit Propheta, cum gerat curam populi ſui, quem elegit: numquid non faciet vindictam de huiuſmodi ſceleribus principum eius? numquid hæc ſcelera ſinet inulta? nequaquam, quin potius de illis ſupplicium ſumet, et quidem mane mane: id eſt, citiſsime iudicium ſuum dabit in lucem. Repetitio eiuſdem vocis emphaſim

ſim habet, augetque vocis ſignificationem. itaque *mane mane* dictum eſt, pro valde mane: hoc eſt, citiſsime. Quibus verbis, vt ego mihi perſuadeo, alludit Propheta ad verba, quibus vti ſolebant illuſores Prophetarum, et increduli vaticiniis eorum, cum aliquid durum prædicerent. Vide *Ezechiel* 12. *f. g.* de quibus alibi agimus. Dare in lucē, eſt oſtendere. *Dare* ergo *in lucem iudicium*, id eſt, ſupplicium, eſt oſtendere vindictam, edere et proferre iudicium; hoc eſt, ſumere vindictam; oſtendere vltionem, et manifeſtare. Quemadmodum vero aliquando Scriptores Sacri, Diei appellatione intelligunt Principes viros, proceres, et magiſtratus Reipublicæ; vt *Iſa.* 28. *e.* ita et lucis nomen hoc loco viros illuſtres, magnates, et proceres ſignificare arbitror. Mittet, inquit, Dominus vindictam in lucem; id eſt, contra huiuſmodi iniquos Principes Reipublicæ. Sed quale erit iudicium, vel ſupplicium? leue ne? *Non abſcondetur*. Supplicium, inquit, illud non abſcondetur: hoc eſt, non erit obſcurum, non ignotum, non latebit. quaſi dicat, Erit ſupplicium famoſum, et grauiſsimum; tam grauis erit vltio, vt ſit famoſa, et a gentibus non poſsit ignorari. Nam ſupplicium, quod abſcondi, vel ignorari poteſt, et ad paucorum hominum notitiam venit, leue eſſe ſolet. Contra vero; quod grauiſsimum eſt, neminem ſolet latere. Qua proprietate loquendi dictum eſt a Propheta Nahum *cap,*

3. *a*. Non eſt (pro, non futura eſt) obſcura contritio tua. Itaque ait Propheta; Mittet Dominus ſupplicium et vindictam iſtis Principibus iniquis; et quidem grauiſſimam; quæ latere non poterit. *Neſciuit autem iniquus confuſionem*) Subita mutatio numeri eſt, more Prophetico. tranſit enim Propheta à plurali numero ad ſingularem. Præteritum ponitur pro Præſenti, more Hebræo. Neſciunt, inquit, iſti Principes iniqui, quanta confuſio, ſiue quam grauis vindicta illis parata ſit a Domino: ſcilicet, niſi conuertantur. Confuſio enim apud Sanctos Prophetas, pro plaga, et omni genere calamitatis appellari ſolet.

Quia tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & ſeruiant ei humero vno. Sopho. 3. b.

CAPVT LXVII.

Q*Via tunc reddam populis labium electum*) *Quia*, & *quoniam*; ſæpe in Scripturis Sanctis, ex idiomate ſermonis Hebræi, ponuntur pro *quod*, coniunctione declaratiua (vt vocant) vel ponuntur ad ornatum, pro *certe*: Hoc ergo loco Quia pro Cer-

te

te accipi debet. *Labium* pro ſermone (vt ſolet accipi lingua) atque ſubinde pro lege appellatur. Labium electum vocat legem perfectam, omnibus numeris abſolutam, ſanctiſsimam, et omni culpa, vt dixit Apoſtolus, vacantem. Eſt autem Prophetia de lege Euangelica, quæ ad omnes orbis nationes pertinet, cum alioquin ad legem Moſaicam vna gens Iudæorum teneretur. Dabo, inquit Dominus, legem quandam perfectam (hęc eſt lex Euangelica) omnibus populis, ſiue omnibus gentibus, vt inuocent etc. *Ut inuocent omnes in nomine Domini*) *Ut*, ex idiomate Hebræo pro *Et* ponitur. vt *Iſa.7.c.* Vt ſciat reprobare malum, pro, Et ſciet. Sic hoc loco, Vt inuocent, pro Et inuocabunt. Ruſusque *Et*, poterit accipi pro *Tunc*. Tunc, inquit, omnes ſcilicet populi, et nationes (nam præceſsit nomen populorum) inuocabunt nomen Domini: hoc eſt, colent Dominũ et Deum verum, deſerta Idolorum cultura. Nam Inuocare in nomine Domini, dictum eſt conſtructione Hebręa, pro Inuocare nomen Domini. Frequenter enim lingua Hebræa præpoſitionem *In* addit, vbi ſermo Latinus minime ea vteretur. Sic dicunt Hebræi: Implere, vel replere in bonis. Inuocare vero nomen Domini, phraſis Hebræa eſt, pro Colere Dominum, illique diuinos honores impendere. Eſt ergo vaticinium de conuerſione gentium ad cultum veri Dei, et fidem Ieſu Chriſti. *Et ſeruient ei*

humero vno) Humerus ponitur pro manu, ſicut et aliis locis ſacræ ſcripturæ. Omnes gentes, inquit Propheta, ſeruient Domino, ac colent eum vna manu. Phraſis Hebræa eſt, eademque prorſus Hiſpana; *Todas a vna mano.* Quo ſenſu Pagninus, et alii pro Humero vno, vel manu vna, verterunt, Conſenſu vno. Quia vero Manus nonnumquam pro Munere ponitur, et vnum pro eo, quod præſtantiſsimum eſt in genere ſuo: poſſent hęc verba ita exponi. Seruient ei manu vna, hoc eſt, Sacrificio gratiſſimo. Sicut ait Malachias *cap.* 3. *a.* Erunt offerentes ſacrificia iuſtitiæ. Et placebit Domino ſacrificium Iuda, etc. Rurſus quia Manus ſæpenumero ponitur pro Opere, poſſent ita exponi, Seruient ei operibus ſanctis.

Adhuc vnum modicum eſt, et ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam. Et mouebo omnes gentes: & veniet deſideratus cunctis gentibus: et implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum.
Aggæi 2. *b.*

CAPVT LXVIII.

Adhuc

A*Dhuc vnum modicum eſt &c.*) Adhuc, inquit, breue tempus reſtat vſque ad Meſsię aduentum. Conſueuerunt enim ſancti Prophetæ in ipſo ordine hiſtoriæ interſerere promiſsiones de Chriſto. *Et ego commouebo &c.*) Vacat *et*, ex idiomate Hebræo. Cum vero additur, et mouebo omnes gentes, *et* vacat etiam. Vel ponitur pro *tunc*. *Et ego commouebo cælum &c.*) Mouere, vel commouere, hoc loco eſt perdere, atque delere. Sicut *Pſal.* 45. Dedit vocem ſuam, mota eſt terra. Et *Pſal.* 81. *a. Ideo* mouebuntur omnia fundamenta terræ; id eſt, vaſtabuntur omnes Principes huius regionis, nimirum Iudęæ. Appellatione cæli, intellige Reges, et Principes gentium, more Prophetico: ſicut Terræ, et Aridæ appellatione, variæ orbis nationes ſignificantur; et Maris nomine inſulæ intelliguntur. Idem vero eſt, Inſulæ, et gentes. Per huiuſmodi vero gentium vaſtationem intellige earundem conuerſionem ad cultum veri Dei, et vocationem ad Euangelium Chriſti. Sic enim loqui ſolent ſancti Prophetæ, adumbrantes conuerſionem gentium; vt frequenter ſub huiuſmodi inuolucris verborum ad memoriam reuocamus. Sic etiam mare, et terram pro eodem accipere ſolent; vt diximus ſuper illud *Iſaiæ* 11. *c.* Sicut aqua maris operientis. Id explicat ſanctus Propheta Aggæus, cum addit; Et

moue-

mouebo omnes gentes, vbi *et* expoſitiue recte accipietur pro, *id eſt*: (quamquam pro *Cum* accipi poſsit) explicat enim Sanctus Propheta quid Terram, ſiue Aridam, et Mare appellauerit, nempe omnes gentes. *Et veniet deſideratus cunctis gentibus*) Cum *Et*, vt ſæpe diximus, frequenter in Scripturis Sanctis, ex idiomate Hebræo, vice multarũ particularũ accipiatur: non inepte hoc loco pro aduerbio tẽporis *Cum*, accipietur. Tunc, inquit, huiuſmodi commotionem, id eſt, conuerſionem gentium efficiã, cum venerit ille deſideratus cunctis gentibus. Nam huiuſmodi conuerſio gentium, ſæpe prædicta eſt a Sacris Vatibus, futura temporibus Meſsiæ, quæ ſunt tempora Euangelii, id eſt, tempora ab aduentu Chriſti Ieſu veri Meſsiæ vſque ad ſæculi conſummationem. Quod vero ait, *Deſideratus cunctis gẽtibus*; ne intelligas, Chriſtum Ieſum veniſſe deſideratum a gentibus. Quomodo enim gentes deſiderare potuerunt quem non credebant venturum, et de eius aduentu nullam habebant promiſsionem? Non enim gentibus eſt promiſſus, ſed populo Iſrael. Sed fuit deſideratus a Sanctis Prophetis per omne tempus, et a Sanctis Patribus ab origine mundi; a iuſtis, et ſanctis hominibus, per omne tempus; præſertim ab iis iuſtis, quorum tempore venit in mundum. Hi omnes eius aduentum ardentiſsime deſiderarunt, et optarunt vehementer videre diem illius, vt eſt in Euangelio. Sed quia

quia Chriſtus Ieſus non vni populo Iudæorum venit, non ad ſalutem illius tantum, ſed vniuerſis gentibus venit, et ad ſalutem omnium gentium: ideo dicitur veniſſe cunctis gentibus. Ille ergo, venit quidem deſideratus, et plurimum optatus a Sanctis Prophetis, et aliis viris iuſtis populi Iſraelitici; ſed non illis tantum venit, immo cunctis gentibus, omnes gentes ad Euangelium vocaturus. Datiuus ergo ille *Cunctis gentibus*, non pendet a voce *Deſideratus*, ſed a verbo *veniet*: Hiſpane dicitur; *Venir para todos*. Ideo non recte mihi vertiſſe videntur noui interpretes qui verterūt, veniet deſiderium omniū gentium, Veniet qui deſideratur ab omnibus gentibus. Vox *Deſideratus* emphaſim habet. Ille, inquit, deſideratus. *Et implebo domum iſtam gloria.)* Domum appellat templum illud Hieroſolymitanum: quod gloria et honore impletum eſt, quando Chriſtus Ieſus primus ore ſuo ſacratiſsimo Euangelium ſalutis æternæ prædicauit, in eoque miracula ſtupenda edidit, ſicut Sancti Euangeliſtæ teſtantur. Itaque templum illud præſentia Chriſti Ieſu veri Dei, honoratum eſt, et mirifice exornatum doctrina illius cæleſti, editis inſuper miraculis, et prodigiis admirandis. Ideo addidit Propheta, Magna erit gloria domus iſtius nouiſsimæ, plus quam primæ. Nam primum illud tēplum a Salomone conſtructum, & per Chaldęos combuſtum, nihil aliud habuit quam vmbras,

et

et typos eorum quæ futura erant in Eccleſia Chriſti, nihil præter infinitum prope aurum et argentum, et opes ampliſsimas, quæ elucebant in iis quæ ad miniſterium templi dedicata erant. At vero ſecundum templum, id eſt, primum illud ab incendio inſtauratum, licet opibus non æquaret primum, in hoc tamen longe ſuperauit, quod præſentia Meſsiæ promiſsi, veri Dei; et aliis quæ diximus, fuit honoratum. Maior ergo fuit gloria, maior honos, et ſplendor ſecundi templi, quam primi.

Quare et vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit: Honora patrem, & matrem. Et, Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri: Munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit: Et non honorificabit patrem ſuum, aut matrem ſuam: Et irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram.

Matth. 15. *a.*

CAPVT LXIX.

Taxat

TAxat Chriſtus Ieſus auaritiam Phariſęorum, qui vt ſuis commodis inſeruirent, inter alias traditiones legi diuinæ contrarias, hanc quoque ſtatuerant: vt qui munus aliquod in templo Domini offerret (quod cedebat in vſus Sacerdotum, et miniſtrorum templi) liber eſſet a pœna mortis, qua lex punire iubebat eum qui probra in patrem, aut matrem conieciſset: nec teneretur honorare, id eſt, alere parentes in egeſtate conſtitutos. Vere in iſtis Phariſæis implebatur illud *Oſeæ* 4.*b*. Peccata populi mei comedent, *pro comedebant*; et ad iniquitatē eorum ſubleuabunt animas eorū, (pro ſubleuabant, ſiue eleuabant deſideria ſua.) Ad inueſtigandū ſenſum germanum huius loci perobſcuri, plurimum agit cognitio proprietatum Hebraicarum, quas habent quædam voces quæ in eo ponuntur. Ac primum quidem futurum *Dixerit*, pro poteſt dicere accipiendum eſt. Habet enim hanc vim aliquando futurum apud Hebræos. Futurum vero *Honorificabit*, aliam vim habet, quæ etiam eſt in vſu Hebræis. Nam *honorificabit*, pro *tenebitur honorificare*, id eſt alere, poſitum eſt. Honorare enim, vel honorificare, pro alere poſitum eſt, ex proprietate linguæ Hebraicæ. Sic enim Hebręi aliquando accipiunt voces Honorandi, vel honorificandi, et Honoris. Vt *Nume*. 24.*b*. Dominus priuauit te honore

diſpo-

Digitized by Google

diſpoſito, id eſt, ſtipendio et mercede a me tibi decreta. Et Apoſtolus 1. *ad Tim.* 5. *c.* Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur. hoc eſt, duplici, vel ampla mercede. Maledicere hoc loco eſt probra coniicere. Hunc locum pertractans D. Marcus *c.* 7. *b.* ait, Vos autem dicitis, Si dixerit homo patri, vel matri Corbam quod eſt donum, quodcumque ex me, tibi profuerit. Oratio eſt defectiua, reticetur enim altera pars ſententię, quam oportet ſubintelligere his verbis, vel aliis ſimilibus. Si dixerit homo patri, vel matri Corbam, quod eſt donum: quodcumque ex me (vel a me, ſcilicet oblatum fuerit in templo) tibi profuerit (vel tibi etiam proderit, pro te etiam offeretur;) liber erit a lege, nec tenebitur honorare, id eſt alere parentes. Nihil contra legem faciet, nec transgreſſor legis cenſendus eſt. *Si dixerit etc.*) Vetera exemplaria habent, Quicumque dixerit, id eſt, dicere poteſt. Dicere pro Maledicere poſitum eſt, et Homo pro aliquis. Sicut vero dicere et loqui, aliquando in Scripturis Sanctis ponũtur pro facere (vt verbum pro facto, pro re;) Sic maledicere hoc lococo eſt nocere, et manus violentas iniicere in Patrem, aut Matrem. Ita ergo diſpungendus eſt locus. Si dixerit, vel maledixerit homo patri, vel matri; *Si tamen dixerit*, Munus quodcumque ex me, vel a me; ſcilicet oblatum fuerit in templo, o pater, vel mater, tibi *etiam ſicut et mihi* proderit,

rit, *quia pro te etiam offero illud*. quaſi dicat, Si quiſquam maledixerit patri, vel matri; ſi tamen offerat munus in templo Domini, oratio eſt eclyptica; ſcilicet, is nequaquam morte morietur. Liberatur enim a pœna legis propter oblationem. Pręterea quia oblationem fecit in templo, non tenebitur honorare, id eſt alere parentes ſuos. Videte, *dicebant Phariſæi*, quanta res ſit munera offerre in templo Domini; Per huiuſmodi enim oblationem homo liber fit a pœna mortis, ſi patri vel matri maledixerit; et liber fit a præcepto legis, iuxta quod alias teneretur alere parentes. Nec placet eorum ſententia, qui exiſtimant verba hæc, Munus quodcumque ex me tibi proderit, eſſe Sacerdotis ad eum qui maledixerit patri, vel matri, vel potius eſſe verba eius, qui maledixerit patri vel matri; ad Sacerdotem. Sed verba ſunt filii ad patrem, vel matrem in egeſtate conſtitutam, dicta ex conſilio Phariſæorum. Eadem ratione explicanda ſunt eadem fere verba in hoc loco Matthæi. Quicumque dixerit, id eſt, dicere poteſt, et non honorificabit, id eſt non tenebitur honorare; quod eſt alere parentes. Denique Phariſæi ſtudioſi auaritiæ, docebant filios offerre munera in templo, et ita loqui ad parentes ſuos in egeſtate conſtitutos: Quodcumque munus ex me, tibi proderit, hoc eſt, quæcumque oblatio a me, vel per me fuerit ſcilicet in templo præſentata, tibi etiam proderit o

X pater.

Digitized by Google

pater. Non enim pro me tantum hoc munus offero, ſed etiam pro te. Quod ergo tibi eram daturus ad inopiam tuam ſubleuandam, hoc ego Deo, et miniſtris eius offero in templo, *Por tanto ſed contento, y teneldo por bueno: pues lo doy a Dios, y tambien lo offrezco por vos, como por mi: y a vos ſeñor Padre no os faltara la merced de Dios.* Futura, *Dixeris*, & *Honorificabit*, pro temporibus Imperatiui accipi poſſunt, more Hebræo. Atque hoc imperando dixiſſe Phariſæos, videntur oſtendere verba *Diui Marci cap. 7. b.* Et vltra non dimittitis eum quicquam facere patri ſuo. Dicebant ergo Phariſæi, interpretando legem (vt ipſi fingebant) omnes filii qui parentes habent inopia laborantes, non illos honorent, ſiue alant; quin potius offerant oblationes in templo pro ſe, & parẽtibus: Hoc enim *dicebant* gratius eſt Deo, dicantq. illis: quidquid in templo offero, vobis etiam, o parentes proderit: Nam pro vobis etiam offero illud. *Et non honorificabit &c.*) Verba ſunt Phariſæorum. Quicumque filius, *dicebant*, licet habeat patrem inopia laborantem, poteſt offerre in templo pro ſe, et pro patre, id quod alias daturus erat patri ad victum. Atque ita Non honorificabit, id eſt non tenebitur honorificare, ſiue alere patrem, aut matrem. Vere huiuſmodi ſacrificia, et oblationes, ſunt, quas ſe exoſas habere, dicit Dominus *Oſee 9. a.* Sacrificia eorum quaſi panis lugentium (id eſt, ſunt Deo

ingra-

ingrata, ſicut ea quæ fiunt de victu neceſſario lugentibus, ſiue pauperibus) Omnes qui comedent &c. Hoc explicat aliquantulũ magis D. Marcus: Et vltra non dimittitis eum quidquã facere patri ſuo. id eſt, non permittitis vt aliquid impendat patri ſuo, ad illius inopiã ſubleuandam; ſed dicitis illud totum offerendum in tẽplo. Dicebant ergo Phariſæi, Nos qui ſumus Diuinæ legis interpretes, quibus commiſſa eſt illius intelligentia & interpretatio, ita decernimus intelligendum pręceptum de honorandis, vel alendis parentibus. Munus quodcumque a me *Subaudi* proficiſcitur, vt quidam vertit. *Et irritum feciſtis*) *Et*, pro *Itaque*, vel *denique*. poteſt etiam accipi pro *Sic*. D. Marcus ait *Bene*, irritum feciſtis præceptum Dei, vt traditionem veſtram ſeruetis. Vbi Bene, per ironiam dictum eſt, nec ſimul ea vox cum ſequentibus proferenda, aut legenda eſt, ſed commate intercedente. Latine dicimus, Bene habet, Ironicos; atq. ita quidam pro Bene vertunt Pulchre, alii Belle. Bene, inquit, Hiſpane *Eſta muy Bien, eſta muy Bien hecho*, etiam Ironice dicimus. Eſt ergo Ironia, quaſi dicat, Deſpicitis mandatum Dei propter traditionem veſtram.

Et Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.
Matth. 16. *c.*

CAPVT LXX.

PORTAE aliquando in Scripturis Sanctis ponuntur pro iudicio, quia Iudicia in portis ciuitatum agebantur apud Hebræos. Rurſus Iudicium nonnumquam pro Regno, atque adeo pro potentia poſitum inuenitur; propterea quod olim apud veteres Hebræos, qui in populo imperabat, quique ſummũ magiſtratum gerebat, eratque velut Rex, Iudex eſt appellatus. Atque hinc portas pro potentia non inepte dixeris vſupari. Atque is modus amplificandæ ſignificationis, ſæpe reperitur in arcanis litteris, ex idiomate ſermonis Hebræi. Inferus vero, vel infernus, aliquando pro morte accipitur. Portæ ergo inferi, idem eſt quod iudicium Mortis; hoc eſt, potentia mortalium, ſiue hominum. Omnium gentium potentia non præualebit aduerſus Eccleſiam. Nulla potentia ſiue Ethnicorum, ſiue hæreticorum, ſiue alterius generis hominum, poterit eam peſſundare, et de terrra penitus delere. Portæ ergo inferi hoc loco potentia mortalium appellatur, omnium gẽtium poteſtas, & (ſpecie pro genere accepta) omnis humana felicitas; ita vt ſapientiam hominum, et quidquid præter potentiam, & ſapientiam, alicuius æſtimationis eſt apud homines, intelligamus. Nullæ vires hominum, inquit Chriſtus, nulla potentia humana, dabit finem Eccleſiæ,

quamdiu mundus hic quem cernimus, conſtiterit. Atq. ita ſi repetamus veteres hiſtorias ab initio naſcentis Eccleſiæ, inueniemus ipſam Chriſti Eccleſiam numquam periiſſe, ſed de variis ſectis, et variis erroribus triũphaſſe; ſuperiorem omnibus extitiſſe. Hanc peſſundare non potuerunt Reges gentium, Romani Imperatores in eam furentes, atrociſsimi perſecutores nominis Chriſtiani, non vlla ſapientia Philoſophorum, non vlla ſapientia carnis, non vlla tyrannorum vis et ſæuitia incredibilis, non vlla ſecta Barbararũ gentium, non multæ hæreſes, non vlla ſchiſmata, non praui mores malorum hominum Chriſtianorum, nullæ denique vires humanę Chriſti Eccleſiam extinguere potuerunt, ſed nec poterunt &c. Hæc eſt illa Petri nauicula, *Matthæi* 14. *c.* quæ iactatur fluctibus maris, ſed non ſubmergitur, nec perire poteſt: quia Eccleſia Chriſti, licet perturbationibus hæreticorum, & diuerſarum gentium illi aduerſantium, concutiatur: tamen non deficiet vſque ad ipſam ſæculi conſummationem, quia Deum protectorem habet, cui quis reſiſtet? Fundauit eam in æternum homo Deus Chriſtus Ieſus perpetuis temporibus duraturam, donec orbis conſtiterit. Itaque Portæ inferi, Regna magna & potentiſsima ſignificant. Omnia regna terræ, regna gẽtium licet alioquin potentiſsima, non præualebunt aduerſus eam. Nam quia Portæ aliquando pro Cœtu ap-

pellantur (conueniebant enim apud Hebræos cœtus hominum in portis ciuitatum, quaſi in foro) poſſunt hoc loco pro populis, et gentibus intelligi. quaſi diceret, Omnes gentes orbis non præualebunt aduerſus Eccleſiam meam. Aliquid vero mortis, vel inferni, vocant Scriptores Sacri ex proprietate linguæ ſuæ, quod magnum eſt in genere ſuo, ſiue in bonam, ſiue in malam partem. Sic Regius vates Dauid *Pſal.* 17. *a.* Dolores mortis, et Dolores inferni appellat pro doloribus maximis. Et *Pſal.* 114. Dolores mortis nominat, et Pericula inferni. Et *Pſal.* 17. *a.* Laqueos mortis vocat. Simplex et germana expoſitio videtur, ſi Portas inferi, pro domo ſepulcri, vel habitaculo mortuorum, dicas appellari; vel pro regnis mortalium (ſicut aliquando Portę pro domo, et aliquando pro ciuitate appellantur) atque inde pro potentia.

Gloria in altiſſimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Lucæ 2. b.

CAPVT LXXI.

SIC locus diſpungendus eſt. Gloria *canunt Angeli*, ſiue laus ſit Deo, in cælis, et in terra. eſtque ſubintelligenda particula Quia, vt ſit ſenſus, *Quia* eſt

pax

pax hominibus, vel quia illa pax promiſſa, illa felicitas (id enim ſæpe ſignificat nomen Pacis) promiſſa, ille Pacificus venit hominibus, ſiue ad remedium generis humani. Pax ergo pro pacifico accipi poteſt, denominatione poſita pro denominato. Pacificus ille, ſiue Rex ille feliciſsimus, id eſt, ampliſsimus, maximus, potẽtiſsimus, Meſsias vulgo vocatus, *eſt in* hominibus, hoc eſt, inter homines; vel venit ad homines, et venit hominibus, & factus eſt homo. Venit autem Rex ille maximus, qui Deus verus eſt, vt nos de poteſtate dæmonis eriperet, non ob merita noſtra, ſed bonæ voluntatis. Obſeruare oportet hoc loco vſum Hebræum Genitiui in litteris Sacris. Aliquando enim pro accuſatiuo cum præpoſitione ponitur; atque huius conſtructionis Hebraicæ alibi pleraque adducemus teſtimonia Sacrarum litterarum; nunc paucis contenti erimus. 3. *Reg.* 15. *b.* Excepto ſermone Vriæ, de quo Hebraiſmo alibi agimus. Et *Lucæ* 2. *f.* Aſcendentibus illis Hieroſolymam, ſecundum conſuetudinem diei feſti, pro eo quod eſt, Aſcendentibus illis Hieroſolymam, ſecundum conſuetudinem, ad diem feſtum. Sic hoc loco, Bonæ voluntatis, dictum eſt pro Propter bonam voluntatem. Nam Bona voluntas, idem eſt quod magna miſericordia, propterea quod voluntas aliquando in Scripturis Sanctis, ex proprietate ſermonis Hebræi, pro miſericordia vſur

patur. Inde fit vt bona voluntas idem ſit quod magna miſericordia. Vt *Pſal.* 5. Scuto bonæ voluntatis tuę coronaſti nos, id eſt, bona voluntate, ſiue magna miſericordia tua, quaſi ſcuto circumdas nos. Et *Pſal.* 50. *b.* Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion. In bona voluntate tua, dictum eſt pro eo quod eſt, Pro magna miſericordia tua. Et *ad Philip.* 2. *b.* Qui operatur in vobis et velle, et perficere pro bona voluntate, ſcilicet ſua. Et idem Apoſtolus alibi, Per voluntatem Dei. Bonus autem ponitur pro Magnus. qua proprietate loquendi ſermo etiam Hiſpanus vtitur; atque ita ea vox vſurpatur in duobus teſtimoniis Regii Vatis Dauid, quæ adduximus. Scio aliter legi Græce, ſed editio vulgata aptiſsimum ſenſum reddit: Quamquam et ipſa Græca eundem ſenſum habent, quæ hic leguntur in quibuſdam exemplaribus, In hominibus bona voluntas, hoc eſt, Quia erga homines magna eſt miſericordia, ſcilicet Dei, dum filium ſuum miſit ad homines, vt pro eis mortem ſubiret factus homo. Meſsias ergo promiſsus (qui eſt Chriſtus Ieſus, Rex noſter) vocatus eſt Pax, ſiue Pacificus, id eſt, Rex feliciſsimus, quod eſt, maximus, potentiſsimus, quia Rex et Dominus omnium gentium, et omnium quæ ſubſiſtunt, conditor. Venit autem Rex ille maximus vt nos redimeret, non ob merita noſtra, ſed bonæ voluntatis, hoc eſt, propter magnam miſeri-

cor-

cordiam ſuam, ſicut ait Apoſtolus *ad Titum* 3. *b*. Apparuit benignitas, et humanitas Saluatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos; ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit. Cum vero Pax nominatur, res ponitur pro perſona, conſuetudine ſanctarum ſcripturarum: habetq. ea vox emphaſim, et ſonat idem quod Illa pax, nempe Meſsias, qui eſt Chriſtus Ieſus; qui in Epiſtolis Apoſtolorum Pacis nomine appellatur. Eſt itaque ſenſus horum verborum: Gloria, ſiue laus ſit Deo, pro ſua magna miſericordia; nam iam eſt in terra, vel iam venit in terram Pax illa promiſſa; venit inquam hominibus, id eſt, ad hominum vtilitatem, et mundi redemptionem.

Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace:

Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum,

Quod paraſti ante faciem omnium populorum.

Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael. *Lucæ* 2. *e*.

CAPVT LXXII.

SANCTVS Simeon cum intelligeret (& vaticiniis Prophetarum inſtructus, et pręſertim a Spiritu Sancto edoctus) prope eſſe aduentum Meſsiæ promiſsi, ſeq. præ ſenectute videret morti propinquũ: anxie deſiderabat vt illius aduentus, & natiuitas in terra ex virgine matre, obitum ſuum antecederet, et illum expectatum, et deſideratum a iuſtis hominibus de populo Iſrael, videre prius quã vinculis carnis ſolueretur. Ideo conſolatur eum Dominus interno afflatu, cæleſtiq. oraculo promittens, quod non viſurus eſſet mortem, id eſt, non eſſe moriturum, donec vidiſſet Meſsiam promiſſum. Cum vero ipſum Meſsiam accepit in brachiis, accepta Spiritus ſancti reuelatione quod ille eſſet Meſsias, quem videre deſiderabat, in mirabile Canticum ab ipſo cæleſti Spiritu dictatum, prorupit. Fuit enim conſuetudo illius populi, ab ipſo Moſe accepta, qui tranſitum maris Rubri cantico celebrauit, *Exo.* 15. Fuit inquam conſuetudo iuſtorum, vt qui inſigne aliquod, et inuſitatum beneficium accepiſſet; Canticum nouum componeret, quo magnitudinem beneficii celebraret, et Deo optimo maximo auctori gratias ageret. Similiter Debora, Iudith, et Rex Ezechias. Lege *Iudic.* 5. *& Iudith* 16. *& Iſa.* 38. Sed et Sanctiſsima virgo Maria, cum eſſet Mater Dei effecta (quo beneficio et munere, nul-

lum

lum maius capere poteſt natura humana) Cantico eximio et celeberrimo plena cæleſti ſpiritu, cecinit gratiarum actionem Domino, Diuinam bonitatem amplificauit. Similiter Zacharias pater D. Ioannis Baptiſtæ. Hunc ergo morem tam celebrem, et a viris iuſtis receptum, vir iuſtus Simeon imitatus eſt. Nunc,inquit, dimittis in pace ſeruum tuum, iuxta promiſsionem tuam. Quia Pacis nomen frequenter in arcanis litteris ſignificat genus omne humanæ felicitatis; Dimittere ſeruum in pace, ſiue pacificum; eſt relinquere (vt ita loquar) conſolatum, et contentum. *Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum)* Hoc ſalutare, id eſt, ingens et maximum bonum, eſt Ieſus Chriſtus verus Deus, et verus homo, qui eſt Meſsias promiſſus in lege, et Prophetis, et ſub verborum tegumẽtis, atque variis rerum inuolucris adumbratus, tandem miſſus a Patre cæleſti cum venit plenitudo temporis. Et quia hoc ſalutare, qui eſt Filius Dei promiſſus a Patre per Sanctos Prophetas, venit in mũdum, inquit ſanctus Simeon, Secundum verbum tuum. *Quod paraſti ante faciem omnium populorum)* Sic aliquando loquuntur Sacri Vates, Reuelabit iuſtitiam ſuam, vel Iuſtum ſuum, in conſpectu omnium gentium. *Pſal.* 97. Nam parare hoc loco eſt manifeſtare, vt 1. *Reg.* 2. *a.* Ipſi preparantur (ſiue manifeſtæ ſunt) cogitationes. Niſi malis hoc loco Parare pro Mittere, vel Deſtinare poſitum

tum

tum eſſe. Eſt enim Parare Hebræis, verbum multarum ſignificationum. Præterea, Ante faciem omnium populorum, locutio Hebræa eſt, pro Omnibus populis. Miſiſti, inquit, ſalutare tuum, Ieſum tuum omnibus populis, ad ſalutem omnium populorum, et omnium gẽtium. Non vnius tantum populi Iſrael, eſtq. huiuſmodi locutio eiuſdem generis cum illa, Coram te, pro Tibi. Hoc genus locutionis aliis locis Sanctarum Scripturarum reperitur, vt *Pſal.* 56.*b.* Foderunt ante faciem meam (pro mihi) foueam. Et *Pſal.* 72.*c.* Hoc labor eſt ante me. id eſt, hoc indagare, mihi erat labor et cura. Et *Iſa.* 45.*a.* Subiiciam ante faciem eius (pro, ei) gentes. Vidi, inquit, oculis meis Salutare tuum, quod mittis omnibus populis, vt ſit illis lux, et vita. *Lumen ad reuelationem gentium etc.*) Vox *lumen* non caret emphaſi hoc loco. Illud lumẽ inquit, a te promiſſum ad gentes illuminandas, de quo Iſaias *cap.* 49.*b.* Dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. Repetenda autem ſunt quæ præceſſerunt, hoc modo: *Viderunt oculi mei* lumen illud *quod paraſti, & habuiſti, vel miſiſti* ad reuelationem, ſiue illuminationem gentium; vel ad illuminandas gentes. Repetitio fit Antecedentis quo ad ſenſum, licet mutata voce. Solent enim interdum Scriptores Sacri, ex vſu linguæ ſuæ, loco Nominis, vel Pronominis relatiui, vti repetione antecedentis quo ad ſenſum, quamuis mutata

tata voce. Vt *Pſal. 72. a.* Zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns, pro eo, quod eſt, Pacem eorum videns. Nam certe iidem ſunt iniqui, et peccatores. Eodem ergo genere locutionis dictum eſt hoc loco, Quod paraſti ante faciem omnium populorum, et ad reuelationem gentium; pro eo quod eſt, ad reuelationem eorum. Nam voce Gentium, idem ſignificatur quod voce Populorum. Lumen ad reuelationem, dictum etiam videtur per Hebraiſmum, pro Lumine tantum, vel Lumine fulgentiſsimo. Lumen ergo, et Gloria, pro Rege ponuntur, habentque hæc nomina emphaſim. Significant enim Regem illum, nempe Meſsiam promiſſum. Atq; ii duo accuſatiui a verbo videndi, mihi pendere videntur, hoc modo. Viderunt oculi mei ſalutare tuum, viderunt lumen illud per quod illuminandæ ſunt gẽtes, quæ denſiſsimis errorum tenebris ſunt obcæcatæ, ſicut dixit Iſaias *cap. 49. b.* Dedi te in lucem gentium. Lumen ergo aliquando pro Rege appellatur. vt *Iſa. 10. d.* Erit lumen Iſrael in ignem. *Et gloriam plebis tuæ Iſrael.*) Hoc etiam loco eadem verba repetere oportet. Huius loci germanam intelligentiam eſſe arbitror, quam modo ſubiiciam. Gloria nonnumquam in Scripturis Sanctis (ſumpta denominatione pro denominato) pro Glorioſo, id eſt Rege, et Principe, appellatur; atque ita hic ea vox eſt accipienda, nec ſine emphaſi, vt diximus de voce Lumen.

Itaq. gloriam Iſraelis vocat Regem illum a Deo promiſſum per ſanctos Prophetas, quem Meſsiam vocabant; qui ſecundum carnem ex genere Iudęorum eſset oriundus; quique ſub nomine Regis Iſrael eſt prædictus: vt *Zacha.9.b.* Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit. Hoc ſalutare, hoc lumen, inquit ſanctus Simeon, miſsũ fuiſse ad ſalutem omnium gentium, non tantum vnius populi Iſrael. Sancti enim Prophetæ pleni cæleſti ſpiritu, ſæpe, ſermone licet ſubobſcuro aliquãdo, prędixerunt Chriſtum Ieſum venturũ ad redemptionẽ totius orbis, ſiue ad ſalutem omnium gentiũ, nullumq a gratia Euangelii arcendum. Quod ſanctus Simeon inter ceteros, his verbis apertiſsime vaticinatus eſt. De hac re frequenter D. Paulus in ſuis Epiſtolis. Denique quia Gloria aliquando in Scripturis Sanctis, ſonat idem quod Deus, (vt alibi obſeruamus) Gloriã Iſrael vocat ſanctus Simeon Deum verum, quem pro Deo colebat populus Iſrael; qui, cum venit plenitudo temporis, factus eſt homo. Vidi, inquit, oculis meis Saluatorem illum iam olim promiſsum a te, quem miſiſti omnibus populis, ſiue ad ſalutem omnium gentium. Hoc idem eſt quod Regius Vates Dauid ait *Pſal. 97. a.* ſimili vſus genere locutionis, In conſpectu gentium reuelauit iuſtitiam ſuam. Iuſtitiam dixit pro Iuſto. Miſit, inquit, omnibus gentibus iuſtum ſuum, illum vtique iuſtum, de quo dictũ eſt *Iſa.61.d.* Videbunt

gen-

gentes iuſtum tuum. Eandem rem iiſdem pæne verbis cecinit idem Sacer vates Iſaias *cap.* 52.*c.* Parauit Dominus brachium ſanctum ſuum in oculis omnium gentiũ. Hæc eſt iuſtitia quæ *Danielis cap.* 9. *f.* vocatur iuſtitia ſempiterna, ſiue Iuſtus ſempiternus, id eſt Rex maximus. Vidi, inquit, ingens illud bonum quod per Prophetas pollicitus es remiſſurum. Nam ſalus, vel ſalutare, ſæpe Hebræis ſignificat genus omne bonorum; et idem quod bonum. Fortaſsis eſt hendiadys, Lumen, et Gloria; pro Lumen glorioſum: id eſt, Rex maximus. Poteſtq. Gloria pro Deo (vt modo diximus) vſurpari. Nam quia Gloria in Diuinis litteris non raro eſt idem quod maieſtas, aliquando etiã ſonat idem quod Deus, vt *Pſal.* 56.*b.* Exurge Gloria mea, hoc eſt, mi Deus, exurge ſcilicet in auxilium meum. Et *Pſal.* 107. Cantabo, et pſallam in gloria mea. Id eſt, Coram Deo meo. Licet alii aliter voce Gloriæ accipiant in his locis. Fortaſsis ſic accipienda eſt vox Gloriæ *Pſal.* 111. Cornu eius exaltabitur in gloria: Hoc eſt, felicitas eius magis ac magis per Deum augebitur. Et *Pſal.* 84. Verumtamen prope timentes eum ſalutare ipſius, vt inhabitet gloria in terra noſtra. Hoc eſt, Cum Deus habitabit in terra, cultoribus ſuis aderit ſalus, atque magna felicitas bonorum, videlicet ſpiritualium. Et *Pſal.* 3. Gloria mea. Niſi malis Gloriã pro Gloriatione accipere. Poſſunt hæc verba hac ratione explanari.

Quia

Quia Gloria aliquando ponitur pro Miſericordia, & Miſericordia frequenter pro Promiſsione, in Scripturis Sanctis: factum eſt vt Gloria pro Promiſsione ponatur. Genitiuus etiam *Plebis tuæ* poſitus eſt pro Datiuo. Sicut Apoſtolus *ad Roma.* 15. *a.* Promiſsiones Patrum dixit, pro Promiſsionibus Patribus factis. Coniunctio vero copulatiua, quæ multarum particularum vice fungitur apud Hebræos, hoc loco poſita eſt pro Præpoſitione, vt ſit ſenſus: Viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod (iuxta promiſsionem factam plebi tuæ Iſrael) miſiſti ad ſalutem omnium gentium. Nam Deus per Prophetas, et alloquens Patres veteres, promiſit ſe miſſurum Meſsiam: Sic D. Paulus *ad Roma.* 15. *a.* ait Chriſtum Ieſum fuiſse miniſtrum circumciſionis propter veritatem Dei (id eſt, iuxta promiſsa Dei) ad confirmandas promiſsiones Patrum. Sic ergo habet Canticum ſancti Simeonis. Nunc conſolatum, vt ita dicam, me relinquis; quia viderunt oculi mei illud ſalutare tuum, id eſt, a te promiſsum, et exhibitum, quod paraſti, miſiſti, et exhibuiſti omnibus gentibus, ſiue ad ſalutem omnium gentium. *Et viderunt oculi mei* illud lumen *quod paraſti, vel miſiſti* ad illuminandas gentes. Viderunt, inquam, oculi mei gloriam illam, ſiue regem illum Iſrael, qui vocatur Meſsias, qui regnaturus eſt in domo Iacob; et Meſsias promiſsus, et Rex Iſrael appellabatur. vt

Ioan. 12. *b.* id eſt, ille Rex promiſſus populo Iſrael, et Rex futurus populi Iſraelitici. Quod ait ſanctus Simeon, *Et gloriam*, coniunctio *Et* poteſt accipi expoſitiue pro *id eſt*, Viderunt, inquit, oculi mei Saluatorem tuum, id eſt, a te miſſum; et gloriam, id eſt, Deum populi tui Iſraelitici; ſiue Ieſum tuum, quem pro Deo colit populus tuus Iſrael.

Nihil tuleritis in via, neque virgam &c.
Lucæ 9. a. & Matthæi 10. b.

CAPVT LXXIII.

SCIO quam multa in hunc locum, a viris litteris et pietate celeberrimis, afferantur circa virgæ prohibitionem, quam *apud Marcum cap.6.b.* Chriſtus concedit Diſcipulis ad prędicandum Euangelium euntibus. Ego, qui Sanctiſsimorum et Doctiſsimorum virorum veſtigia deoſculari nō mereor, aliquid noui afferre conabor, quod tamen nihil habeat aduerſum doctrinæ et ſinceritati Eccleſiæ Catholicæ, ſed aliquid lucis inferre poſsit loco impedito et inuoluto. Et quidem omnes fatentur, cum apud Marcum Chriſtus concedit virgam

y ferre

Quia Gloria aliquando ponitur pro Miſericordia, & Miſericordia frequenter pro Promiſsione, in Scripturis Sanctis: factum eſt vt Gloria pro Promiſsione ponatur. Genitiuus etiam *Plebis tuæ* poſitus eſt pro Datiuo. Sicut Apoſtolus *ad Roma.* 15. *a.* Promiſsiones Patrum dixit, pro Promiſsionibus Patribus factis. Coniunctio vero copulatiua, quæ multarum particularum vice fungitur apud Hebræos, hoc loco poſita eſt pro Præpoſitione, vt ſit ſenſus: Viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod (iuxta promiſsionem factam plebi tuæ Iſrael) miſiſti ad ſalutem omnium gentium. Nam Deus per Prophetas, et alloquens Patres veteres, promiſit ſe miſſurum Meſsiam: Sic D. Paulus *ad Roma.* 15. *a.* ait Chriſtum Ieſum fuiſse miniſtrum circumciſionis propter veritatem Dei (id eſt, iuxta promiſsa Dei) ad confirmandas promiſsiones Patrum. Sic ergo habet Canticum ſancti Simeonis. Nunc conſolatum, vt ita dicam, me relinquis; quia viderunt oculi mei illud ſalutare tuum, id eſt, a te promiſsum, et exhibitum, quod paraſti, miſiſti, et exhibuiſti omnibus gentibus, ſiue ad ſalutem omnium gentium. *Et viderunt oculi mei* illud lumen *quod paraſti, vel miſiſti* ad illuminandas gentes. Viderunt, inquam, oculi mei gloriam illam, ſiue regem illum Iſrael, qui vocatur Meſsias; qui regnaturus eſt in domo Iacob; et Meſsias promiſsus, et Rex Iſrael appellabatur. vt

Ioan.

Ioan. 12. *b.* id eſt, ille Rex promiſſus populo Iſrael, et Rex futurus populi Iſraelitici. Quod ait ſanctus Simeon, *Et gloriam*, coniunctio *Et* poteſt accipi expoſitiue pro *id eſt*, Viderunt, inquit, oculi mei Saluatorem tuum, id eſt, a te miſſum; et gloriam, id eſt, Deum populi tui Iſraelitici; ſiue Ieſum tuum, quem pro Deo colit populus tuus Iſrael.

Nihil tuleritis in via, neque virgam &c.
Lucæ 9. *a.* & *Matthæi* 10. *b.*

CAPVT LXXIII.

SCIO quam multa in hunc locum, a viris litteris et pietate celeberrimis, afferantur circa virgæ prohibitionem, quam *apud Marcum cap.* 6. *b.* Chriſtus concedit Diſcipulis ad prędicandum Euangelium euntibus. Ego, qui Sanctiſsimorum et Doctiſsimorum virorum veſtigia deoſculari nō mereor, aliquid noui afferre conabor, quod tamen nihil habeat aduerſum doctrinæ et ſinceritati Eccleſiæ Catholicæ, ſed aliquid lucis inferre poſsit loco impedito et inuoluto. Et quidem omnes fatentur, cum apud Marcum Chriſtus concedit virgam

ferre in via diſcipulis ſuis, virgam illic eſſe baculum quo pedites inniti ſolent. Sed difficile eſt iudicare quid ſit virga, cum eam ferre prohibet illis apud Matthæum, & Lucam. Qua in re vt meam ſententiam aperiam, primũ obſeruare oportet, quod apud omnes in confeſſo eſt, ſcilicet Scriptores Sacros aliquando alludere ad conſue tudines quarundam gentium. Præſertim cum eo tempore quo Chriſtus, R. N. vitam agebat mortalem in terris, populus Iudæorum ſubiectus eſſet Romanis. Nec dubium quin ex mutuo conuictu, aliquot conſuetudines Romanorum, ad populum Iudæorum tranſierint. Cum ergo Chriſtus virgam cõmemorat, ac vſum eius interdicit diſcipulis: Virgam, ni fallor, vocat quam gentes quædam vocabant teſſeram hoſpitii, et amicitiæ. (Sic Plautus vocat teſſeram hoſpitalitatis in Pœnulo.) Cum enim quidam amicitiam contrahebant, in virga, communi conſenſu, ſymbolum quoddam ſculpebant: quæ quidem virga teſtimonium erat cõtractæ amicitiæ, atque vterque contrahentium amicitiam, teſſeram aſſeruabat, et ad filios tranſibat quaſi iure quodam hereditario, vt Homerus ſignificauit *lib. 6. Iliad.* loquens de Diomede, & Glauco. Cumque alter eorum (ſi non habitarent in eadem ciuitate) tendebat in ciuitatem in qua morabatur qui cum eo contraxerat amicitiam: huiuſmodi teſſeram deferebat, qua oſtenſa ad hoſpitium introduceba-

cebatur, iureq. teſſeræ illi debebatur hoſpitium. Huius veteris conſuetudinis meminerunt quidam autores. *Plautus in Pœnulo*, Amantius ego ſum ipſus quem tu quæris, Amantii filius. *Pœnul.* En quid audio? confer teſseram. *Aman.* Eccam. Eiuſdem ritus et conſuetudinis meminit idem Plautus in Ciſtellaria. Vnde etiam intelliges, quod cum amicitiæ cōtractæ pæniteret, ſi vterque amicitiæ renunciaret, teſsera frangebatur, ſicut meminerunt Homerus, et Tullius. Meminit et Budęus *lib. 5. de Aſſe.* Infames vero habebantur, teſte Tullio *actione vltima in Verrem, & actione 3.* Qui huiuſmodi amicitiam violabant, niſi prius illi renunciaſsent; ſicut Titus Liuius *lib. 5. belli Punici 2.* ait, Badium ciuem Campaniæ renunciaſse huiuſmodi amicitiæ contractæ cum Quincto Criſpino Romano, priuſquam pugnaret contra eum. Hæc ergo fuit conſuetudo Græcorum, et Romanorum, de qua autores Græci, et Latini meminerunt. Ad eam Chriſtus Ieſus reſpexiſſe videtur, quæ fortaſſe iam tranſierat ad Iudæos. Denique ad huiuſmodi conſuetudinem reſpiciens Chriſtus, iubet Diſcipulis, ne in prædicatione Euangelii deferant vigam, ſiue teſſeram eiuſmodi. Ac ſi dicat, Non ob amicitiam iure humano contractam, volo vos percipere victui neceſſaria; nolo vt exigatis hoſpitium, vel victum propter teſſeram; cui hæc ex conſuetudine, et iure quodam debentur. Ne er-

go feratis virgam, ſiue teſſeram in via prædicationis. Sed hoſpitium, et victus dentur vobis propter me, & Euangelium; propter laborem, et operam. Dignus eſt enim operarius mercede ſua. Si enim ſeminetis hominibus ſpiritualia, quid mirum ſi eorum carnalia, id eſt, temporalia metatis? Si vero quibuſdam non faciat ſatis hæc noua expoſitio, placebit forſitan illis, (quę mihi non diſplicet) ea quam affert Cornelius Ianſenius, vir ſingulari doctrina. Ait enim, Virgam conceſſam diſcipulis Chriſti apud Marcum, eſſe baculum quo vti ſolemus ſuſtentandi laſsi corporis gratia: apud Matthæum vero, et Lucam, Virgam eſſe fuſtem, quo pro armis vti ſolemus, nocendi, aut defendendi gratia; ſicut legimus eos qui comprehenderunt Ieſum, exiſse cum fuſtibus, et armis. Atque huiuſmodi Virgam Chriſtus Apoſtolis interdixit.

Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Ioan. 1. b.

CAPVT LXXIIII.

Quia

QVIA dixerat D. Ioannes, filios Dei fieri qui (fide quæ per dilectionem operatur) credunt in Ieſum Chriſtũ: oſtendit nunc, huiuſmodi generatio in filios Dei, qualiter fiat, eamq. non eo modo fieri, quo fit generatio corporis. *Qui non ex ſanguinibus etc.*) Sanguis, vel (iuxta proprietatem Hebræam) Sanguines, pro Spermate, id eſt ſemine, appellantur. Sanguines enim vocat vtrumque ſemen, et virile, et femineum. Nam ſemen virile ſanguis eſt, licet albus; et ſanguis femineus, ſperma eſt. *Ex*, in his verbis diuerſimode accipitur. Nam priori loco in ſua vulgari ſignificatione ponitur; ſecundo vero, et tertio loco pro *Per* accipitur. *Caro* pro libidine, vel proprietate Hebræa voluntas carnis idem eſt quod voluptas carnalis, et carnalis delectatio. Nam voluntas, inter alia, pro voluptate aliquando accipitur in arcanis litteris. Atque ita ea vox accipienda eſt *Gene. cap. 49. a.* In voluntate ſua ſuffoderunt murum, id eſt, Occiderunt Principem Sichem, propter libidinem contra Dinam ſororem eorum admiſſam. Sunt alia loca, quæ in aliud opus relinquimus, in quibus hæc vox in hac ſignificatione vſurpatur. Naſci vero pro Generari poſitum eſt, quod aliquando fit in Sacris Litteris. vt *Matth. 1. d.* Quod enim in ea natum eſt etc. Et *Ioan. 3. a.* Quod natum eſt ex carne, caro eſt; et quod natum eſt ex

ſpiritu, ſpiritus eſt. Credentes (inquit D. Ioannes) ſcilicet fide quæ per dilectionem operatur, generantur in filios Dei. Quæ quidem generatio, ait, non fit vti corporis generatio ex ſemine per hominē generantem, per concubitum et carnalem voluptatem; ſed ex Deo, vel per Deum. Vide amice lector, an locus in hunc modum ſit diſſerendus. Sanguines hoc loco pro Peccato appellantur (quod familiare eſt apud Scriptores Sacros vtriuſq. teſtamenti) ita tamen vt Peccati nomine prauam concupiſcentiam intelligas. Atq. ita Sanguines vocat D. Ioannes quod Regius Vates Dauid *Pſal.* 50. *a.* appellat Iniquitates, et peccata. His nominibus Scriptores Sacri vocant Peccatū, quod originale appellant noſtri Theologi; de quo hæc verba ſunt intelligenda. *Ex*, vero in his verbis, *Qui non ex ſanguinibus*, pro *Cum*, vel pro *per*, accipi videtur. Vtrumque nonnunquam reperitur in litteris Sacris. Cum ergo ſermonem faciat D. Ioannes de mirabili illa generatione ſpirituali, qua homo licet grandæuus, alienus a fide Chriſti, regeneratur in filium Dei, atque miro quodammodo renaſcitur (non quidem corpore, ſed anima) dum Chriſti Euangelium ſincero corde complexatur, et opere complet: confert inter ſe pauciſsimis verbis has duas hominis generationes, et corpoream, qua generatur homo ex concubitu maris et feminæ, et ſpiritualem, qua diuina virtute regeneratur in filium

lium Dei per adoptionem. In illa, inquit, prima generatione corporea, homo cum peccato naſcitur, peccato originis fœdatus prodit in lucem, ſicut Dauid ait, In iniquitatibus conceptus ſum; at vero in hac regeneratione ſpirituali nihil huiuſmodi eſt, tota eſt munda et ſine peccato. Ait itaque Ioannes: Qui credunt in filium Dei Ieſum Chriſtum, et ipſi filii Dei per adoptionem efficiuntur. Hæc natiuitas, ſiue regeneratio, eſt munda et nobiliſsima; non vt illa prior corporea. *Neque ex voluntate carnis &c.*) Caro a quibuſdam hoc loco accipitur pro femina. Sic primus homo feminam, carnem appellauit *Gene. 2. d.* Caro inquit, de carne mea. Nam caro interdũ carnis concupiſcẽtiam ſignificat, interdum etiam quod fragile, debile, et contemptibile eſt. Et quia femina plus quam vir prona eſt ad libidinem, et fragilior et magis contemptibilis eſt; Carnis vocem ſibi vendicauit. Atq. ita hoc loco Carnem pro muliere accipiunt. Qui credunt Euangelio (fide quę per dilectionem operatur) regenerantur in filios Dei, non per virile ſemen, neque per complexum maris et feminæ, ſed diuina virtute efficiuntur filii Dei, et adoptantur in filios. *Neque ex voluntate viri*) id eſt, Non concurrente voluptate carnali, vel ſine concubitu. Eſt autem hendiadys Hebræa, Non ex ſanguinibus, Neque ex voluntate carnis, pro eo quod eſt, Non ex ſanguinibus, interueniente voluptate carnis.

Eſt etiam hendiadys, Nec ex voluntate carnis, Nec ex voluntate viri; pro Ex voluntate carnis, et viri. Eſt itaque duplex hẽdiadys in his verbis, quę ſi ad phraſim Latinam trahas, in hunc ſenſum reſoluenda ſunt. Qui quidem non ex vili ſpermate, interueniente voluptate, & congreſſu maris et feminæ: ſiue per congreſſum maris et feminæ, generantur in filios Dei, ſed ex Deo vel diuinitus, diuina virtute et potẽtia nati, id eſt, generati ſunt, vel generantur in hac ſcilicet regeneratione ſpirituali, qua efficiuntur filii Dei. Deus eſt qui generat, efficit filios Dei, qui regenerat, ipſe eſt autor huius natiuitatis et regenerationis ſpiritualis. Qui enim ceteris generationem tribuit *Iſa. 66. c.* nonne generabit? non poterit generare? Videtur inuerſio vocis *Viri*. Qui non, inquit, ex ſanguinibus viri (id eſt, ex ſemine virili) per voluntatem carnis (hoc eſt, per voluptatem carnalem, ſiue per concubitum) ſed ex Deo, vel per Deum ſunt regenerati.

Quid ſit Architriclinus, de quo D. Ioannes cap. 2. a.

CAPVT LXXV.

CVM eo tempore quo Chriſtus Ieſus agebat in terris, frequens eſset conuictus inter Romanos, et Iudæos; propterea quod Romani Iudææ dominarentur, gentemq. Iudæorum ſibi ſubiectam haberent; mihi veriſimile fit, multas Romanorum conſuetudines ad Iudæos fuiſse deriuatas; quemadmodum ſuperius diximus de Virga, ſiue teſsera hoſpitii. Aliquid ſimile hoc loco haberi arbitror. Nam conſuetudo illa Romanorum conſtituendi Regem in conuiuiis, ad Iudæos tranſiſse videtur, (fortaſsis paululum nomine mutato, et quibuſdam aliis variatis) de qua hoc loco fit mentio. Conſtituebant enim Regem conuiuii quendam ex conuiuis, qui omnibus imperaret, ſiue quo ad diſcubitum, ſiue quo ad alia; qui conuiuis copiam faceret mittendi quo vellent ex cibis conuiuii; (quamquam apud Romanos conſuetudo erat, vt non expectata licentia Regis conuiuii, poſsent conuiuæ mittere miſsus quos vellent, et quo vellent) qui miniſtris quæ vellet imperaret, quæ ad miniſterium ſpectarent. Hæc, et alia ad Regem conuiuii ſpectaſse, prodiderunt autores Latini; præſertim Plinius, et Horatius. Veriſimile autem eſt, conſuetudinem huiuſmodi Romanorum conſtituendi Regem in conuiuiis, tranſiſse ad Iudæos, eo tempore quo Iudæi ſubiecti erant imperio Romano; ſicut aliæ quædam

Digitized by Google

conſuetudines, ex mutuo conuictu tranſierunt. Architriclinus itaque hoc loco vocatur, quem Romani Regem conuiuii appellabant. Nam Princeps triclinii interpretatur, id eſt, Rex conuiuii. Fuit enim mos Romanorum, in tribus menſis celebrare conuiuia, ſicut Horatius ait: *Sæpe tribus videas lectis cenare quaternos*. Inde locus conuiuii, à tribus lectis (ſic enim vocabantur ſedes) ad tres menſas, Triclinii nomen accepit. Inde Architriclinus, id eſt, Princeps, ſiue Rex triclinii, ſiue trium lectorum, ac proinde trium menſarum, atque adeo conuiuii. Quod vero quidam aiunt, Architriclinum vocari Principem, vel Præfectum apparando conuiuio; vel eum qui præerat miniſterio conuiuii, qui Hiſpane dicitur *Maſtre ſala*: numquam mihi probari potuit. Potius crediderim, Architriclinum eſſe præcipuum inter cõuiuas menſæ aſsidentes, cui et ipſe aſsidebat veſcens, non miniſtrabat; Principem conuiuarum, id eſt, qui principatum haberet inter conuiuas in iis quę ad conuiuium pertinerent. Nam Architriclinum hoc loco Euangelii, non eſſe præfectum parando triclinio, vel apponendis cibariis, ex eodem loco Euangelico facile intelligi poteſt. Quis enim dubitet, hunc Architriclinum menſæ aſsidere: de quo dixerit Dominus miniſtris, Afferte Architriclino? et non habuiſſe curam parandi conuiuii? qui ignorarit quod vinum eſſet apponen-

nendũ? Quod ſi menſæ aſsidebat, et vnus erat ex cõuiuis, quomodo munus et cura illius erat apparando, et apponendo conuiuio præeſſe? Conſtat etiam ex hoc loco, ad Architriclinũ non pertinere præfectum eſſe apponendis cibis et potui, et ordini ſeruando in his apponendis. Si enim hęc ad eum pertinerent, oportebat ante cõuiuiũ eum noſſe, quæ cibaria eſſent apponẽda, et qui potus, vt ad arbitrium eius ſingula recto ordine diſtribuerentur. At vero hic noſter Architriclinus nihil horum nouerat, vt conſtat ex verbis illius ad ſponſum: Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt. Tu autem ſeruaſti bonum vinum vſque adhuc. Nęç mirandum eſt, quod Chriſtus Ieſus in hoc conuiuio nuptiali, huiuſmodi conſuetudinem non reiecerit, ſed potius Regi conuiuii honorem detulerit, dicens, Haurite nunc, et ferte Architriclino: quia is ritus et conſuetudo, natura ſua non mala erat, poteratque ſine culpa exerceri.

Quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Non mireris, quia dixi tibi: Oportet vos naſci denuo. Spiritus vbi vult ſpirat, et vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat,

aut

aut quo vadat. Sic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu.

Et quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis. Si terrena dixi vobis &c.

Et nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo. Ioan. 3. 4.

CAPVT LXXVI.

CHRISTVS Ieſus magiſter vitæ inſtituit Nicodemum a primis fundamentis Chriſtianæ religionis, docens ea quæ pertinent ad regenerationem ſpiritualem, qua homo renaſci poteſt in ſpiritu, per ſacrum baptiſma, quod eſt ianua ad cetera Sacramenta. *Quod natum eſt ex carne.) Caro* ponitur pro homine, quod aliquando contingit in Scripturis Sanctis. Vox autem carnis cum hoc loco repetitur, ſignificat fragile, vile, infirmum, et abiectum. *Spiritus* etiam ſecundo loco ſignificat idem quod forte, magnum, potens et ſublime. Fit enim non raro in arcanis litteris, vt eadem vox in eodem contextu orationis repetita, diuerſimode accipiatur. Aliter ergo Caro et Spiritus accipiuntur priori loco, aliter vero cum repetuntur. In hac poſteriori

ſigni-

ſignificatione accipiuntur hæ voces apud Iſaiam *cap.* 31. *a.* Equi eorum caro, et non ſpiritus. Hæc autem verba Chriſtus dixiſſe videtur, vt inuitaret Nicodemum ad deſiderium huiuſmodi ſpiritualis generationis, qua filii Dei per adoptionem efficimur; dum intelligeret quantæ eſſet dignitatis, et quantæ felicitatis regenerari in filium Dei. Ac ſi diceret, ſi homo, tantum eſt homo, nihil habens amplius quam quæ ex humana generatione conſequuntur: res quidem vilis eſt, et infirma. Animalis enim homo non percepit ea quæ Dei ſunt: immo ſi hoc tantum habeat homo, res quidem polluta et ſordibus peccati infecta eſt; atque proinde non poteſt introire in regnum Dei, quia nihil inquinatum intrabit illuc. *Apocal.* 21. *g.* At vero ſi renaſcatur homo ſpiritualiter, et quadam diuina generatione efficiatur filius Dei per adoptionem, res magna eſt homo et ſublimis; magnæ æſtimationis, et magni ponderis. Hanc ergo mirabilem generationem concupiſce o Nicodeme, hanc cura et inquire quam tibi propono. Quam tamen non aſſequeris, niſi ex aqua et Spiritu Sancto renaſcaris. Opus, inquit, quod ab homine proficiſcitur, humile et abiectum eſt; quid enim magnũ homo efficere poſsit? ideo generatio hominis ſecũdum carnem, humilis eſt et fragilis. Sed quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt, id eſt, opus a Deo profectum, mirabile

ne fragili, et humilis intellectus poſsint comprehendi. Quaſi iam tractauerit Chriſtus Ieſus hominem poſse renaſci, ſiue regenerari, adiecit, Sicut ex carne naſcitur caro, id eſt, ſicut ab homine homo generatur; ita ex ſpiritu naſcitur, et regeneratur ſpiritus. hoc eſt, ita ex Deo naſcitur Deus. Cum Deus generat, generatur Deus, nō quidem per naturam, ſed per participationem; ſpiritualiterque regeneratur homo in filium Dei, per gratiam, et adoptionem. *Quod natum eſt ex carne, caro eſt, et* id eſt, ſic, *Quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.* quaſi dicat, Quod efficit caro, id eſt homo, caro eſt; id eſt, infirmum, fragile, et vile. nec enim homo res magna eſt, quantum ergo erit opus eius? Quod vero efficit ſpiritus, id eſt Deus, ſpiritus eſt; hoc eſt, magnum et ſtabile eſt. Adeoq. magna ſunt opera Dei, vt ea homo intellectu capere non poſſit. Poteſt homo opera Dei credere, at mente et intellectu comprehendere non poteſt. *Propterea* non mireris quod dixerim tibi, hominem poſse renaſci; nam hoc eſt opus Dei, non opus humanum. Cum autem Deus ſit omnipotens, non eſt cur non credamus opera eius, licet ea noſter intellectus capere non poſsit. Nam ſpiritus, id eſt Deus, vbi vult ſpirat, facit quod vult. quaſi dicat, Omnia poteſt, nihil eſt Deo impoſsibile. Quidam hoc loco nomine Spiritus, ventum intelligunt; quorum ſententia mihi non probatur. Licet enim aliquando Spiri-

tus

tūs, pro vento vſurpetur: hoc tamen loco ſi ita accipias, non rectus ſenſus elicitur, nec filo orationis cōueniens. Fortaſsis ſpiritus pro Sole accipitur, vt *Eccle.* 1.*a.* Proponit enim exemplum Chriſtus Ieſus de Sole, nobiliſsima creaturarum, quę carent ſenſu, et per Proſopopœiam illi tribuit voluntatem, quaſi dicat, Si Solis effectus & opera, tam magna ſunt, vt admirāda hominibus videantur, nec eius virtutem ſatis comprehendant; quid ſentiendum eſt de operibus ipſius conditoris? *Et vocem eius audis, ſed neſcis etc.*) Hoc eſt, ſentis, et intelligis Solis effectus: ſed neſcis, nec ſatis comprehendis mirabilem naturam, et virtutem Solis. Quod ſi cui minus placeat, Spiritum hoc loco pro Sole vſurpari; dicamus Spiritum pro Deo accipi, ſicut in verbis illis quæ ſequuntur. *Sic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu*) id eſt, ex Deo. Sic, inquit, opus hoc mirabile, quo quis efficitur filius Dei, homo ſatis capere non poteſt. Nec mirum, cum ſit opus Dei, opus plane diuinum. Nam homo, rudis ad ſublimia, non poteſt attingere a fine vſque ad finem opera Dei. *Et vocem eius audis*) Vox ponitur pro operibus, ſicut aliquando loqui ponitur pro facere. Quia vero vocem dixerat Chriſtus, appoſuit verbum audiendi, pro verbo videndi, Euphoniæ gratia. Nam vocem non videre, ſed audire dicimur. *Sed neſcis vnde veniat, aut quo vadat*) Suppoſitum horum verborum *veniat*, & *vadat*, eſt *vox*. Vides,

des, inquit, opera Dei, ſed non intelligis vnde veniunt, aut quo vadant, non intelligis initium eorum, nec finem, hoc eſt, non intelligis exacte opera Dei, nec comprehendis ea. Nam intelligere principium et finem rei, dictum eſt pro exacte rem intelligere, et intellectum capere, qua ratione fiat, et in quem finem. Inquit ergo Chriſtus ad Nicodemum; Dei opera non inueſtiganda ſunt, ſed fide amplectenda. Sunt enim eius opera, mirabilia, et quæ captum excedunt humanum. Ea vides, nec tamen intellectu ea ſatis apprehendis. Cum itaque naſci hominem denuo, atque in filium Dei regenerari, ſit opus Dei, non hominum: non poteris illud comprehendere, aut ſatis intelligere, ideo fide excipe tantum opus, fide amplectere, noli intellectu capere eo velle. Cumque ſit opus Dei, cui nihil eſt impoſsibile, non eſt cur mireris, vel dubites. quaſi diceret: Si quod naſcitur ex carne, caro eſt; cur quod naſcitur ex ſpiritu, non erit ſpiritus? quod ſi ex ſpiritu genitus, ſpiritus eſt; non eſt cur mireris, quaſi impoſsibile reputans quod homo efficiatur filius Dei. Ideo non mireris quia dixi tibi, oportet vos naſci denuo hoc eſt, cum hominem renaſci, vel regenerari, ſit opus Dei; ne dubites id fieri poſſe. *Sic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu.*) quaſi dicat, Ita iudicandus eſt qui naſcitur ex Deo, ita ſentiendum et iudicandum eſt de eo, qui denuo naſcitur, quia naſcitur ex Deo, et virtute diuina regene-

ratur in filium Dei. Cum enim (vt dictum eſt) hoc opus Dei ſit: non eſt dubitandum illud fieri poſſe, propterea quod mente illud homo non capiat. Nec enim poteſt homo intellectu ſatis capere diuina opera. Sic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu, hoc eſt, ideo omnis homo renaſci poteſt ex ſpiritu. Vel ſic, id eſt, tale eſt opus quo quis *denuo* naſcitur, quia illud ex ſpiritu, id eſt, ex Deo: quaſi dicat, Opus hoc regenerationis cum ſit opus Dei, non poteſt humano intellectu comprehendi; nec ideo de eo dubitare debes, quia non capias illud. *Quod natum eſt ex carne, caro eſt*, id eſt, Corpus eſt, quod generatur ex carne, ſiue ab homine, vel virtute humana. *Quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt*: quaſi dicat, At vero qui regeneratur, non quoad corpus renaſcitur, ſed quoad ſpiritum, ſiue quoad animam; et ideo qui regeneratur quoad animam, non ex carne, ſiue virtute humana regeneratur, quia virtute humana ſola caro generatur. Cum enim homo generat hominem, corpus tantum generat, non animam, quæ a ſolo Deo creatur. Sed cum hic ſpiritus, ſiue anima renaſcatur, non fit hæc regeneratio ex carne, ſiue ab humana virtute, ſed ex ſpiritu, ſiue ex Deo, ſiue per Deum, ſiue diuina virtute. Vides eandem vocem *ſpiritus*, in eodem contextu orationis diuerſimode vſurpari, nunc pro anima hominis, nunc pro Deo, iuxta id quod diximus initio huius capitis,

aliquando eandem vocem repetitam diuerſimode acci-pi. *Non mireris &c.*) Miraris, inquit Chriſtus, quod homo poſsit renaſci; ſed deſines mirari, ſi attendas hanc regenerationem non eſſe quo ad corpus intelligendam, ſed quo ad ſpiritum, ſiue animam. *Quia quod generatur ex carne, caro eſt &c.*) Deſines etiam mirari, ſi animaduertas huiuſmodi regenerationem ſpiritualem, opus eſſe Dei, non hominis. Deus enim autor eſt huius regenerationis. Quod ſi Deus eſt qui operatur, quid eſt quod dubites, cum Deo nihil ſit difficile? Sic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu: id eſt, hoc modo omnis homo naſci poteſt ex ſpiritu, vel denique omnis homo naſcitur, vel naſci poteſt *denuò* ex ſpiritu, ſiue quo ad animam. Spiritus ergo hoc loco (vt non ſemel a nobis expoſitum eſt hoc capite, et repetemus) idem ſonat quod Deus. Non eſt inuſitatum apud Scriptores Sacros ſpiritum pro Deo appellare, et iure quidem, quoniã Deus ſpiritus ſimplicißimus eſt, et Dominus ſpiritus eſt, vt inquit Apoſt. 2. *Cor. 3. d.* Et Chriſtus Ieſus Redemptor noſter, *apud Ioannem cap. 14. b. 15. d. 16. b.* Spiritum ſanctum vocat ſpiritum veritatis, phraſi illa familiari ſcriptoribus ſacris, ex proprietate linguę ſuę, id eſt, Deum verum; ne quis exiſtimaret, Spiritum Sanctum non eſſe Deum, cum audiret ipſum Chriſtum dicentem aliquando, ſe, aliquando vero Patrem cæleſtem,

 miſſu-

miſsurum Spiritum paracletum. Sic capitur eadem vox *Ioan*.6.g. Spiritus eſt qui viuificat: (quod alibi enarramus;) hoc eſt, Deus ſolus eſt, qui huiuſmodi vitam, de qua loquor, tribuere poteſt. Spiritus ergo pro Deo appellatur; ſicut caro pro homine, cum dicitur; Quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt; et ſpiritus vbi vult ſpirat; vt mox videbimus. Et Sic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu: quaſi dicat, Si opera Dei quæ oculis cernimus, non attingimus intellectu, nec mente comprehendimus; quanto minus ea opera Dei quæ oculis corporis non ſunt conſpicua, quale eſt opus quo quis regeneratur in filium Dei? quod cum ſit opus inuiſibile, et plane diuinum; humano ingenio attingi non poteſt, ſed fide ſuſcipiendum eſt. Naſci vero aliquando ponitur pro concipi, vel generari, vt *Matthæi* 1.d. Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt. Sic hoc loco. Sicut quod generatur ab homine, homo eſt; ſic quod generatur ab ſpiritu, id eſt a Deo, Deus eſt, non natura, ſed gratia, ſiue participatione. Sicut id quod generatur generante homine, homo eſt; ita quod naſcitur ex ſpiritu, ſiue quod naſcitur ex Deo generante, ſpiritus, ſiue Deus eſt, participatione. Nam qui regenerantur ſpiritu a Deo, adoptantur in filios Dei. Quod vero Deus in ſpiritu generet, quid mirum? cum ſcriptum ſit

apud Iſaiam cap. 66. Numquid ego qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus? qui aliis generationem tribuo, ſterilis permanebo? Cum itaque diuina potentia homo in ſpiritu poſsit regenerari, et denuo naſci, non eſt cur mireris o Nicodeme, quod dixerim hominem poſſe renaſci; atque oportere hominem renaſci, ſi velit introire in Regnum Dei. *Non mireris &c.*) Dixi tibi, ait Chriſtus, quanta res ſit hominem renaſci ex aqua et Spiritu Sancto, (nam quod natum eſt ex carne, caro eſt; et quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt) ſed dubitas quomodo id fieri poſsit (nam paulò poſt dixit Nicodemus, quomodo poſſunt hæc fieri?) Ad quod, Ego Deus: eſt qui facit, cui nihil eſt impoſsibile; ne ergo mireris de huiuſmodi ſpirituali generatione, quaſi non ſit poſsibilis. *Nam* ſpiritus vbi vult ſpirat, id eſt, Deus operatur, et facit quidquid vult. Diximus ſpiritum hoc loco pro Deo appellari, quamquam ex multorum ſententia ſpiritus ſit ventus. *Et vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quo vadat.*) Fortaſsis hoc loco ſit tranſpoſitio, vel inuerſio verborum, ita vt hæc verba connectenda ſint illis quæ præceſſerunt: quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. et ſtatim ſequatur. Et vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quo vadat. ac ſi dicat, quod natum eſt tantum ex carne, caro eſt; et animalis homo non percipiens ea quæ Dei ſunt. Qui vero

Digitized by Google

ſpirituali regeneratione natus eſt, ſublimia intelligit, et tamen ſi vocem eius audias, non intelliges vnde veniat, aut quo vadat; hoc eſt, ſi homo tantum animalis, huiuſmodi hominem renatum ex ſpiritu audiat loquentem, non intelliget eum, non intelliget vnde incipiat, aut quod fundamentum habeat (vt vulgo loquimur) aut quo vadat; Hiſpane, *Ni adonde va a parar*. Denique quod ait Chriſtus, Neſcis vnde veniat, aut quo vadat, hoc ſignificat, Non intelliges eum. Hoc idem eſt quod ait Apoſtol. 1. *Cor.* 2. *d.* Spiritualis omnia iudicat, et ipſe a nemine iudicatur; id eſt, ipſe aliorum actiones intelligit, et examinat: ipſe vero a nemine qui non ſit ſpiritualis, intelligitur. Poteſt ergo Spiritus eſſe ſuppoſitum verborum *Veniat*, et *Vadat*; atque ita hac voce aliquando vtemur in ſequentibus. *Spiritus vbi vult ſpirat*) hoc eſt, Deus facit quod vult; aduerbium loci pro relatiuo nomine accipi videtur. Spiritus, inquit, vbi vult ſpirat; et *quamquam* vocem eius audis, non tamen ſcis vnde veniat, aut quo vadat. quaſi dicat, Diuina potentia nequit humano intellectu comprehendi, ideo non hoc tibi impoſsibile videatur, quia non intelligis quo pacto fieri poſsit. *Et vocem eius audis &c.*) hic eſt ſenſus; Licet vocem audis eius qui facit quod vult, ſed neſcis vnde is veniat, aut quo vadat. quaſi dicat, ſed non noſti eum, non noſti quis ſit, et quod e cælo Deus venerit

nerit miſsus a Patre, vt redimat mundum, et quod ad Deum ſit rediturus. Neſcis ergo potentiam eius quem audis loquentem, ideo miraris verba illius. Sicut vero ſpirare aliquando ponitur pro operari,ita inde Spiritus, vel vox pro operibus, *Audire* pro *Videre*, aliquando enim vnus ſenſus ponitur pro alio; vt *Exo.* 20. Videbat voces, et lampades, et ſonitum buccinæ,montemque fumantem. Audis, *inquit Chriſtus*, vocem eius, id eſt, vides opera eius, nempe Spiritus, ſiue Dei. Vocem ergo eius audis. audis modo Deum loquentem (*nam Deus verus ſum, ſicut et homo verus*) ſed neſcis,id eſt,non potes intelligere vnde veniat,aut quo vadat, ſcilicet ipſa vox; hoc eſt non potes perfecte capere quæ ego modo loquor: non potes comprehendere intellectu, quomodo renaſcatur homo ex ſpiritu. Phraſis Hebræa eſt, Scire vnde aliquid veniat, et quo vadat; vel ſcire alicuius rei initium et finem; pro eo quod eſt, perfecte illud intelligere. Vnum tantum locum inuenio in vniuerſa ſcriptura Sacra huic ſimilem. Is eſt *Eccleſ. c.* 3.*b.* Vt non inueniat homo opus quod operatus eſt Deus,ab initio vſque ad finem. Tanta imbecillitas, inquit, eſt intellectus hominis, tãta ſublimitas et præſtantia operum Dei, vt non inueniat, ſiue non attingat, non capiat, nec capere poſsit ea homo, ab initio vſque ad finem, hoc eſt, penitus perfecte. Eadem ergo eſt vtriuſque loci ſententia, et ſimilis phraſis; nam

vox pro operibus appellatur hoc loco (vt diximus) eſtq. ſingularis numerus pro plurali. Sunt enim opera Dei quaſi voces quędam quæ ſapientiam et omnipotentiam Dei atteſtantur. Sicut de opere cælorum canit Regius Vates. Cæli enarrant gloriã Dei, et opera manuũ eius annunciat firmamentũ, Dies diei eructat verbum; Hiſpane, *las marauillas de Dios*. & nox nocti indicat ſcientiã; id eſt, teſtatur Dei ſapientiam: ſed neſcis vnde veniat, aut quo vadat, ſcilicet vox illa ſpiritus, hoc eſt, nõ perfecte capis opera Dei. Itaq. ad Vocem, id eſt *potentiam* Dei, referendũ eſt quod ait, vnde veniat, aut quo vadat. quaſi dicat, Quotidie vocem Dei audis, ſiue illius potentiã vides et experiris, licet eam minime comprehendas. Denique neſcire vnde veniat Dei potẽtia, aut quo vadat, dictũ eſt per Hebraiſmum, pro eo quod eſt, non comprehendere illam. Multa, inquit, opera Dei oculis aſpicis; quæ tamen intellectu non cõprehendis: ac ſi dicat, ſi opera Dei quæ oculis intueris, non potes ſatis intelligere quomodo fiant; cur miraris, ac dubitas de operibus eiuſdem Dei, quę oculis non videntur, ſed ſpiritualia ſunt? Cur dubitas hominem poſſe renaſci ſpiritu, quaſi ob id fieri non poſsit, quia tu non capis qua ratione, aut quo pacto fieri queat? cum ſit opus Dei, cuius opera humano captu exacte non poſſunt comprehendi. Quaſi Deus non poſsit efficere quod mẽs hominis non intelligit quo pacto fieri poſsit,

aut

aūt quaſi Deus non poſsit maiora operari, quam mens humana capere valeat. Vocem itaque audis, id eſt, potentiam Dei noſti, quotidie eam experiris. Deus, inquit, facit quidquid voluerit, ſicut illius potentiam quotidie experiris. Tria vocem proponentia vſurpauit, appoſuit verbum audiendi, quod ad vocem pertinet; nam nihil auditur, quod non ſit vox, id eſt ſonus. *Vocem eius audis)* Sicut loqui, vt diximus, aliquando in Diuinis litteris eſt facere: ita et vox hoc loco pro opere ponitur. *Neſcis*) Neſcis, vel non intelligis, id eſt, non potes intelligere vocem, ſiue opus Dei; non potes comprehendere opera Dei, ſunt enim opera Dei mirabilia, et mentem humanam excellunt; facit Deus quidquid vult, quia omnia poteſt; & hoc opus regenerationis ſpiritualis, opus Dei eſt, et diuina virtute fit, non humana: & ideo non eſt dubitandum de illo. Noli ergo tantum myſterium aſſequi ingenio, ſed crede. Poſſunt et hæc verba ita intelligi, vt non de peculiari opere regenerationis ſpiritualis per baptiſmum loquatur Chriſtus, ſed in vniuerſum de operibus Diuinis: & audire vocem, vel audire opus, dictum ſit pro videre, ſumpto ſenſu vno pro alio. Inquit ergo Chriſtus; Deus cum omnia poſsit, facit quidquid vult. Sed opera eius tam ſunt excellentia captum humanum, vt nec quæ oculis corporis cernuntur,

ſatis poſsis comprehendere. Cur ergo vis ea Dei opera intelligere, quæ oculis non videntur? Si quæ oculis patent, non comprehendis; quomodo vis intelligere opus regenerationis ſpiritualis de qua loquor? Crede ergo docenti, quod non potes capere intellectu. *Sic eſt omnis qui natus eſt)* Videtur poſita perſona pro re. Opera diuina, inquit Chriſtus, etiam quæ oculis patent, humano ingenio ſatis capi non poſsunt. Tale vero eſt opus regenerationis ſpiritualis, eſt enim opus diuinum. Sic eſt quod homo renaſcatur, et regeneretur ex ſpiritu. id eſt, huiuſmodi opus eſt, quod homo poſsit renaſci. *Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis &c.)* Vox ponitur pro Operibus, vt diximus. Et quia vocem dixit Chriſtus, appoſuit verbum audiendi, quod voci congruum eſt; quod tamen pro videre accipiendum eſt, et ad alios ſenſus referendum. Inquit ergo Chriſtus; Deus operatur vbi vult, et quod vult; et cum ſit infinitæ potentiæ, opera eius ſunt tantæ admirationis, vt ab homine ſatis nequeant comprehendi. Vocem Dei, inquit, audis; ſed neſcis vnde veniat, aut quo vadat, ſcilicet ipſa vox Dei; hoc eſt, vides oculis opera Dei, ſed neſcis initium eorum, nec finem. Sic loquuntur Hebræi, id eſt, non comprehendis opera Dei, nec intelligis qua ratione potuerint fieri. Poſsumus et de his vocibus ita diſſerere. Spirare interdum pro loqui ponitur (vt *Act.9.a.* Spirans minarum

et cæ-

et cædis, id eſt, loquens minas atrociſsimas et lethales.) ſicut ſpiritus frequenter pro verbo, et ſermone. Et quia Loqui aliquando pro Facere vſurpatur, Spirare hoc loco pro Facere poſitum eſt. Eſt itaque ſenſus horum verborum; Deus facit quod vult; nam cum ſit omnipotens, nihil eſt quod poſsit illius reſiſtere voluntati. quaſi dicat, Cum Deus facere poſsit quidquid velit, nec ſit impoſsibile apud Deum omne verbum, et hoc opus nouæ regenerationis (de quo loquor) ſit opus eius, fiatque diuina virtute et potentia; non eſt quod mireris dubitans quonā pacto id fieri poſsit. Deus enim eſt qui facit, qui poteſt omnia, quæq. humanus intellectus non poteſt capere. Neſcis, inquit, vnde veniat, aut quo vadat. quaſi diceret, Audis Deum loquētem, ſed non cognoſcis illum; neſcis enim myſterium incarnationis, neſcis quis ſit qui tecū loquitur, neſcis Patris cæleſtis eſſe filium illi æqualē, neſcis quo vadat, id eſt, neſcis quorſum venerit in terras, nempe vt hominē redimeret, redimeret a ſeruitute peccati, adoptaret in filium moriens pro illo. Neſcis quo vadat, hoc eſt, quem exitum ſit habiturus, quia moriturus eſt in cruce, tertia die a morte excitandus, & tandem in cælos regreſſurus. Neſcis ergo illum exiſſe a Patre, veniſſe in mundum vt diſſoluat opera diaboli, & rurſum ad Patrem rediturum, et conſeſsurum ad dexteram eius. Denique ſpiritus pro Deo ponitur, quo nomine

Digitized by Google

mine Chriſtus ſe ipſum vocat, vt qui verus Deus ſit, ſicut & verus homo: & quia ſe ipſum, ſpiritum vocat, vtitur verbo ſpirandi a ſpiritu deducto, pro eo quod eſt, ſpiritum operari. Ideo & vocem pro operibus vocat, & Audiendi verbo vtitur; quę omnia ſpiritui, id eſt ſermoni conueniunt. Inquit ergo Chriſtus; Sed quid mirum, quod huiuſmodi regenerationem hominis, quæ diuina virtute fit, non intelligas, cum eam non videris, nec oculis cerni poſsit? Si enim vocem ſpiritus ſæpe audiſti, & tamen non intelligis vnde veniat ipſa vox, aut quo vadat; hoc eſt, ſi quædam mira opera a me edita vidiſti oculis, & tamē ea comprehendere non potes; quid mirum quod hanc diuinam hominis regenerationem capere non poſsis? *Sic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu.)* Ad hunc modum videntur interpretanda hæc verba. Præteritum ponitur pro pręſenti, familiari conſuetudine ſcripturarum, et aliquid ſubaudiendum, vt ſit ſenſus: Sic omnis naſcitur, id eſt, naſci poteſt, *videlicet denuo*, ex ſpiritu. *Sic eſt omnis etc.*) hoc eſt, Sic humano intellectui capi non poteſt regeneratio hæc ſpiritualis de qua loquor, et qua ratione homo renaſcatur ex ſpiritu, ſiue regeneretur per Deum. quaſi dicat, Si ea opera Dei quæ oculis aſpicimus, homo non poteſt cōprehendere; quomodo comprehendet opera Dei ſpiritualia, quæq. oculis non apparent corporeis; quę in anima hominis Deus opera-

operatur? *Sed neſcis &c.*) Hoc eſt quod ait idem Dominus *Ioan. 8.b.* Scio vnde veni, et quo vado, vos autem neſcitis vnde venio, aut quo vado. *Aut quo vadat.*) Si legas *Aut*, vt quidam codices habent; coniunctio diſiunctiua accipienda eſt pro copulatiua, quod aliquando fit in ſacris litteris. *Sic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu.*) Fortaſsis non inepte expones: Quæris, o Nicodeme, quomodo homo poſsit renaſci. Sic ergo omnis homo etiam ſenex naſci poteſt, videlicet ex ſpiritu, ſiue ex Deo, hoc eſt, Diuina quadam generatione, ſpirituali quadam regeneratione quam diuinam voco, quia fit ex virtute diuina, et opere Dei. Vel omnis qui natus eſt (id eſt, omnis homo viuens) eſt, id eſt, eſſe poteſt, ex ſpiritu, id eſt, filius Dei. Hoc modo, ait Chriſtus, omnis homo naſci poteſt denuo. Coniunctio *Sic*, accipienda videtur pro nomine *Talis*. Talis, inquit, ac tanta res eſt omnis qui naſcitur ex ſpiritu; Talis ac tanta res eſt naſci ex ſpiritu, vt capere ſatis intellectu non poſsis tam mirabile opus. Quemadmodum, inquit Chriſtus, opera Dei ratione, et humano intellectu exacte capi non poſſunt; ita et hoc mirabile opus, quo quis in ſpiritu regeneratur, et conſtituitur filius Dei. Cum itaq. hoc opus, hominis captum excellat, crede illud, fide apprehende quod intellectu comprehendere non potes. Tale eſt, ac tantum opus, cum quis renaſcitur in ſpiritu, id eſt, in

animâ; et renaſcitur ex ſpiritu, id eſt, a Deo regeneratur. Et quia vox *Omnis* aliquando in arcanis litteris, ex idiomate ſermonis Hebræi, ſignificat quod magnum eſt in genere ſuo iuxta ſubiectam materiam; poſſunt hæc verba hunc habere ſenſum. Sic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu, hoc eſt, ita mirabilis eſt qui ex Deo naſcitur: res quidem magna et mirabilis eſt renaſci ex Deo, vera tamen; ideo licet humano intellectu omnino capi non poſsit, non eſt de ea dubitandum. Hoc ergo Dei opus admiratione dignum eſt, quia ſublime eſt, vincens humanam ſcientiam, et humanum captum excedens ac ſuperans; ſed de eo non eſt dubitandum, Deus enim eſt qui teſtimonium perhibet de eo. Sic ergo naſcitur quicumque ex ſpiritu naſcitur, id eſt, qui regeneratur virtute diuina, quia hoc opus eſt Dei. Vel quia *Omnis* in Sacris Scripturis, vt modò diximus, ſæpe ſonat idem quod magnus; poteſt non inepte hic ſenſus tribui huic loco. Adeo magnus eſt qui naſcitur ex ſpiritu, adeo res magna et mirabilis eſt renaſci ex ſpiritu; Omnes fere Dei potentiam fatentur, quam tamen non poſſunt mente comprehendere; fatearis ergo neceſſe eſt multa eſſe diuina opera, quorum rationem non poſsis inueſtigare. talis eſt hominis regeneratio ſpiritualis, quæ Deum habet auctorem; talis ac tanta hæc eſt, vt mente ſatis nequeat comprehendi; adeo res magna eſt naſci ex ſpiritu.

ritu.

ritu. Ipſa Dei potentia, quæ in multis non poteſt comprehendi, in regeneratione hac ſpirituali elucet, quæ ratione capi non poteſt. Hoc ergo eſt naſci ex ſpiritu. *Teſtimonium noſtrum non accipitis.*) id eſt, non capitis fide, vel non creditis quod dico, quaſi dicat, Multa ſublimia tibi dicere poſſem, o Nicodeme, quæ optime noui, ſed omitto illa, quia hæc quæ dico non credis. *Nam* ſi terrena dixi vobis, et non creditis, quomodo ſi dixero vobis cæleſtia, credetis? nam qui tantum ex carne natus eſt, caro eſt, et nihil ſublime ſapit, non capit cæleſtia. Quomodo ergo intelligetis ea, ſi dixero vobis? Si dixero, id eſt, Si dicerem. quaſi dicat, Loquor tibi de terrenis, hoc eſt, de generatione ſpirituali hominis, quæ quamquã ſublimis ſit, et diuina, ſiue diuina virtute efficiatur, tamen terrena eſt, id eſt, quæ fit in terris: et tamen eam non capis, nam dicis, quomodo poſſunt hæc fieri? Quid ageres, ſi arcana illa quæ ſunt in cælis, tibi commemorarem? Ad hæc autem verba *Terrena, & cæleſtia,* reſpicere videtur idem D. Ioan. Euangeliſta *1. epiſt. 5.* dum ait: Tres ſunt qui dant teſtimonium in cælo, et tres ſunt qui dant teſtimonium in terra. Terrena vocantur hoc loco myſteria diuina, quæ in terris Deus operatur, vt eſt ſpiritualis hominis regeneratio in filium Dei, de qua hic loquitur Chriſtus. Si ergo hæc quæ in terris fiunt, non capis, quid ſi dicerem altiora, vt myſterium Sacræ Tria-

dis,

dis, generationem Filii ſempiternam, et reliqua huiuſmodi, quæ ſunt arcana cæleſtia. *Si terrena dixi vobis etc.*) Terrena, vt modo dixi, pro humanis, quæ fiunt in terra, appellantur; et cæleſtia pro diuinis quę fiunt in cælis. quaſi dicat, Loquor tibi dę regeneratione hominis ſpirituali, quomodo renaſcatur homo, et adoptetur in filium Dei, nec capis, nec credis; quid ſi tibi loquerer de generatione æterna verbi Diuini; & de emanatione diuinarum perſonarum? *Et nemo aſcendit in cælum etc.*) Cum coniunctio, *Et*, varie admodum accipiatur in Scripturis Sanctis, ex idiomate Hebræo; poteſt hoc loco pro *Certe* accipi, vel ponitur pro *Nam*, vt quidam verterunt. Aſcendere in cælum, dictum eſt pro noſſe cæleſtia et diuina, quæ ſunt in cælo. Nemo, inquit, aſcendit in cælum, niſi filius hominis qui erat in cælo ab æterno, quatenus Deus, et de cælo venit in terras. quaſi dicat, Nemo poteſt reſerare arcana cæleſtia, ſiue quæ ſunt in cælo, præter me qui deſcendi de cælo, ego illa optime noui, qui fui in cælo; hoc eſt, quod paulo antę dixit Chriſtus de ſe loquens pluraliter, vt ſolent homines magnæ autoritatis, *Quod ſcimus, loquimur; & quod vidimus, teſtamur.*) hoc eſt, Scio quæ loquor, noui quæ atteſtor, quare æquum eſt vt mihi fidem adhibeatis. Nemo enim alius arcana hæc reſerare poteſt. Itaque aſcendere in cælum, hoc loco eſt noſſe cæleſtia et diuina, quæ ſunt in cælo. Eadem pro-

 prietas

prietas loquendi reperitur *Prouerb.* 30.*a*. Quis aſcendit in cælum? id eſt, quis alius niſi quem tu docueris, intelligit, vel intelligere poteſt ſublimia, et quę ſuper nos ſunt, et quis alius deſcendit *in infernum*? hoc eſt, intelligit hæc inferiora quæ fiunt in terris, atque in ipſis terræ viſceribus? Ex phraſi vero Hebræa relatiuum præponitur antecedenti, cum dicitur, Niſi qui deſcendit de cælo filius hominis; et ſubauditur coniunctio copulatiua, pro eo quod eſt. Nemo aſcendit in cælum (id eſt, nemo intelligit cæleſtia, nemo ad tantam intelligentiam euehi poteſt, vt intelligat quæ ſunt in cælis) niſi filius hominis qui erat (nam tempus ponitur pro tempore, more Hebręo) in cælo, & deſcendit de cælo, ſubaudi ex alio loco Ioannis, et cui voluerit filius reuelare. Nemo ergo intelligit quæ ſunt in cælo, niſi filius hominis Chriſtus Ieſus, et cui ipſe voluerit reuelare. Quia vero dixerat Chriſtus de ſe, Neſcis vnde veniat, aut quo vadat: ideo nunc pandit ipſi Nicodemo hæc duo; vt enim ſciret Nicodemus vnde Chriſtus veniret, ait, Filius hominis qui erat in cælo, et deſcēdit de cælo. Vt vero ille intelligeret quo Chriſtus abiret, vel quorſum in terras venerit, ait; Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in eremo; ita oportet exaltari filium hominis, vt omnis qui credit in ipſo, non pereat. Intellige, inquit, Nicodeme, quis ego ſum qui hæc loquor, vt illis fidem adhibeas. Crede me filium Dei

Aa eſſe,

eſſe, qui e cælo in terras veni, vt mortem ſubirem, qua genus humanum a morte æterna redimam, & dem illis vitam beatam, ſi velint legem meam fide, et opere excipere. *Et* ponitur pro *Autem*, cum dicitur, *Et ſicut Moſes &c.*

Qui autem accepit eius teſtimonium, ſignauit, quia Deus verax eſt. Ioan. 3. d.

CAPVT LXXVII.

OSTENDIT Chriſtus Ieſus, quantæ ſit felicitatis ſuſcipere Euangelium; illud audire, et cuſtodire; fide amplexari, et dignis moribus exprimere, atque implere. Nam qui id facit, inquit, deſtinatus eſt ad vitam illam beatam in cælis, ſicut *apud Lucam c.* 11. *d.* ait, Beati qui audiunt verbum Dei, et cuſtodiunt illud. More Hebræo, *Accepit*, poſitum eſt pro *accipit*, vel *acceperit*. *Signauit quia Deus verax eſt)* Non placet nouorum interpretum tranſlatio, qui vertunt, Is obſignauit quod Deus verax ſit. Alii, Is obſignauit Deum eſſe veracem. Quia enim coniunctiones, quas vocant rationales, *quia*, et *quoniam*, frequenter in Sacris litteris ex idio-

mate

mate ſermonis Hebræi, ponuntur pro particula declaratiua *Quod*: hi interpretes exiſtimarunt ita hoc loco accipiendam coniunctionem *Quia*, et ſenſum germanum minime reddiderunt. Sed accipienda eſt ea vox in ſua communi ſignificatione, qua vſus vulgatus interpres, aptiſsimum ſenſum reddidit, qui talis eſt. Qui acceperit teſtimonium, ſiue prædicationem Chriſti (intellige fide, et opere) ſignauit, elegit, et prædeſtinauit hunc, videlicet Deus, ad vitam æternam; quia verax eſt, id eſt, fidelis in promiſsis. Pollicitus eſt vero Deus ſempiternam beatitudinem iis qui recipiant teſtimonium Chriſti. Ergo qui receperit, deſignatus eſt ad illam, quia Deus verax eſt. Ne ergo intelligas, Is deſignauit; vt vertunt iſti; ſed Hunc deſignauit Deus. Obſignandi enim verbum, non homini, ſed Deo tribuendum eſt, vt *Ioan. 6. d.* Hunc enim Pater ſignauit Deus. Quo loco inuerſio vocum eſt, vel interiectio vnius vocis, pro eo quod eſt, Hunc enim ſignauit Deus Pater. Sic etiam fit inuerſio vocum in his verbis quæ interpretanda ſuſcepimus. Nam Signauit quia Deus verax eſt, dictum eſt pro eo quod eſt, Signauit Deus quia verax eſt. Fit enim frequenter in Scripturis Sanctis vocum inuerſio, tranſpoſitio, ſiue interiectio, vt alibi oſtendimus. Chriſtus *apud Ioann. cap. 6.* de ſe loquens ait, Hunc ſignauit Deus Pater. quaſi diceret, Sigillauit,

obſignauit, vt intelligatur Chriſtus autoritate Patris, ac teſtimonio comprobatus. Eſt ergo Signare (ſicut ſcribere) decernere, deſtinare, eligere, ſicut Hiſpane dicimus, *Firmarlo de ſu nombre*. Ad eundem modum hoc loco *Ioan.* 3. *d.* Chriſtus loquitur de iis qui audiunt verbum Dei, et cuſtodiunt illud. Qui accipit, inquit, teſtimonium eius &c. Oportet vero ſubaudire pronomen eum. Eum, inquit, qui accipit eius teſtimonium, Deus ſignauit, vel elegit ad vitam ſempiternam. Eſt ergo inuerſio coniunctionis *Quia*, pro eo quod eſt, Signauit Deus quia verax eſt; eſtq. ſenſus huius loci, quem quidam non attendunt: Deus ſignauit, vel elegit (ſcilicet ad vitam æternam) *eum* qui accipit teſtimonium Chriſti, ſiue, qui fide, et operibus accipit prædicationem Chriſti et Euangelium, quia Deus verax eſt. Qui accipit, et amplectitur fide, et opere implet verba Chriſti, illum, inquam, ſignauit, vel elegit, nempe Deus, ad beatam vitam, quia Deus verax eſt. quaſi dicat, Deus promiſit vitã beatam et ſempiternam iis qui fide et opere Chriſti doctrinam amplectentur. Eos ergo qui teſtimonium Chriſti accipiunt, procul dubio elegit Deus ad beatitudinem; ſiquidem verax eſt, et illius promiſsiones firmiſsimę. Promiſit autem hoc Deus (vt alia loca prætermittam) *Ioan.* 5. *d.* Qui verbum meum audit, et credit ei qui miſit me; habet vitam ęternam.

Qui

Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri.
Ad Roma. I. *a.*

CAPVT LXXVIII.

Q*Ui prædeſtinatus eſt)* Id eſt, declaratus, vt Chryſoſtomus recte exponit. Hoc enim ſignificat vox Græca, atque ita alii interpretes verterunt. Qui declaratus eſt, inquit, filius Dei per opera admiranda quæ geſsit per Spiritum Sanctum, id eſt, virtute diuina, ſicut dictum eſt *Lucæ* 11. *c.* In digito Dei eiicio dæmonia. Virtutem appellat pro miraculis, et operibus ſtupendis. *Secundum* ponitur pro *Per*. *Filius Dei in virtute)* Noui interpretes pro In virtute, vertunt, In potentia, vel Per potentiam. Sed eſt Hebraiſmus, Deus in virtute, pro Deus fortis, vel potens. Declaratus eſt, inquit, filius Dei omnipotentis. *Secundum ſpiritum ſanctificationis)* Poſt multa quæ legi apud varios autores in hæc verba, venit mihi in mentem alia quædam ratio locum explanandi, quæ an faciat ad eius germanam intelligentiam,

Digitized by Google

doctiſsimorum virorum qui in ſanctis Scripturis diu, multumq. verſati ſunt, iudicio relinquo. ea qualis ſit, quantum potero breuiter exponam. Quod ait Apoſtolus, *Secundum ſpiritum ſanctificationis*, non ad id *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute*, quod proxime præceſsit, referendum eſt: ſed ad illud quod paulo ante dictum eſt, *Qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem*. Sæpe enim in Sacris Litteris fiunt huiuſmodi inuerſiones, vel interiectiones verborum, ex proprietate linguæ Hebrææ. Huius rei multa exempla proferemus in opere de locutionibus Hebraicis, ſi Deus Opt. Max. aſpirauerit noſtris conatibus. Quod ergo ait Apoſtolus, *Secundum ſpiritum ſanctificationis*, loco ſuo non poſitum videtur, quia aptum ſenſum minime reddit; licet in eius loci explanatione viri præſtantiſsimi deſudarint. Erit ergo ſeries orationis Apoſtolicæ, *In quibus eſtis & vos vocati Ieſu Chriſti ſecundum ſpiritum ſanctificationis*. Hoc eſt, inter quos et vos electi eſtis a Ieſu Chriſto (Nam Genitiuus ponitur pro Ablatiuo cum præpoſitione) vel per Chriſti merita, electi inquam ſecundum ſpiritum ſanctificationis, ſiue per Spiritum Sanctum, vel effuſa gratia Spiritus Sancti in remiſsionem peccatorum. Niſi malis ita locum exponere: Qui declaratus eſt filius Dei omnipotentis, ex reſurrectione mortuorum, per reſurrectionem ſuam, ſecundum ſpiritum ſanctificatio-

nis.

nis. Declaratus eſt filius Dei, reſurgendo a mortuis; ſicut futurum eum verum Deum; vaticinia ſanctorum Prophetarum conteſtata ſunt. Quod ſi ita exponas, Spiritus pro ſermone et Prophetia vſurpatur: et eſt idioma Hebræum, Spiritus ſanctificationis, pro Prophetia ſancta. Eſt alia ratio hæc verba interpretandi: Spiritus ſanctificationis, vel ſanctitatis, dictum eſt phraſi Hebræa, pro Spiritu Sancto: vt ſenſus ſit, Qui factus eſt et genitus ſecundum carnem, vel quatenus homo, ex ſemine, progenie et poſteritate Dauid; et genitus quidem ſecundum ſpiritum ſanctificationis, id eſt, per Spiritum Sanctum, non ex virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine; non opere viri, ſed Spiritu Sancto ſuggerente Virgini ſanctiſsimæ virtutem diuinam ad concipiendum. Venit in mentem alia ratio (fortaſsis non improbanda, nec contemnenda) explicandi hæc verba. Spiritus ſanctus poſt reſurrectionem Chriſti, in die Pentecoſtes veniens ſuper Apoſtolos, illorum corda repleuit, et in hac veritate confirmauit, videlicet Chriſtum Ieſum eſſe filium Dei; et ita Apoſtoli docuerunt. Hoc modo Chriſtus Ieſus declaratus eſt filius Dei per Spiritum Sanctum; quia Spiritus Sanctus per Apoſtolos hanc docuit veritatem. Chriſtus, inquit D. Paulus, declaratus eſt filius Dei, poſt illius reſurrectionem. Nam, *Ex*, pro *Poſt* accipitur; quod nonnumquam fit in Scripturis ſanctis.

Quod vero ait Apoſtolus, *Ex reſurrectione mortuorum*, recte quidam vertunt, Ex reſurrectione a mortuis. Nam ex idiomate Hebræo, aliquando Genitiuus, vt modo diximus, ponitur pro Ablatiuo cum præpoſitione: vt *Pſal.* 18: 4. Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum (pro A quibus) non audiantur voces eorum. Nomen *Ieſu Chriſti* hoc loco, et in ſequentibus, ex proprietate linguæ Hebrææ, ponitur pro *eius*, vel *ipſius*. Nam Hebræus ſermo frequenter repetit Antecedens loco Relatiui.

Non enim per legem promiſſio Abrahæ, aut ſemini eius, vt heres eſſet mundi. Ad Roma. 4. c.

CAPVT LXXIX.

DIV hic locus difficilis mihi viſus eſt. Nunc ſententiam meam paucis exponam. Nihil abſurdum afferam, nec alienum ab vſu Sanctarum Scripturarum. Plana et ſimplex eſt expoſitio, atque ita, vt arbitror, germana. ea pendet vel plurimum ex vſu, et proprietate vocum. Ac primum ſeſe offert præpoſitio *Per*, quæ pro *Propter* accipienda eſt, ſicut et aliis locis Sacræ Scripturæ,

pturæ. vt *ad Roma.* 2. *d.* Nomen Dei per vos blaſphematur inter gentes, hoc eſt, Propter vos inter gentes male audit, blaſphemiis afficitur nomen meum, vt quidam vertunt. Et 1. *ad Theſſa.* 4. *c.* Eos qui dormierunt per Ieſum, id eſt, Qui propter confeſsionem Chriſti occiſi ſunt, adducet cum eo. Semen Abrahæ vocat Apoſtolus Iſaac et Iacob, aut certe Dauid, qui fuit filius Abrahæ, deq. illius poſteritate, cui excellens illa et inſignis de Chriſto repromiſsio facta eſt, ſicut Abrahæ. *Vt* ponitur pro *Quod*, declaratiua, vt vocant, ex Hebraiſmo, vt paulo poſt hæc verba ait Apoſtolus de Abraham, Credidit vt fieret pater multarum gentium, hoc eſt, Credidit quod futurus eſſet pater multarum gentium. Et 1. *Reg.* 8. *b.* Dominus dixit vt habitaret in nebula. id eſt, Quod eſset habitaturus in nebula. Et *Apoca.* 14. *c.* Amodo iam dicit ſpiritus vt requieſcant a laboribus ſuis. id eſt, Quod requieſcent a laboribus ſuis. *Heres* ponitur pro Domino, ex idiomate Hebræo. vt *ad Hebra.* 1. *a.* Quem conſtituit heredem vniuerſorum. id eſt, Dominũ omnium, ſicut ipſe filius Dei Chriſtus Ieſus ait *apud Mattha. cap.* 28. *d.* Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, et in terra. *Iere.* 8. *d.* Dabo agros eorũ heredibus. id eſt, aliis dominis. Et *Micha.* 1. *d.* Heredem adducam tibi. id eſt, alium Dominum. Verbũ ſubſtantiuũ *eſſe* pro *venire* ponitur, quod nonnumquã fieri

in Scripturis ſanctis, ex idiomate ſermonis Hebraici, alibi obſeruamus. Vnicum tamen exemplum occurrit memoriæ, quod eſt peraccomodum, illud eſt *ad Roma.* 5. *c.* vbi Apoſtolus primum hominem Adam vocat formam futuri, hoc eſt, typum et figuram, vt pleriq; interpretantur, illius venturi, nempe Meſsiæ promiſsi; qui inter alias appellationes, hoc nomine vulgo deſignabatur, Ille venturus. Hinc illa interrogatio *Matth.* 11. *a.* Es tu qui venturus eſt? ac ſi dicerent, Es tu ille venturus? id eſt, ille Meſsias promiſsus? Itaque *eſſet*, hoc loco dictum eſt pro *veniret*. Ac rurſus, ex idiomate etiam Hebræo *eſſet*, vel *veniret*, pro *venturus eſſet*, dictum eſt. Sæpe enim ſacri ſcriptores, ex idiomate linguæ ſuæ, vtuntur temporibus incircumſcriptis pro participio futuri temporis cum verbo ſubſtantiuo eiuſdem temporis cum incircumſcripto. vt *Matthæ.* 22. *d.* Quid vobis videtur de Chriſto? cuius filius eſt; pro futurus eſt. Et quomodo filius eius eſt? Et *Lucæ* 12. *e.* Si ſciret pater familias qua hora fur veniret, pro venturus eſſet. Et *Matthæ.* 2. *a.* Vbi Chriſtus naſceretur, pro naſciturus eſſet. Alia non pauca huius generis teſtimonia, in præſentia omittamus. Heredem vero, ſiue dominum mundi, vocat Apoſtolus Deum ipſum, qui conditor, ac Dominus eſt rerum omnium. Eodem ſenſu manente, hæc mihi obſeruanda videntur. Sicut coniun-

iunctio copulatiua (vt alibi annotamus) non raro in Diuinis litteris, ex idiomate Hebræo, ponitur pro præpoſitione: ita et hoc loco coniunctio Diſiunctiua. Præterea inuerſio vocum eſt, *Aut ſemini eius, vt heres eſſet mundi*, pro *Vt heres mundi eſſet, aut ſemini eius*. Semen pro poſteritate. Inquit ergo Apoſtolus: Non propter legem, ſiue propter legis obſeruationem, facta eſt promiſsio Abrahæ, quod ille heres, ſiue Dominus mundi, venturus eſſet ſemini eius, id eſt, de poſteritate eius. Nunc patet loci ſenſus. Facta eſt promiſsio, inquit Apoſtolus, Abrahæ, *Gene.* 18. *c.* & 26. *a.* de aduentu Chriſti, quodque Deus ipſe venturus eſset in mundum factus homo, et quidem de ſemine eius. Sed numquid hæc promiſsio facta eſt illi per legem, ſiue propter legis obſeruationem? Minime quidem id fieri potuit, cum temporibus Abrahæ nondum data eſſet lex illa vetus; ſed facta eſt illi, quia credidit Deo, ſicut aperte oſtendit liber Geneſeos. Propter fidem ergo facta eſt illi promiſsio. Intelligo vero de fide formata, vt Catholici loquuntur, quæ per dilectionem operatur.

Itaque fratres mei & vos mortificati eſtis legi per corpus Chriſti. Ad Roma. 7. a.

CAP.

CAPVT LXXX.

M*Ortificati*, vel *mortui eſtis legi*, dictum exiſtimo pro Lex mortua vobis eſt. Quo genere locutionis (ex vſu, vel abuſu linguæ Hebraicæ) non pauca dicta ſunt in arcanis litteris. Atque id filum et conſequentia expoſcere videtur. Sed litteram, vt iacet, modo ſequamur. Mortui, inquit, eſtis, ſiue eſſe debetis legi veteri, non tenemini ad illam, non eſtis ſub iugo illius; quia lex illa mortua eſt, et abolita per corpus Chriſti, id eſt, per aduentum Chriſti, poſtquam illuxit Euangelium. Sicut vero corpus opponitur Vmbræ, ita Apoſtolus Legi veteri opponit Euangelium, ipſumq. appellat Corpus, id eſt Veritatem; quia lex vetus fuit vmbra, id eſt, typus & imago Euangelii, quod eſt veritas, ſignificata per vmbram illam, & figuram. Nam Lex vetus Chriſtum Ieſum, ſiue Euangelium eius, multis ſacrificiis, variis ritibus & cærimoniis adumbrauit. Corpus itaque pro veritate appellat Apoſtolus, Chriſtum vero pro lege quam ore proprio primus prædicauit; quemadmodum legislator aliquando pro lege ponitur. vt *ad Hebræos* 13.*b.* Ieſus Chriſtus heri et hodie, ipſe et in ſęcula. Vbi ſermo eſt de Euangelio vſque ad ſęculi conſummationem permanſuro. Sicut aliquando Moſes legis veteris promulgator, pro ipſa lege ponitur. vt

Lucæ

Lucæ 16.*g*. Habent Moyſen, et Prophetas. Et Si Moyſen, et Prophetas non audiunt, &c. Et *ad Roma.* 5. *b.* Regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſen. Et 2. *Corin.* 3. *d.* Vſque in hodiernum diem, cum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum. Itaque per Corpus Chriſti, inquit, ſiue per corpus Euangelii, id eſt, per veritatem Euangelii: per Euangelium, quod eſt veritas adumbrata, et præfigurata per legem veterem: mortui eſtis ipſi legi. Per Euangelium lex illa mortua eſt, ſiue ceſsauit, abolita eſt, non habet iam vim vos obligandi ad ſui obſeruationem. Sic idem Apoſtolus vtitur vocibus Corporis Chriſti, *ad Colo.* 2. *c.* vbi loquens de ritibus legis veteris, vocat eos vmbram futurorum, hoc eſt, typum et imaginem eorum quæ futura eſſent in lege Euangelica. Quæ ſunt (pro *fuerunt*) vmbra, inquit, futurorum; Corpus autem Chriſti. Hoc eſt, veritas ſignificata per has vmbras et figuras, eſt Chriſtus, ſiue Euangelium Chriſti. Et quia Apoſtolus in his locis Corpus appellat pro veritate, *ad Coloſ.* 2. *b.* Corporaliter dixit pro Vere. In ipſo (nempe Chriſto) inhabitat, inquit, omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Hoc eſt, Vere in Chriſto ſunt omnes diuitię, vel omnes perfectiones Diuinitatis. Sicut ait *ad Coloſ.* 2. *a.* In quo ſunt omnes theſauri ſapientię et ſcientiæ abſconditi. Eſt autem phraſis Hebręa, Per corpus Chriſti, pro eo quod

eſt,

eſt, Per Chriſtum, qui eſt corpus, ſiue veritas. Chriſtum ergo appellat Apoſtolus corpus, quia lex vetus Vmbra vocatur, id eſt, typus et imago Chriſti venturi, et Chriſtus per legem figurabatur. Quod ſi lex erat vmbra Chriſti, ergo Chriſtus corpus legis, hoc eſt, veritas adumbrata per legem. Inquit itaque Apoſtolus: Poſtquam Chriſtus venit, non ſubiacemus legi. Mortificatum, vel mortuum dixit pro libero, quia mors liberum facit. *Mortificati eſtis legi*, hoc eſt, *Liberi eſtis a ſeruitute legis.*

Nam quod impoßibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, et de peccato damnauit peccatum in carne, vt iuſtificatio Legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum. Ad Roma. 8. a.

CAPVT LXXXI.

Q*Vod impoßibile erat legi*) Quod lex Moſaica, inquit, efficere non poterat, hoc eſt, iuſtificare hominem a peccato. *In quo infirmabatur*) *In quo* idem eſt quod *Propter quod*. id eſt, *Quia*. Suntque hæc verba per paren-

parentheſim legenda. Nam infirma erat, inquit. Itaque aliquando In quo, id eſt, Propter quod, ponitur Hebraice pro Quia; Sicut In hoc, interdum ponitur pro Ideo, Vel Propterea. vt 1. *Cori.* 4. *a.* Sed non in hoc (id eſt, propterea) iuſtificatus ſum. *Per carnem*) Caro pro Animalibus ponitur, quod aliquando fit in arcanis litteris. Per carnem ergo, idem eſt quod Per animalia, id eſt, per ſacrificia animalium. Quod impoſsibile, inquit, erat legi efficere per ſacrificia animalium, hoc eſt, cum lex non poſſet iuſtificare hominem a peccato per ſacrificia animalium (nam infirma erat, nec tantum poterat) ſubaudi, hoc effecit Deus mittens filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati. Quo loco Caro pro Homine ponitur, ex idiomate Hebræo non inuſitato apud ſcriptores Sacros. et Caro peccati, locutio Hebræa eſt pro Homine peccatore, et obnoxio peccatis. Venit enim Chriſtus Ieſus in ſimilitudinem hominis peccatoris, ceteris hominibus ſimilis, vt ait alibi idem Apoſtolus. Itaque quia lex illa vetus infirma erat ad iuſtificandum, nec poterat iuſtificare, ſicut ait idem Apoſtolus *ad Hebræos cap.* 7. *c.* Propter infirmitatem eius, et inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex. Et ibidem, Reprobatio quidem fit præcedentis mandati (id eſt, veteris legis: nam mandatum per ſynecdochem ponitur pro lege) propter infirmitatem eius. Et *ad Gala-*

tas cap. 4. Legem veterem vocat infirma et egena elementa, id eſt, legem infirmam & imbecillem, quia non poterat iuſtificare. Quia, inquam, lex illa vetus non poterat iuſtificare per ſua ſacrificia, in quo infirmabatur, id eſt, ad quod infirma erat et imbecillis, quia id efficere non poterat: Deus miſit filium ſuum in mundum, in ſimilitudinem aliorum hominum; qui per mortem ſuam hominem iuſtificauit. *Et de peccato damnauit peccatum in carne*) *Et*, poteſt apte pro nomine relatiuo *Qui*, accipi, ex proprietate linguæ Hebraicę: ſicut aliquando ponitur in diuinis litteris. *De* pro *In*, id eſt *Per*, accipitur. Peccatum vero priori loco pro hoſtia, et ſacrificio ponitur: cuius rei non deſunt teſtimonia in lectione ſanctarum ſcripturarum. Vide 2. *Corin.* 5. *d.* & *Oſeæ* 4. *b.* Secundo vero loco Peccatum ponitur in communi ſignificatione, eſtque ſingularis numerus pro plurali. Quod vero ait Apoſtolus, *In carne*, Auferendi caſus cum præpoſitione, ponitur pro Genitiuo, ex idiomate Hebræo. Filius Dei per hoſtiam, inquit, et ſacrificium ſui corporis, aboleuit, abſtulit peccata hominum: nam quod impoſsibile erat legi, ſcilicet efficere (erat enim infirma & imbecillis) per carnem, ſiue per animalia, id eſt, ſacrificia animalium, (ſicut ait idem Apoſtolus *ad Hebræ.* 10. *a.* Impoſsibile eſt enim ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata.) Deus effecit filium ſuum mittens ſimilem

lem aliis hominibus peccatoribus, (expertem vero peccati) qui per oblationem et ſacrificium corporis ſui abſtulit peccata hominum. Miſit Deus filium ſuum effectum ſimilem ceteris hominibus, qui ſunt obnoxii peccato. Miſit illum, qui et factus eſt verus homo, et ita ærumnis vitæ humanæ obnoxius, puta fami, ſiti, frigori, laſsitudini, et hujuſmodi aliis, vt erant homines reliqui; ſoloq. peccato illis diſsimilis. Nam vt (idem Apoſtolus ait *ad Hebræ. 2.*) Quia pueri communicauerunt carni et ſanguini, voluit eiſdem participari. Hoc etiam eſt quod alibi ait, In ſimilitudinem hominum factus; et habitu inuentus vt homo. Quod vero dixit Apoſtolus, De peccato damnauit peccatum in carne: fortaſsis eſt inuerſio præpoſitionum, pro eo quod eſt, In peccato (id eſt, per peccatū, ſiue per hoſtiam corporis ſui) damnauit, vel abſtulit peccatum, ſiue peccata de carne, ſiue peccata carnis, id eſt, peccata hominum. Vides eandem vocem in eodem cōtextu orationis diuerſimode accipi. Nam in eadem periodo vox carnis quater poſita eſt, ſed non in eadem ſignificatione. Primo enim caro pro Animalibus, atq. ſacrificiis animalium, vſurpatur: Secundo vero loco, et tertio, pro Homine; Quarto vero loco atq. poſtremo Caro ponitur pro Concupiſcentia carnis. Idem dicendū eſt de voce Peccati. Nam primo pro Hoſtia pro peccatis, accipitur; Secundo vero in ſua communi ſignificatione,

Has duas Peccati ſignificationes complexus eſt idem Apoſtolus 2. *Corin.* 5. *d.* licet non eodem ordine. Eum, inquit, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit. Diſcat ex his diligens lector ſanctarum Scripturarum, (quod alibi vberius multis productis teſtimoniis earum, tractamus) ſcilicet aliquando eandem vocem in eodem contextu orationis repetitam, diuerſimode accipi, et aliud atque aliud ſignificare. *Vt iuſtificatio legis impleretur in nobis*) Iuſtificationem legis vocat Apoſtolus non quam lex vetus efficiebat, (quia illa non poterat iuſtificare: nihil enim ad perfectum adduxit lex, vt dictum eſt) ſed iuſtificationem legis appellat iuſtificationem quam lex reſpiciebat, et adumbrabat, ac præfigurabat variis ſacrificiorum inuolucris, multis ac diuerſis ritibus & cerimoniis. *Qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum.*) Secundum carnem ambulare, eſt, carnis concupiſcentiæ obedire, ſectari deſideria et voluptates carnis, degere vt caro concupiſcit. Ambulare vero ſecundum ſpiritum, eſt, recta et æqua animi deſideria ſectari. Forte ſicut Spiritus frequenter in nouo Teſtamento pro Euangelio vſurpatur, ita Caro pro Lege veteri accipitur hoc loco, quæ fuit carnalis, id eſt temporalis, et ad tempus data; nempe donec veniret Meſsias promiſsus. Sic vocat eam Apoſtolus *ad Hebr.* 7. *c.*

Sapien-

Sapientiam autem loquimur inter perfectos: ſapientiam vero non huius ſæculi, neque Principum huius ſæculi, qui deſtruuntur: ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt. 1. *Corin.* 2. *b.*

CAPVT LXXXII.

PERFECTVS in nouo Teſtamento aliquando ſonat idem quod Chriſtianus. Sicut enim in veteri Teſtamento, Iuſtorum nomine filii Iſrael ſæpe ſignificantur, quod eſſent veri Dei cultores, nec idola colerent, vt gentes aliæ: Sic Apoſtolus interdum Perfectorum nomine Chriſtianos homines intelligit, vt *ad Hebræ.* 12. *g.* Spiritus Iuſtorum, & perfectorum, dixit pro populo Chriſtianorum. Et *ad Coloſ.* 3. *c.* de charitate loquens, vocat eam vinculum perfectionis, id eſt perfectorum, (ſumpta denominatione pro denominato, more Hebræo) ſiue Chriſtianorum. Quod eſt, inquit, vinculum perfectionis. Vinculum charitatis eſt, (id eſt, eſſe debet) vinculum Chriſtianorum, quaſi diceret, Chriſtiani homines arctiſsima charitate vniri debent,

bent, quaſi quodam ſtrictiſsimo vinculo. Atque ita hoc loco Perfecti, pro Chriſtianis hominibus appellari videntur. Sapientiam huius ſæculi, vel huius mundi vocat Apoſtolus, quam alibi Sapientiam carnis, id eſt, hominum nominat; quando hæc humana ſapientia Diuinæ ſapientiæ contraria eſt. Principes huius ſeculi vocat Philoſophos, & ſapientes gentium; qui propterea quod apud quaſdam gentes reſpublicas gubernarent, & Magiſtratibus præcipuis fungerentur, Principes vocabantur. Iſaias *cap.* 19. *b.* de ſapientibus Aegypti loquens, ait: Stulti Principes Tanoos, Sapientes cōſiliarii Pharaonis dederunt cōſilium inſipiens. Et poſt pauca, Stulti facti ſunt Principes Taneos (id eſt, Sapientes Aegypti,) emarcuerunt Principes Mempheos. De huiuſmodi ſapiētibus mundi inquit Apoſtolus, Qui deſtruūtur; quod ſignificat qui pereunt, vel Pereuntium, vt dicere ſolet. Pereuntes vero homines, vel eos qui pereūt, pro perditiſsimis appellare ſolet Apoſtolus, & qui ſint prauis et ſceleratis moribus. Principes ergo qui deſtruuntur, vel Principes pereuntes, dixit pro Principibus perditiſsimis, et morū peſsimorū. Sed maioris difficultatis in hoc loco eſt quod ſequitur, quodq. ſupereſt enarrandū. (*Sed loquimur*, ait, *Dei ſapientiā in myſterio, quæ abſcōdita eſt.*) Exiſtimo inuerſionē verborum fieri, quę nō eſt inuſitata apud ſcriptores ſacros, ex vſu linguę ſuę, ſicut ſuo loco vberius, Deo auſpice, dicturi ſumus.

ſumus. Sic ergo dictum eſt, pro eo quod eſt, Sed loquimur Dei ſapientiam, quæ abſcondita erat, vel fuerat (nam more Hebræo tempus ponitur pro tempore) in myſterio. Sed quid eſt, In myſterio? Equidem in ea ſum ſententia, poſt multa quæ legi, et animo meo verſaui, vt exiſtimem Myſterium hoc loco pro Typo, vmbra et figura appellari, poſita voce ſingulari pro plurali; quod frequens eſt in Diuinis litteris. Huic proprietati vocis Myſterii, ſimilis eſt proprietas vocis Spiritualis, qua Apoſtolus vtitur non ſemel, 1. *Corin.* 10. *a*. vſurpans Spirituale pro Typico. Huiuſmodi vero ſignificationem vocis Myſterii non eſſe inuſitatam ſcriptoribus ſacris, oſtendit illud 2. *ad Theſſa.* 2. *b*. Myſterium iam operatur iniquitatis. Et illud *ad Ephe.* 5. 9. Sacramentum (Græce myſterium) hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, et in Eccleſia. De qua re lege caput 91. huius Centuriæ. Sapientia itaque Dei, id eſt, aduentus veri Meſsiæ Chriſti Ieſu; mors eius ſanctiſsima, acerbiſsima et abiectiſsima, redemptio generis humani, prædicatio Euangelii, vocatio gentium, et reliqua id genus, licet a Deo præfinita eſſent; abſcondita erant hominibus. Præfinierat, atque decreuerat Deus ante ſæcula; præfinierat ab æterno hæc aliquando, nempe ſuo tempore, futura; ſed latebant in myſterio. Prædixit Deus per Prophetas, hæc aliquando futura; ſed obſcure, erantq. illa velata

ſub inuolucris verborum. Hæc etiam futura ſignificauit lex vetus, ſed non aperte, ſed ſub quibuſdam vmbris & imaginibus, nempe ſub tegumento ſacrificiorum, cærimoniarum, et rituum ſacrorum. Hæc enim omnia vmbræ erant, typi, et imagines eorum quæ tẽporibus Meſſiæ, et Euangelii futura erant. Myſteria, id eſt figuræ erant ſapientiæ Dei, hoc eſt Euangelii. Illa præclara vaticinia ſanctorum Prophetarum, vt quæ riuos mellis, & lactis temporibus Meſsiæ pollicentur, quæ vberrimos terræ fructus, paſcua virentia, et alia huiuſmodi terræ bona promittunt; quæ tempora felicia, et opes magnas quas lex vetus proponit, pollicentur; huiuſmodi inquam vaticinia & promiſſa, adumbrabant bona ſpiritus ampliſsima, et opes ſpirituales quas Chriſtus Ieſus R. N. collaturus erat Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, quibusque nunc gaudet feliciſsimus populus Chriſtianorum. Itaque Dei ſapientia quæ abſcondita erat in myſteriis, id eſt in typis, & figuris, in Lege & Prophetis; Euangelium quod latebat in eis, ſub verborum inuolucris, et rerum typis et imaginibus; quamque Deus decreuerat in mundum producere in bonum noſtrum, in gloriam, id eſt felicitatem noſtram; hæc inquam ſapientia iam ſe prodidit, iam ſe manifeſtauit mundo, quæ latebat ſub vmbris, et tegumentis multiplicium figurarum. Hæc Dei ſapientia (inquit Apoſtolus) tempore legis veteris abſ-

con-

condita fuit, et latuit ſub multis typis, et imaginibus. Licet enim Lex, et Prophetæ, hoc ingens bonum, et mirabile arcanum non tacuerint; tamen obſcure illud prænunciarunt; lex quidem variis ſacrificiis, multiplici apparatu rituum et cærimoniarum; Prophetæ vero obſcuris verborum inuolucris. Latebat ergo hæc mirabilis Dei ſapientia in myſterio, hoc eſt, ſub vmbris et imaginibus; quam Deus manifeſtauit his feliciſsimis temporibus Euangelii. Doctrina Euangelica abſcondita erat in myſterio, id eſt in lege, et Prophetis; variis rerum inuolucris obtecta erat, et latebat multipliciter adumbrata, diuerſis ſacrificiis, et cærimoniis, quaſi typis, et imaginibus.

Deinde finis: cum tradiderit Regnum Deo et Patri, cum euacuauerit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius. Nouiſſima autem inimica deſtruetur mors: Omnia enim ſubiecit ſub pedibus eius.

1. Corin. 15. c.

CAPVT LXXXIII.

C*Vm tradiderit regnum &c.)* Conſummatio ſęculi, inquit, erit, cum Chriſtus Patri cæleſti tradiderit regna (ſingularis enim numerus ponitur pro plurali) hoc eſt, nationes orbis vniuerſas acquiſierit Deo Patri, et ad veram fidem Euangelii adduxerit; videlicet per Apoſtolorum, et ſucceſſorum prædicationē. Non prius, ait, finis rerum eueniet, quam gentes ad vnam fidem, et vnam Chriſti Eccleſiam adducantur. Tunc omnes gentes orbis venient in ditionem Patris cæleſtis, tunc gentes ſponte fient poteſtas, poſseſsio, id eſt, hereditas Dei, Cum tradiderit, inquit, regnum Deo Patri. Huc pertinet illud *Apoca.* 11.*c.* Factum eſt regnum huius mundi Domini noſtri, et Chriſti eius. Hunc ſenſum ſuadent ea quæ ſequuntur; Cum euacuauerit omnem principatum, et poteſtatem, et virtutem, id eſt, Cum deleuerit omnes principes, et poteſtates gentium, cum regnis et gentibus ſibi ſubditis. Tunc, inquit, erit conſummatio ſæculi, quando Chriſtus vaſtauerit reges, et Principes orbis; id eſt, cum eos, vt dictum eſt, ad veram fidem et religionem adduxerit. Nam loquitur Apoſtolus more Prophetarum, qui conuerſionem gentium conſueuerunt ſignificare vocibus vaſtationem, euerſionem, cædem, et internecionem ipſarum gentium ſignificantibus. *Deo & patri)* Hendiadys Hebræa eſt, pro Deo

Patri,

Patri, cuiuſmodi locutione frequenter vtitur Apoſtolus. *Cum euacuauerit omnem principatum &c.)* Euacuare ponitur pro Abolere et deſtruere. Principatum, poteſtatem, et virtutem dixit, pro Principibus, et Poteſtatibus, et fortiſsimis, ſiue potentiſsimis. Denique cum euacuauerit, aboleuerit, deſtruxerit Chriſtus omnem principatum, id eſt, omnia regna mundi: tunc erit finis. Videtur Apoſtolus reſpicere ad illud *Pſalmi* 109. Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. hoc eſt, donec gentes diuerſas idola colentes adducam ad veram fidem Euangelii. *Oportet autem illum regnare &c.) Autem*, ponitur pro *Enim*: quod non raro inuenitur in arcanis litteris. quaſi dicat, Regnabit enim Chriſtus in domo Iacob, conſiſtet regnum Eccleſiæ militantis, donec omnes gentes ſponte Chriſti Euangelio ſubiiciantur. *Nouiſsime autem inimica deſtruetur mors:)* Diuerſimode hæc verba explanari poſſunt, in variosque ſenſus trahi ſolent. Fortaſsis ita dictum eſt, pro Denique omnes mortales Chriſti inimici, id eſt, omnes gentes colentes idola, deſtruentur et vaſtabuntur: ita vt Apoſtolus perſtet in eadem figura loquendi Prophetica, qua conuerſionem gentium a cultura Idolorum ad Chriſti fidem, et Euangelium, vocat illarum vaſtationem, cædem, et interitum. Ac fortaſse ita intelligendum eſt quod ſequitur;

Omnia enim ſubiecit, (pro ſubiiciet, more Prophetico, ſi præſens argumentum ſpectes) *ſub pedibus eius. Mors* pro *Hoſte*, quod nonnũquam fit in ſacris litteris. vt *Iere. 9. f.* Aſcendit mors per feneſtras. Singularis eſt pro plurali, & fit inuerſio vocum, pro Deſtruetur inimicus perdens et vaſtans. Deſtruentur, inquit, hoſtes qui impugnant Eccleſiam Chriſti, id eſt, gentes infenſę populo Chriſtianorum. Subiecta erunt illi omnia ſcilicet regna gentium, per fidem. Poſſunt & hæc verba *Nouiſsima mors*, hunc habere ſenſum. Hoſtis potentiſsimus qui eſt diabolus, deſtruetur; cuius tyrannis finem accipiet in conſummatione ſæculi, nec amplius exeret vires ſuas contra homines, niſi cõtra damnatos ſuppliciis gehennæ, quos cruciabit, et ſimul cruciabitur cum illis. In quo ſenſu *Mors* pro *Hoſte*, et *Nouiſsimus*, pro re quæ in ſuo genere maxima eſt, vſurpantur. Poſſunt eadem verba ita explanari, vt mors pro Diabolo accipiatur, cuius opera mors introducta eſt in orbem terrarum. *Sapien.* 1. et qui mortem afferre conetur hominibus; (præter id quod mors, vt dictum eſt, pro Hoſte aliquando appellatur in ſcripturis ſanctis) vel Inimica mors, pro Inimicus mortalis (vt vulgo loquimur) id eſt, Maximus Hoſtis; ita vt Mors inimica, pro aduerſario et hoſte magno ac potentiſsimo dictum ſit. Quod non inepte de Antichriſto intelligi poteſt, de quo idem Apoſtolus 2. *ad Theſſa.* 2. *b.*

ſa.2.b. ait, Quem Dominus Ieſus deſtruet illuſtratione aduentus ſui. Nam poſt conuerſionem gentium, hoſtis ille Chriſti et Eccleſiæ, ſæuiſsimus ac potentiſsimus tyrannus deſtruetur; deinde finis, ſtatimq. orbis conſummatio ſequetur. Atque hæc poſtrema ratio locum enarrandi, mihi præ ceteris placet, vt inimica mors, dictum ſit pro inimicus mortalis, vt vulgo loquimur, id eſt, maximus. Hoc enim genus abuſus loquendi, aliquando eſt in vſu ſcriptoribus ſacris, ex proprietate linguæ ſuæ, vt nomen adiectiuum efficiant ſubſtantiuum, et quod debet eſſe ſubſtantiuum, apponant in forma adiectiui. Quo genere locutionis idem Apoſtolus *ad Gala. 6. c.* dicit Domeſticos fidei, pro Fideles domus. Operemur, inquit, bonum erga omnes, præſertim erga fideles domus noſtræ. id eſt, Qui ſunt de familia noſtra. Sic dictum eſt *Sapi.* 3. *a.* Spes illorum (vtique Iuſtorum) immortalitate plena eſt. hoc eſt, Merces (hoc enim ſignificat ſpes) iuſtorum eſt immortalitatis plena, pro eſt plenitudo immortalitatis, id eſt, plenitudo perfecta, diuitiæ non perituræ, copia bonorum numquam deficientium. Quod ergo ait Apoſtolus, Inimica deſtruetur mors, intelligendum puto de reſurrectione mortuorum, cum amplius mors non dominabitur corporibus noſtris. Nec obſtat quod ſtatim Apoſtolus de vocatione gentium ſermonem texit; redit enim ad inter-

miſſum

miſſum ſermonem, interpoſitis his paucis verbis de reſurrectione corporum, Nouiſsime vero inimica deſtruetur mors: quemadmodum poſtquam egit de conuerſione gentium ante ſæculi conſummationem futura, redit ad intermiſſum argumentum de ipſa corporum reſurrectione (quod præcipue intendebat) cum ait, Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis? Placuit hoc loco annectere explanationem verborum illorum quæ perobſcura ab omnibus iudicantur, et paulo poſt hunc locum quem pertractauimus, ſequuntur, licet non habeantur inter verba quæ hoc capite explanamus. Illa ſunt, *Vt ſit Deus omnia in omnibus*. Arbitror vero hoc loco fieri inuerſionem ſuppoſiti, et præpoſitionis *In*, ita vt hoc dictum ſit pro eo quod eſt, *Vt ſint omnia* (ſcilicet regna orbis) *in omnibus* (id eſt, cum omnibus ſcilicet gentibus) *in Deo*, (id eſt, Coram Deo) Eſſe vero coram Deo, phraſis ſcripturarum eſt, pro ſeruire Deo, colere Deum et venerari. Denique ait Apoſtolus, Vt ſint omnia orbis regna ſimul cum omnibus gentibus; vel omnia regna et omnes gentes coram Deo. Ita, inquit, vt omnes gentes et nationes orbis, Chriſto Ieſu Deo vero honores diuinos impendant, relictis idolis.

Semi-

Seminatur corpus animale, Surget corpus ſpiritale. Si eſt corpus animale, eſt & ſpiritale, ſicut ſcriptum eſt: Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem: nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem. Sed non prius quod ſpiritale eſt, ſed quod animale: deinde quod ſpiritale. Primus homo de terra, terrenus: Secundus homo de cælo, cæleſtis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cæleſtis, tales & cæleſtes. Igitur ſicut portauimus imaginem terreni: portemus & imaginem cæleſtis. 1. *Corin.* 15. *f.*

CAPVT LXXXIIII.

S*Eminatur corpus animale, &c.)* Corpus animale vocat Apoſtolus, corpus mortale, corruptibile, obnoxium morti & corruptioni, quale eſt corpus omnium animantium: corpus vero ſpiritale vocat immortale et incorruptibile, ſicut ſpiritus, ſiue anima immortalis eſt. Animale ergo pro mortali accipit, et ſpiritale pro immortali: quia animantia, vno homine excepto, mortalia ſunt, ſed ſpiritus hominis immorta-

lis

lis. Hinc Animale accipit pro mortali, imbecilli, fragili, et miſeriis obnoxio; contra vero Spiritale pro immortali, forti, glorioſo etc. Nunc, inquit Apoſtolus, corpora noſtra ſunt mortalia, et obnoxia corruptioni; at reſurgent in nouiſsimo die immortalia, et corruptioni minime ſubiecta. *Si eſt corpus animale &c.)* Alii ex Græco vertentes, omittunt *Si*. Videtur vero eiuſdem ſententiæ repetitio, mutatis verbis. quaſi dicat: *Sicut nunc* corpus noſtrum eſt animale, id eſt, mortale et corruptibile: Et (id eſt, Sic) erit ſpiritale, ſiue immortale, *in reſurrectione*: Vel Nunc eſt corpus animale: et eſt (id eſt, ſed futurum eſt) ſpiritale. Idem ſenſus manet, ſi legas *Si*, cum vulgato interprete. Si (vel quamuis) nunc corpus noſtrum eſt animale, at reſurget ſpiritale. *Primus*, inquit, *homo Adam in animam viuentem &c.*) Hominem hoc loco ſicut *ad Coloſ.* 3. *b.* & 2. *Cor.* 4. *b.* & *ad Roma.* 6. *b.* vocat Apoſtolus per ſynecdochem quamlibet partem hominis; nam hominem vocat corpus tantum, et animam tantum. Corpus ſolet vocare primum hominem, veterem hominem, hominem qui foris eſt; Animam vero, ſecundum Adam, vel ſecundum hominem, nouum hominem, vel nouiſsimum Adam, hominem qui intus eſt. Primum ergo hominem vocat corpus, quia primum formatum eſt, et nouiſsimum Adam, vel nouiſsimum hominem vocat Animam hominis,

quæ

quæ poſtea quam formatum eſt corpus, creatur a Deo, et ſimul corpore includitur; quam Deus creando infundit, vt aiunt noſtri Theologi, ita vt non extra corpus creetur, ſed intra corpus. Denique factus eſt, inquit, primus homo Adam, id eſt, primum formatum eſt corpus Adam, ſiue hominis (nam Adam per hominem interpretamur) in animam viuentem; id eſt, factus eſt anima viuens, ſiue homo viuens, quod videlicet poſtea vixit infuſa anima. Phraſis Hebræa eſt, Factus eſt in animam viuentem, pro Factus eſt anima viuens. Sicut illud dictum eſt, Ego ero illi in patrem, et ipſe erit mihi in filium; pro Ego ero illi pater, vel quaſi pater; et ille erit mihi filius, vel quaſi filius. Sic dictum eſt, Nouiſsimus Adam in ſpiritum viuificantem. Nouiſsimus ergo Adam factus eſt in ſpiritum viuificantem, id eſt, Anima quæ poſtremo a Deo creatur, iam corpore formato, (quodque de primo homine Adam dicimus, et partibus eius; idem de ſingulis hominibus dicendum eſt) facta eſt viuificans, et corpori iam formato vitam tribuens. Primus itaque homo hoc loco appellatur corpus; et Anima vocatur ſecundus Adam, ſiue nouiſsimus homo. Hic primus homo factus eſt in animam viuentem, id eſt, factus eſt animal viuens (nam Anima pro Animali ponitur, quod aliquando fit in Sacris litteris) cum anima, ſiue ſpiritus illi infuſus eſt, tunc enim

corpus

corpus (quod primus homo appellatur) vitam accipit, et viuit. Viuit vero corpus vita mortali et corruptibili, velut corpora animantium quæ ratione carent. Quo ad corpus ergo ſimilis eſt homo brutis animantibus. Nouiſsimus Adam, ſiue nouiſsimus homo (quæ eſt anima hominis) factus eſt in ſpiritum viuificantem, hoc eſt, nouiſsime, poſtremo, poſt corpus formatum, creatus eſt ſecundus Adam, ſiue Anima quæ illud corpus viuificaret. Et quamquam eadem phraſi hæc duo dicta videantur, In animam viuentem, et In ſpiritum viuificantem: cum tamen dicitur In animam viuentem, *In*, vim habet ſimilitudinis (vt ſæpe alias in arcanis litteris) vt ſit ſenſus, Quod primum formatum eſt in Adam (nempe corpus) eſt velut animal ratione carens. De his D. Auguſtinus *epiſtola* 146. *ad Conſentium. Sed non prius quod ſpiritale eſt &c.)* Genus Neutrum ponitur pro Maſculino. Non prius, inquit, creatur nouiſsimus homo, ſiue homo ſpiritalis, id eſt, ſpiritus, ſiue anima: ſed primū formatur corpus, quod primus homo, & homo animalis appellatur; et poſtea creatur anima. *Primus homo de terra, terrenus &c.)* Hominē vocat Apoſtolus, vt paulo ante, genere locutionis ſibi peculiari, Corpus hominis, tum etiam Animam. Primum hominem vocat corpus, quia prius formatur corpus, quam creetur Anima illi infundenda: vnde et Animam ſecundum hominem vocat. Primum ho-

minem

minem, id eſt corpus, terrenum dicit eſſe, et de terra factum; quia corpus primi hominis Adæ de limo terræ formatum eſt, *Gene.* 2. *c.* tum etiam quia mortale, et corruptibile eſt. Nam quia ea quæ ſunt de terra, ſiue de genere terrenorum (quæ ſunt omnia Vniuerſi, præter Animam) corruptibilia ſunt; Terrenum pro Corruptibili appellamus. Secundum vero hominem, id eſt Animam, vocat de cælo, et cæleſtem; non quod anima hominis e cælo deſcendat, vel quod ſit quædam particula diuinitatis (vt quidam ſomniarunt;) ſed quod ſit virtute cæleſti, ſiue diuina, creata, non educta de potentia materiæ. Nam quod eximium eſt, cæleſte nuncupare ſolemus, et cæleſte pro diuino appellamus. Tum etiam, quia anima incorporea, et immortalis eſt. Nam ſicut terrenum, pro corporeo et corruptibili vocamus; ita e contrario cæleſte pro incorporeo, incorruptibili, et immortali. Eſt itaque anima cæleſtis, hoc eſt, non de genere terrenorum; ſed ſpiritualis, incorporea, et immortalis. Hinc D. Paulus 2. *Corin.* 4. *d.* Licet is qui foris eſt noſter homo, corrumpatur: tamen is qui intus eſt, renouatur (id eſt, renouari poteſt, quod eſt vires denuo aſſumere, idq. fit per dilectionem Dei, *ad Coloſſ.* 3. *b.*) de die in diem. Atque ob id præcipue Hominem veterem interdum vocat Apoſtolus Corpus hominis, quod inue-

teretur, ſeneſcat, menſuretur, et conſumatur tempore. Veterem appellat, id eſt, Veteraſcentem vt ſeneſcentem, et ob id mortalem; quia quod ſeneſcit, neceſſe eſt ſit corruptibile, et mortale; et quod ſeneſcit, prope interitum eſt, *ad Hebræ.* 8. *d.* Homo itaque vetus, idem eſt quod corpus corruptibile, et mortale; Hominem vero nouum vocat animam hominis, quia ſemper eſt noua, numquam ſeneſcit, non perit, nec tempore menſuratur, aut conſumitur; quin potius renouatur (vt nunc adduximus ex Apoſtolo) id eſt, renouari poteſt. Inquit ergo Apoſtolus: Primus homo (qui eſt corpus) *quia formatus eſt* de terra, terrenus *eſſe ſolet, ſiue quæ ſunt de terra, concupiſcit:* Secundus vero homo quia eſt de cælo, id eſt, cæleſti, ſiue diuina virtute creatus; cæleſtis *debet eſſe*, hoc eſt, debet ſapere cæleſtia, ita vt illius conuerſatio ſit in cælo. Primus homo de terra (ſcilicet formatus eſt) terrenus. id eſt, *Et ideo* terrenus, ideo ad terrena propenſus eſt, et terrena ſapit. Animus vero, quia ſpiritualis eſt, ad cæleſtia propenſus eſt, et cæleſtia ſapit. Nam deſideria animæ, et corporis, ſibi inuicem contraria ſunt. Caro enim (vt ait idem Apoſtolus *ad Gala.* 5. *c.*) concupiſcit aduerſus ſpiritum, et ſpiritus aduerſus carnem; ſimiliter et opera vtriuſque ſibi inuicem aduerſantur. Corpus noſtrum, inquit, terrenum eſt, ſiue ter-

terrena ſapit, quia de terra formatum eſt; Animus vero noſter (qui dicitur ſecundus homo) cæleſtis eſt, ſiue cæleſtia & ſuperna appetit, quia de cælo eſt, hoc eſt, cæleſti, ſiue diuina potentia creatus. Primus homo de terra, ſcilicet formatus eſt, *Geneſ. 2. c.* ideoque terrenus eſt, hoc eſt, iuxta naturam ſuam terrena ſapit, ea appetit, in illa fertur, & terrenis oblectatur. Secundus homo, iuxta quorundam ſententiam, eſt Chriſtus Ieſus, qui de cælo eſt, id eſt, non more hominum conſueto conceptus; quia non ex virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine (vt canit Hymnographus) & virtute cæleſti, ſiue diuina, ſicut vbere de cælo pleno dicitur lactatus. Sed hæc ſententia mihi non placet. Nam cum ſoleat Apoſtolus, ſicut dictum eſt, Corpus hominis appellare Hominem veterem, et hominem qui foris eſt, et hominem primum; Animam vero, hominem nouum, et hominem qui intus eſt, et hominem ſecundum, vel nouiſsimum; hoc locutionis genere mihi vſus videtur hoc loco, ita vt Primum hominem vocet corpus hominis, Secundum vero hominem appellet ipſius hominis animam. Quia ſiue Primum parentem generis humani ſpectes, ſiue ceteros homines; primo formatur corpus, poſtremo vero creatur, et ſimul infunditur anima. Sicut ait Apoſtolus, Non prius *fuit formatum* quod ſpirituale eſt, ſed quod ani-

male eſt. Nam primum e limo terræ formatum eſt corpus Adæ, poſtea vero in eo Deus animam poſuit, vt aperte oſtendit Moſes *Gene.* 2. Atque idem ordo ſeruatur in communi omnium hominum generatione. Primum enim effingitur corpus, quo formato infunditur ei anima. Primum vero hominem, id eſt corpus, Apoſtolus vocat terrenum, quia de terra effectum et formatum eſt. Nam corpus Adæ ex limo terræ eſt figuratum. Noſtra etiam corpora, quia ex illo originem habent, terrena ſunt; vnde alibi idem Apoſtolus corpus hominis vocat domum terreſtrem. Eſt ergo hic primus homo e terra, atque ideo terrenus, id eſt terrena ſapiens, terrena appetens: Secundus vero homo, id eſt Anima, e cælo eſt, hoc eſt, a Deo ſolo, virtute diuina creata. Non enim generatur anima vt corpus, nec educitur e potentia materiæ (vt præſtantiſsimi etiam Philoſophi tradiderunt) ſed a ſolo Deo creatur, ideoque cæleſtis eſt, id eſt, cæleſtia ſapiens, et cæleſtia appetens. Quia ergo Corpus et Anima diuerſam habent originem, et diuerſa principia, ideo et diuerſa deſideria. Nam caro, ſicut dictum eſt, concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus concupiſcit aduerſus carnem. *Qualis terrenus, tales & terreni &c.*) Hoc eſt, Sicut terrenus homo, ſiue corpus noſtrum, terrena appetit; ita et homines terreni, ſiue qui obediunt corporis

ris

ris deſideriis, terrena appetunt, & illis dant operam. Et ſicut cæleſtis homo, ſiue animus noſter, cæleſtia et æterna ſapit, appetit, & meditatur: ita homines cæleſtes, ſiue viri ſpirituales, cæleſtia ſapiunt, et concupiſcunt. *Igitur ſicut port animus imaginem terreni &c.*) Portare imaginem, dictum eſt pro aſsimilari, gerere ſimilitudinem, et ſimilem eſſe. Sicut morem geſsimus, inquit, deſideriis carnis (quam terrenum hominem voco) et illius concupiſcentiam ſecuti ſumus, cum nondum veniſſemus ad fidem Chriſti, et Euangelium: ita æquum eſt, vt qui Euangelium Chriſti profitemur, ſequamur deſideria ſpiritus, quem cæleſtem hominem voco. Sicut ante conuerſionem ad fidem Chriſti, obediuimus concupiſcentiis carnis, ſiue terreni hominis deſideriis: ſic nunc portemus imaginem hominis cæleſtis, ſiue animæ; aſsimilemur illi, ſancta deſideria ſectantes. Simile eſt illud eiuſdem Apoſtoli *ad Roma. 6. d.* Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.

Odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco: quia Chriſti bonus odor ſumus Deo in iis,

qui ſalui fiunt, & in iis, qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem: aliis autem odor vitæ in vitam. 2. *Corint.* 2. *d.*

CAPVT LXXXV.

PLERIQVE locum ita explanant, vt odorem pro odoramento accipiant, et bonus odor idem ſit quod optima odoramenta, et vnguenta pretioſa. Sicut pretioſa odoramenta (inquit Apoſtolus, iuxta horum ſententiam) odorem gratiſsimum ſpargunt, ita nos vbique locorum ſpiramus (id eſt, loquimur et prædicamus) Chriſtum. Meam tamen ſententiam paucis explicabo. Germanus, vt arbitror, huius loci ſenſus, præcipue ex ſignificatione vocis odoris pendet. Ponitur vero odor, mea ſententia, pro medicamine: propterea quod inter veteres illos artis medendi profeſſores, quidam inter alia medendi morbis genera, odoramenta multum valere ad plures ægritudines curandas, dixerunt. Hinc *Canticorum cap.* 2. inducitur ſponſa amore languens, petensque languori ſuo remedium adhiberi, odores fructuum et florum (eſt enim figura loquendi, ſpiritualis et cæleſtis illius epithalamii, paſtoralis) poſtulat, dicens: Fulcite me floribus, ſtipate me malis; quia amore langueo. Non odoramenta ex Sabbæis allata, ſed poma

odo-

odorifera, fructuum et florum odores poſtulat, quibus ruſtici vti ſolent; quia, vt dixi, figura loquendi paſtorali vtitur liber Canticorum. Odores itaque languoribus medendi, vim habent. Odorem notitiæ, dixit pro Cognitionem, quæ eſt odor, id eſt medicamentum. Talis eſt enim notitia Chriſti, de qua Apoſtolus loquitur. Nam odorem notitiæ Chriſti, vocat Cognitionem Chriſti (in qua et eius amor includitur, vt per dilectionem operetur) quæ odor eſt, id eſt, medicamentum peccatorum; et ad omnes animi ægritudines, ſeu languores remedium præſtantiſsimum. Per nos, inquit, ſiue per prædicationem noſtram, dum nos conſtituit idoneos ſancti Euangelii miniſtros, cæleſtis Pater vbique locorum manifeſtat hominibus cognitionem Chriſti; quæ ſi recipiatur fide quæ per dilectionem operatur, poſsit eos a morte æterna liberare, et in ſempiternam beatitudinem conducere. *Odorem notitiæ ſuæ manifeſtat*, dictum eſt pro Manifeſtat notitiam ſuam, vel notitiam Chriſti, quæ eſt odor, id eſt medicamentum etc. *Quia Chriſti bonus odor ſumus Deo)* Bonus odor, iuxta id quod modo diximus de voce odoris, idem ſonat quod ſaluberrimum et præſtantiſsimum medicamentum. Nam vox *Bonum* latiſsime patet in lingua Hebræa. Præterea cum hæc ſuperlatiuis careat, Bonus pro optimo ponitur, vel potius ſubaudienda eſt præpoſitio *Coram*; vt

Bonus coram Deo, ſit idem quod optimus, ſaluberrimus, et præſtantiſsimus, Hebraiſmo illo *Coram Deo*, *Gene.* 6. *b.* Aliquando enim ſubauditur Præpoſitio *Coram*, vel *Cum*, id eſt, *Coram*; vel *In*, id eſt *Coram*. vt 2. *Corin.* 10. *a.* Arma militiæ noſtræ non carnalia (id eſt, infirma) ſunt, ſed potentia *coram* Deo, id eſt potentiſsima. Et *ad Roma.* 6. *b.* Viuere *coram* Deo, pro Viuere vita immortali. *Chriſtum* vero apte pro Euangelio Chriſti accipies, ſicut aliquando Moyſes, pro lege Moyſis accipitur. Sic *ad Hebræ.* 13. *a.* Ieſus Chriſtus heri et hodie. Obſeruamus alibi, aliquot ſanctarum ſcripturarum teſtimoniis ad eam rem inductis, verbum ſubſtantiuũ aliquando, ex idiomate Hebræo, accipi pro verbo adiectiuo, quod ſit loco accommodum iuxta argumentum de quo eſt ſermo: quod in præſentia vſu venire exiſtimo; atque ita hæc verba exponenda. Chriſti bonus odor ſumus, hoc eſt, prædicamus ſaluberrimum Euangelii medicamentum. Prædicamus Deo (id eſt, ad gloriam et laudem Dei, vt multi exponunt) Euangelium Chriſti, quod eſt præſtantiſsimum medicamentum curandis animæ morbis. *Et in iis qui ſalui fiunt &c.*) *In*, pro *Coram* ponitur, ex Hebraiſmo. Eſt vero idioma etiam Hebræum *Coram te*, pro *Tibi*; atque ita hoc loco dictum eſt *In iis*, vel *Coram iis*, pro *Iis*. Omnibus, inquit, prædicamus Euangelium, et iis qui ſalui fiunt, id eſt, qui reci-

piunt

piunt fide Euangelium, ac iuxta illud vitam ſuam inſtituunt; et iis qui pereunt, ſiue pereuntibus, (ſic enim loquuntur ſcriptores ſacri) hoc eſt hominibus perditiſsimis, ſiue ſceleratis; qui videlicet non credunt Euangelio. *Aliis quidem odor mortis in mortem &c.*) Odor vitæ, pro medicamento ſaluberrimo appellatur; et Odor mortis, pro exitiali et lethali medicamento. vel Odor vitæ ponitur pro medicamine gratiſsimo, et Odor mortis pro medicamine ingratiſsimo. Nam Genitiuus Vitæ, ſolet ſignificare quod gratum, magnum et prȩſtantiſsimum habetur in ſuo genere: Genitiuus vero Mortis, quod ingratum, amarum et inſipidū exiſtimatur. Erit ergo ſenſus; Prædicatio Euangelii quibuſdam eſt odor vitæ, id eſt, gratiſsima, ſicut odor optimus gratiſsimus eſt. Et quia fide et opere amplectuntur eam, eſt illis in vitam, id eſt, confert illis vitam æternam. Aliis vero ipſa prædicatio eſt odor mortis, id eſt ingratiſsima, et quaſi onerosam faſtidiunt. Et quia illam nolunt recipere, fit illis in mortem, in perniciem, et ſuppliciis æternis punientur. Illis qui pereunt, hominibus perditiſsimis, noſtra prædicatio eſt ingratiſsima, eſtq. illis in mortem, id eſt, in perniciem, ſupplicium, et damnationem. Illis vero qui eam recipiunt, gratiſsima eſt, et ſuauiſſima; eſtque illis in vitam, quia per eius obſeruationem, ad felicitatem, et vitam beatam perueniunt.

Nam Euangelium, non credentibus fit lapis offenſionis, et petra ſcandali; 1. *Petri* 2. *d.* eſt tamen virtus Dei in ſalutem omni credenti. *ad Roma.* 1. *b.* Ideo Chriſtus dicitur poſitus in ruinam, et in reſurrectionem multorum, *Luca* 2. *e.* Sumus, ait, odor Chriſti, id eſt, Spiramus, loquimur, et prædicamus Chriſtum; et ſumus bonus odor, id eſt vtiliſsimus et proficiens ad vitam beatam credenti. Hunc odorem prę̨ſtantiſsimum mox tropo Hebraico odorem vitæ vocat, cum dicere vellet, odoramenta ſuauiſsima, ſiue concionatores vitæ. Sumus, inquit, bonus odor Chriſti; ſed hic odor qui vere eſt odor vitæ, id eſt, doctrina ſaluberrima et vtiliſsima, aliis (nempe credentibus) eſt ad vitam; aliis vero (ſcilicet incredulis) cum ipſe ſit odor vitę, et qui ad vitam vere beatam perducere poteſt; fit ad mortem. Iis, inquam, qui non accipiunt Euangelium, ſumus odor mortis, ſumus odor ingratus, ſiue ſumus odioſi. Nam Genitiuus mortis, ſignificat id quod ingratum, odioſum vel laborioſum eſt; et ſumus iis ad mortem, id eſt, ad ſupplicium. Mors pro malo, et ſupplicio. Sic Genitiuus vitæ ſignificat aliquando bonum et commodum. Prædicatio noſtra, inquit, afferet illis qui non recipiunt Euangelium, perniciem et vltionem: iis vero qui recipiunt, afferet ingentia bona, et vtilitates maximas. Hæc eſt, mea ſententia, germana horum verborum

borum

borum intelligentia. Iuxta quam obſeruabis, eaſdem voces *Vitæ*, et *Mortis*, in eodem contextu orationis poſitas, diuerſimode accipi.

Dominus autem ſpiritus eſt: Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Nos vero omnes, reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini ſpiritu.
2. Corint. 3. d.

CAPVT LXXXVI.

QVIA Apoſtolus de lege veteri, et Euangelio ſermonem texit, oſtendens iam abolitam legem Moſaicam, quo ad cærimonias et ſacrificia, et oſtendens ſolam legem euangelicam iam vigere, quæ docet non hoſtiis animalium Deum colere, ſed cordis puritate, et mente illibata, ac ſpiritu mundo a peccatis; recte ſubiungit, *Dominus autem ſpiritus eſt*, quaſi reſpiciens ad verba illa Chriſti *Ioan* 4. *c.* Spiritus eſt Deus, et eos qui adorant eum, in ſpiritu et veritate oportet adorare. Ac ſi diceret D. Paulus, Quemadmodum Deus eſt ſpiritus, ita opor-

oportet illum colere, non iam, vt in lege veteri, ſacrificiis animalium, ſed ſpiritu ſincero, ita vt ceſset lex vetus, quæ Littera vocatur; et vigeat lex Euangelica, quæ appellatur Spiritus. *Vbi autem ſpiritus Domini, ibi libertas.*) Hoc eſt, vbi Euangelium viget, ibi eſt libertas a ſeruitute magna, cui obnoxii ſunt qui legem Moſaicam, et illius vmbras ſectantur. ſiue Is qui Euangelium amplexus eſt, liberatus eſt a magna ſeruitute legis veteris. Quanta vero eſſet ſeruitus, cui obnoxii erant degentes ſub lege, aperit Apoſtolus *ad Gala.* 5. *a.* Nolite iterum iugo ſeruitutis contineri. Et poſt pauca, vos enim in libertatem vocati eſtis. et aliis in locis. Et D. Petrus Apoſtolorum Princeps *Act. cap.* 15. Iugum legis graue nimis vocat. Iugum, inquit, quod nec nos, nec patres noſtri portare potuimus. Libertatem etiam vocare poteſt liberationem a mentis cæcitate, cui erant obnoxii Iudæi increduli, non credentes Euangelio. De hac enim illorum cæcitate ſermonem facit Apoſtolus. Vbi, inquit, eſt ſpiritus Domini, ſiue Euangelium, ibi libertas. quaſi dicat, Qui Euangelium habet, qui illud accepit, et iuxta ipſum degit, is liber eſt ab hac mentis cęcitate, is in lumine manet (vt ait D. Ioannes) et in eo tenebræ non ſunt, non ambulat in tenebris, nec offendit quaſi cæcus. *Dominus autem Spiritus eſt*) *Autem* pro *Enim* accipi videtur; quod aliis etiam locis reperitur, Cum Iſrael, inquit,

con-

conuerſus fuerit ad Dominum Ieſum, qui eſt verus Meſſias: tunc auferetur Iſraeli velamen, ignorantia et cęcitas, qua modo obcæcatus, non agnoſcit Meſsiam ſuum. Nam Dominus Ieſus, inquit, eſt ſpiritus legis, ipſe eſt Spiritus latens in littera legis, id eſt, quem adumbrabat lex, quem præfigurabant veteris legis ſacrificia, ritus, & cærimoniæ. *Ubi autem ſpiritus Domini, ibi libertas.)* Poſſunt hæc verba ita explanari, vt *Spiritum Domini*, Hebraiſmo illo *Montes Dei, Cedri Dei*, vocet Apoſtolus ſpiritum mirabilem latentem in lege ſub inuolucris, ſacrificiorum, et cęrimoniarum; atq. reconditam et ſublimem ſignificationem, quam lex velut vmbra occultabat. Cum vero D. Paulus nominat libertatem, de libertate a ſeruitute legis, vt diximus, intelligit. Vbi ergo ſpiritus Domini, ibi libertas: id eſt, qui recipit Dominum Ieſum, qui credit illum eſſe Meſsiam promiſſum, et recipit Euangelium; hic liberatur a ſeruitute legis, iam non ſubiacet legi veteri; quia ipſe Dominus Ieſus quem recipit, ſpiritus legis eſt. Manifeſtato ergo ſpiritu qui latebat in lege, lex ipſa aboletur. Dominus autem in nouo Teſtamento ſæpe reſpondet nomini Iehoua Hebræorũ, quod ſoli Deo tribuitur. Voce ergo Domini, Ieſus Chriſtus intelligitur, qui Dominus, id eſt Deus eſt, vt 1. *Corin.* 12. *a.* Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in ſpiritu Sancto. hoc eſt, Nemo poteſt confiteri quod Ieſus eſt Dominus,

minus, vel Ieſum eſſe Dominum, id eſt Deum, niſi illuminetur a Spiritu Sancto. Spiritus ergo in his verbis, *Dominus autem Spiritus eſt*, pro Euangelio vſurpatur, vt paulo ſuperius, et aliis locis noui Teſtamenti. Præterea *Eſſe* ponitur pro *Dicere*. vt *ad Ephe. 4.e.* Sicut eſt veritas in Ieſu, hoc eſt, Sicut dicit Euangelium Ieſu, ſicut admonet Euãgelium Chriſti. Nam veritas capitur pro Euangelio, et eſt Hebræum idioma Auferendi caſus cum præpoſitione, poſitus pro Genitiuo. Nec mireris *Eſſe* accipi pro *Dicere*. Nam verbum ſubſtantiuum aliquando ponitur pro adiectiuo, eoq. diuerſæ ſignificationis iuxta ſubiectam materiam, ex proprietate linguæ Hebraicæ. Inquit ergo Apoſtolus; Spiritus eſt Dominus, hoc eſt, Spiritus, ſiue Euangelium teſtatur, *quod Chriſtus Ieſus de quo texitur ſermo*, eſt Deus. *Nos vero omnes, reuelata facie &c.*) Omnes dixit pro felices, iuxta ea quæ alibi diximus de voce *Omnis*. Dilucide leges, Nos itaque, vel Ideo nos. quaſi dicat, Quia vbi eſt ſpiritus Domini, ibi libertas; ideo quia in nobis eſt ſpiritus Domini, ſiue Euangelium Chriſti, immunes ſumus ab hac mentis cæcitate; non eſt nobis velamen illud ob mentis oculos, quod habent increduli Iudęi: quin potius Chriſtum in lege latentem, aperte iam & perſpicue intuemur, non per velamen, id eſt, per figuras, typos, & vmbras, non per ſacrificia animalium, nec per ritus & cærimonias. Nos

fe-

felices, inquit, igitur ſumus Chriſtiani, qui gloriam & ſplendorem Chriſti contemplamur, non obtecta facie, vt filii Iſrael contemplabantur radiantem et ſplendentem vultum Moyſis, ſed ſine velamine. Filiis quidem Iſrael poſitum erat velamen ob oculos: cum vero fuerint conuerſi ad Dominum, id eſt, ad Chriſtum Deum, (eſt enim Chriſtus, Dominus, id eſt Deus;) auferetur illis velamen. Poteſt vero *Dominus* hoc loco accipi pro lege Domini, id eſt, pro Euangelio Chriſti, ſicut vox Chriſti vſurpatur *ad Hebræ.*13.*b*. Et aliquando Moyſes ponitur pro lege Moſaica. *Gloriam Domini ſpeculantes)* Gloriam Domini vocat Chriſti virtutes eximias, ſplendidiſsimas, coruſcantes et perfectiſsimas, Charitatem, Humilitatem &c. *In eandem imaginem transformamur a claritate &c.*) Hæc eſt orationis Apoſtolicæ ſeries: Gloriam Domini ſpeculantes a claritate in claritatem, in eandem imaginem transformamur; tamquam a Domini ſpiritu. A claritate in claritatem, inquit, ſiue a gloria in gloriam, ſcilicet procedentes, id eſt, virtutem Chriſti multiplicem imitantes, & pro modulo noſtro, nunc hanc, poſt illam, ſectantes, & noſtris operibus exprimentes, atque ab vna in aliam progredientes. A claritate in claritatem, ſiue a virtute vna Chriſti, in aliam progredientes. Imitamur Chriſti virtutes & exempla, ſingulas virtutes attendentes, et imitãtes nunc hanc, nunc

illam.

illam. *Claritas* ponitur pro *Gloria*. Sicut ergo paulo ante Gloria et ſplendor, ſignificant virtutes luculentas, pręclariſsimas, et perfectiſsimas: ita et hoc loco. Vel A gloria in Gloriam, Hebraico idiomate dictum eſt, pro Infinitæ potentiæ, et maieſtatis. Quod ad Dominum referendum eſt, vel ad faciem. Eſt itaque ſenſus, ac orationis ſeries: Nos vero omnes (id eſt, felices) qui gloriam Domini ſpeculantes, reuelata eius facie plena ſplendoribus, vel reuelata facie eius, alioquin miro et glorioſo ſplendore radiante, ſpeculantes inquam in ipſius Euangelio ſanctiſsimo: in eandem imaginem transformamur. Vel Nos autem Dominum gloriæ, ſiue maieſtatis infinitæ contemplantes etc. Nam Gloria Domini, inuerſio eſſe videtur pro Dominum gloriæ. *Tamquam a Domini ſpiritu*) Particula ſimilitudinis non dicit ſimilitudinem hoc loco, ſed ipſam rei veritatem: quod aliquando fit in ſacris litteris. vt *Ioan.* 1. *b.* Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti a Patre. Hoc, inquit, agente Spiritu ſancto. In eandem imaginem transformamur, operante Spiritu Sancto. A quo enim fit tantum opus? A gratia ſpiritus Sancti, cooperantibus nobis. Quo auxilio homo fragilis, et imbecillis poteſt tantum opus efficere, quantum eſt Chriſto in vita aſsimilari, illius virtutes perfectiſsimas imitari, et in eius imaginem transformari? Ope Spiri-

tus

tus Sancti. Poteſt etiam *Spiritus* pro *Euangelio* accipi;& *A*, pro *In*, ita vt particula ſimilitudinis emphaſim habeat,et iungenda ſit voci Spiritus,et Tamquam ſpiritus, idem ſit quod Euangelium ſanctiſsimum, ſicut alibi vocat lumen admirabile.

Itaq. nos ex hoc neminem nouimus ſecundum carnem. Et ſi cognouimus ſecundum carnem Chriſtum; ſed nunc iam non nouimus. Si qua ergo in Chriſto noua creatura, vetera tranſierunt: ecce facta ſunt omnia noua. 2. *Corin.* 5. *c.*

CAPVT LXXXVII.

QVIDAM ita locum interpretantur, quaſi dicat Apoſtolus, Antequam ad fidem Euangelii venirem, hæc de Chriſto iudicabam ſecundum carnem, id eſt, vt alii homines ſentiebant de eo, neutiquam credens eum eſſe Deum. Vel iudicabam de eo ſecundum carnem, id eſt, iudicabam eum hominem tantum eſſe, non Deum. Sentiebā nihil vltra hominē, eum habere. Alij ita locum explanāt; Iam nullum Chriſtianū iudicamus,

more hominum infidelium. Licet enim olim ante conuerſionẽ noſtram ad fidem Chriſti, iudicaremus Chriſtum ſecundum carnem, id eſt, ſentiremus de Chriſtianis hominibus quod ceteri homines infideles; ſed iam non ita de illis iudicamus. Nam qui Chriſti fidem ſuſcipit, debet, inquit, eſſe nouus homo, id eſt, nouam vitam agere, et ceſſare a peccatis. *Ex hoc*) ſcilicet tempore, ſiue Deinceps. Hæc eſt multorum ſententia; ſed ego aliter locum exponendum arbitror: *Ex* ponitur pro *Propter*, ſicut in aliis locis ſacræ Scripturæ. Quare non recte vertiſse puto, qui pro *Ex hoc*, verterunt *Poſthac*. Itaque, inquit Apoſtolus, ideo nihil ſecundum carnem diligere debemus. *Secundum carnem*, idem eſt quod carnale, id eſt, temporale et externum. *Et ſi cognouimus*) Latine dicimus, Quod ſi cognouimus. Et ſi æſtimauimus *aliquid* ſecundum carnem (id eſt, Aliquid quod carnale, ſiue temporale, & externum erat:) *id fuit ante* Chriſtum, hoc eſt, priuſquam cognoſceremus Chriſtum, ſiue crederemus in Chriſtum. Vides Præpoſitionem accuſatiui ſubaudiri, ex proprietate linguæ Hebrææ: quod non fit apud Latinos. *Neminem nouimus*) Perſona ponitur pro ipſa re, nemo pro nihilo. Qua in re præcipue conſiſtit huius loci germanus ſenſus. Nihil vero ſecundũ carnem (vt dicere cœpimus) idem eſt quod nihil externum, nihil terrenum et temporarium. Cognoſcere, ponitur pro

æſti-

æſtimare, habere in pretio, et diligere. Nihil, inquit, in hoc mundo diligere debemus (habet enim hanc vim aliquando Præteritum ex idiomate Hebræo) nihil quod terrenum et temporariũ eſt. Iam, inquit, non nouimus, id eſt, non noſſe debemus. qua proprietate loquẽdi paulò poſt Præteritum poſitum eſt, *Tranſierunt*, pro Tranſire debent, vel tranſacta eſſe debent. Iam ergo non nouimus, id eſt, Iam non noſſe debemus, iam non æſtimare debemus ea quæ ſunt ſecundum carnem, ſiue carnalia; id eſt, temporaria. Et ſi cognouimus, inquit, vel in pretio habuimus ea quæ ſunt ſecundum carnem, ſiue bona externa temporaria, ante Chriſtum cognitum a nobis, vel antequam Chriſti Euangelium ſuſciperemus; ſed iam non nouimus, id eſt, illa externa et tẽporaria non noſse debemus, non in pretio magno habere debemus, poſtquam fidem Chriſti, et doctrinã ſuſcepimus. Idem docet beatus Ioannes Apoſtolus prioris canonicæ *cap. 2. b.* Nolite diligere mundum, neque ea quę ſunt in mundo. *Chriſtus*, pro religione Chriſtiana appellari poteſt (ſicut et aliis in locis noui Teſtamenti) eodem fere ſenſu manente. Cum nondum eſsem conuerſus ad fidem Euangelii, inquit Apoſtolus, iudicabã de religione Chriſtiana, ſecundum carnem; id eſt, vt ceteri homines animales, qui non ducuntur ſpiritu Dei, Vel iudicabam de illa, vt de ſectis humano ingenio inuentis; vt ſunt diuerſa-

LOCVS eſt perobſcurus, in quem cum ſæpe incidiſſem, eiusque germanam intelligentiam diligenter perquirerem; nihil tamen in doctiſsimorum virorum Commentariis legere contigit, nec ſedula cogitatione meditari potui, quod ingenio meo ſatisfaceret; quouſque tandem, velut aliud agenti, ſeſe mihi obtulit ratio enarrandi locum, quam ſubſcribam; in qua animus meus acquieſcere viſus eſt. Qua in re, magno et excellenti ingenio virorum, et in lectione ſanctarum ſcripturarum exercitatiſsimorum, expecto iudicium. Prætermittimus ea quæ diffuſe ab aliis diſputata ſunt de voce Græca συστοιχεῖ: pro qua vulgatus interpres non inepte, ſed docte, prudentique conſilio vertit Coniunctus. In qua vna voce, præcipue ſita eſt huius loci intelligentia. Ea vero vox, mea ſententia, hoc loco pro Simili ponitur; nec abs re quidem, nam quæ ſimilia ſunt, vulgo coniuncta, et cognata vocare ſolemus; propterea quod ii qui coniuncti ſunt genere, et cognatione ſe contingunt; ſoleant in facie ſimiles eſſe, aliquamque ſimilitudinem inter ſe habere. *Enim* pro *Autem* ponitur, ſicut aliis in locis. Ait itaque Apoſtolus; Sina (qui mons eſt in Arabia) cõiunctus, id eſt, ſimilis eſt Hieroſolymę. quaſi dicat, Sina aſsimilat Hieroſolymam, Sina ſignificat Hieroſolymam. Hoc eſt, Lex vetus quę deſignatur nomine Sina, quia in

monte Sina data eſt: aſsimilauit, præfigurauit, ac ſignificauit legem Euangelicam, quæ nomine Ieruſalem deſignatur, quia ibi ſumpſit initium, ibi eam primum Chriſtus Ieſus prædicauit, iuxta vaticinium *Iſaiæ cap. 2.* De Sion exibit lex, et verbum Domini de Ieruſalem. Cum ergo inquit Apoſtolus, Qui coniunctus eſt ei, *Eſſe* ponitur pro *Significare*. Mons Sina, inquit, ſignificat et adumbrat Hieroſolymam. hoc eſt, Lex vetus ſignificauit nouam. Obſeruare vero oportet (quod alibi fuſius diximus) aliquando in ſacris litteris, nomen quod refertur per nomen, vel pronomen relatiuum, aliter aliquando accipi quam cum eſt antecedens. vt *Ioan.* 12. *d.* Qui amat animam ſuam, perdet eam. vbi Anima cum eſt antecedens, pro vita accipitur. At vero cum ſub pronomine relatiuo *Eam*, latet ea vox, in communi ſignificatione accipitur pro Anima. quaſi dicat, Is cui mors intentatur, niſi neget Chriſtum: ſi tantum amet hanc vitam temporalem, vt malit negare Chriſtum, quam illam amittere; perdit animam ſuam. id eſt, facit obnoxiam animam ſuam cruciatibus æternis. Sic hoc loco Sina pro monte ponitur. Sed cum latet in relatiuo *Qui*, non pro monte accipitur, ſed pro re quam adumbrat mons Sina, id eſt, pro lege veteri. Ad hunc modum nomina typica, et figurarum, hoc loco non typos, et figuras ſignificant, ſed res illas quæ per typos adumbran-

brantur et ſignificantur. Hoc eſt, mons Sina hic non montem illum ſignificat ſitum in Arabia, ſed legem veterem, quæ nomine Sina adumbratur, quia in Sina data eſt. Similiter Ieruſalem hoc loco non ſignificat vrbem illam quæ fuit metropolis, et caput Regni Iudæorum, ſed legem Euangelicam; quia in ea vrbe cœpit prædicari a Chriſto, et Apoſtolis, iuxta vaticinium Iſaiæ. Mons itaque Sina coniunctus eſt ipſi Ieruſalem, hoc eſt, Lex vetus magnam habet cognationem cum Euangelio, eundem habent legis latorem Deum, et eadem præcepta moralia, nec ſibi inuicem aduerſantur, ſed differunt inter ſe quaſi perfectum, et imperfectum; et quaſi figura, et res figurata, vt diſſerit D. Paulus Apoſtolus *in epiſtola ad Hebræos cap.* 10. et orthodoxi Patres docent, et interpretantur. Vetus lex affinitatem habet cum Euangelio, ſed eſt inferior illo, quia filios, ſiue ſectatores ſuos conſtituit obnoxios ſeruituti; ſed Ieruſalem, id eſt, lex Euangelica, cuius filii, ſiue ſectatores ſumus, ſurſum eſt, id eſt, ſuperior et excellentior eſt lege veteri, quia libera eſt, id eſt, Lex libertatis, cuius filii, ſiue ſectatores non ſunt obnoxii ſeruituti legis Moſaicæ. Lex vetus, inquit Apoſtolus, et lex Euangelica magnam cognationem habent et ſimilitudinem; nam idem Chriſtus eſt in vtraque lege, in veteri implicite et obſcure, in noua lege explicite et manifeſte. Latebat

enim Chriſtus in ſacrificiis, et cæremoniis, et ritibus veteris legis; illic adumbrabatur variis rerum inuolucris. Significauit ergo lex vetus legem Euangelicam, et aſsimilauit eam, vt typus et figura aſsimilat veritatem, atque vt typus et veritas aliqua ſimilitudine ſe contingunt. Nam pictura ſimilis eſt rei quam repræſentat, et cuius eſt imago. Denique ait Apoſtolus: Lex illa vetus, et lex Euangelica, coniunctæ ſunt, et valde ſimiles. Vetus enim lex typus fuit et vmbra legis Euangelicæ. Hinc illud Apoſtoli *ad Roma.* 10. *a.* Finis legis Chriſtus. Chriſtum vocat finem, id eſt, ſcopum legis; quia lex ſuis ſacrificiis, ritibus, et cæremoniis, Chriſtum intendebat, et adumbrabat. Omnia ſacrificia legis, et ritus, ſignificabant Chriſtum venturum; et opes ſpirituales quas Eccleſiæ ſuæ contulit. Idem vero iudicium eſt de Chriſto, et lege Chriſti, quæ eſt Euangelium; ſicut idem Apoſtolus *Ad Hebræ. cap.* 13. *b.* Ieſum Chriſtum pro Euangelio dixit. Ieſus Chriſtus, inquit, heri, et hodie; Sed quid eſt quod ait D. Paulus, Quæ nunc eſt? *Eſſe* pro Vigere, et in pretio haberi, poſitum eſt; quod aliquando reperitur in Sacris litteris. vt *ad Roma.* 7. *a.* Paſsiones peccatorum quæ per legem erant, id eſt, Affectus prauæ concupiſcentiæ per legem vigebant, per legem vires acceperunt, et quaſi reuixerunt. quod idem Apoſtolus in iis quæ ſequuntur, exponit.

ponit. Et *Eſſe* (quod idem fere eſt) aliquando in diuinis litteris, ex proprietate ſermonis Hebræi, eſt florere potentia, opibus, aut ſapientia, florere fama, aut æſtimatione. Sic dictum eſt 1. *Corin.* 1. *d.* Elegit Deus ea quæ non ſunt (id eſt, homines pauperes, abiectos, et indoctos; non florentes opibus, non potentia, non ſapientia) vt ea quæ ſunt (id eſt, homines his rebus florentes, Reges, et Principes) deſtrueret. Et *Apoca.* 17. *b.* Beſtia quam vidiſti, fuit, et non eſt. quaſi diceret, Floruit ad tempus, potentia magna, ſed iam periit omnis illa felicitas. Hanc ergo vim habet hoc loco verbum ſubſtantiuum. Ieruſalem, inquit, id eſt, Euangelium, nunc eſt, id eſt, floret æſtimatione. Et ſicut alibi ait idem Apoſtolus, prædicatur in vniuerſo mundo, et in omni creatura quæ ſub cælo eſt. Præterea per Hebraiſmũ Antecedens poſtponitur, et Relatiuum pręponitur; id eſt, Ieruſalem quæ nunc eſt, vt frequenter dicunt Prophetę, Quod factum eſt verbũ, pro eo quod eſt, verbum quod factum eſt. Quaſi dicat Apoſtolus, Sina cum ſit mons in Arabia, tamen coniunctus eſt ipſi Ieruſalem quę nunc eſt, quia ſimilis rationis eſt cum Ieruſalẽ nunc, ſiue in hoc ſuſcepto argumento. quaſi dicat, Sicut in hoc ſuſcepto argumento mons Sina typum gerit legis veteris, quia in eo data eſt ipſa lex a Deo; ita Ieruſalẽ imaginem tenet Euangelicæ legis, quia ibi ab ipſo Chriſto cœpit prædicari.

Dd v. Hæc

Digitized by Google

Hæc eſt quæ ſurſum eſt, id eſt, Lex ſuperior, et nobilior lege veteri; et libera eſt, quia cultores et ſectatores ſuos non facit ſeruos, ſed liberos; ſcilicet a peccatis, et a ſeruitute legis Moſaicæ. Itaque mons Sina coniunctus eſt ipſi Ieruſalem, quia ſimilis eſt lex vetus Euangelio, eo modo quo expoſitum eſt. Itaque de lege Euangelica (quæ nomine Ieruſalem deſignatur) ait Apoſtolus(quod modo dicere cœpimus) Nunc eſt, id eſt, Iam viget, iam floret apud gentes: quod eo iam tempore vigeret, et regnaret (vt ita dicam) vbique gentium: (vel aduerbium temporis pro aduerbio loci poſitum eſt) ſicut ait *ad Coloſſenſes* 1. *a.* loquens de Euangelio; Sicut et in vniuerſo mundo eſt (id eſt viget, et floret) et fructificat. Et prope finem eiuſdem capitis; Quod prædicatum eſt in vniuerſa creatura, quæ ſub cælo eſt. Et *ad Roma.* 1. *a.* Fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo. Denique ait Apoſtolus; Lex vetus quæ iam abolita eſt, typus fuit legis Euangelicæ quæ iam viget. Sina, inquit, ſimilis eſt ipſi Ieruſalem, de qua nunc loquimur. quaſi dicat, Sicut in Sina adumbratur lex vetus, ita per Ieruſalem lex Euangelica quæ nunc viget, abolita iam lege veteri; vel Lex Euangelica, de qua nunc nobis eſt ſermo.

Fructus

Fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate.

E T

Omnia autem quæ arguuntur, a lumine manifeſtantur: omne enim quod manifeſtatur, lumen eſt. Ad Epheſi. 5. c.

CAPVT LXXXIX.

L*Vx* pro homine Chriſtiano ponitur, qui lucem Euangelii ſectatur; quod aliis etiã locis lux appellatur. *Eſt* pro eſſe debet. cuiuſmodi locutione crebro vtuntur ſcriptores ſacri. vt *ad Philipp. 3. d.* Noſtra conuerſatio in cęlis eſt, pro Eſſe debet. Eſt autem phraſis Hebræa, *Fructus lucis eſt in omni bonitate, &c.)* pro Fructus lucis eſt omnis bonitas. Sicut dictum eſt *Ioan. 9. f.* In hoc eſt mirabile, pro Hoc eſt mirabile *Iuſtitia* idem ſonat quod Virtus, vt aliis locis ſanctarum ſcripturarum. *Veritas* frequenter in diuinis litteris eſt idem quod Sanctitas. *Enim* pro *Autem* ponitur. Eſt itaque ſenſus horum verborum. Opera Chriſtiani hominis de-

debent eſſe genus omne bonitatis, virtutis, & ſanctimoniæ. Poſt pauca ſubdit Apoſtolus; *Omnia quæ arguuntur, a lumine manifeſtantur &c.)* Sicut Apoſtolus paulo ante lucis nomine Chriſtianum hominem appellauit, ita et hoc loco appellatione luminis. Quæ vero, inquit, arguuntur; id eſt, quæ digna ſunt reprehenſione, a lumine manifeſtantur, ſiue coram lumine manifeſta ſunt; hoc eſt, nota ſunt fidelibus. Norunt fideles ex Euangelio, quæ ſint bona, & quæ ſint praua. *A*, ponitur pro *Coram*, pertinetq. hoc ad genus illud locutionis, *Coram te*, pro *Tibi*. Niſi malis (eodem ſenſu manente) *Lumen* pro *Euangelio* accipere, et *A*, pro *In*. Ex Euangelio liquet quæ ſint opera bona, & mala; quæ ſint laude, aut reprehenſione digna. *Omne enim quod manifeſtatur, lumen eſt.)* Inuerſio verborum eſt non incognita ſcriptoribus ſacris, ſubintellecta Præpoſitione; vtrumque ex conſuetudine ſermonis Hebraici. Hoc igitur voluit dicere Apoſtolus: Lumen enim eſt, per quod omne manifeſtatur, vel per quod omnia manifeſtantur, ſiue per lumen omnia manifeſtantur; id. eſt, per Euangelium omnia patent, omnia fiunt aperta, per illud noſcimus quæ ſint bona, quæ vero praua; quæ ſint appetenda, et quæ fugienda. Eſt namque Euangelium regula humanarum actionum, atque adeo cogitationum, et ſermonum; eſtq. velut lapis Lydius (Græci βάσανον vocant,

Hiſpa-

Hiſpane *Toque de platero*) ad quem hæc omnia examinantur. Licet vero hoc capite Apoſtolus Lucem, vel Lumen appellet pro homine Chriſtiano; hoc tamen loco fortaſsis loquitur de lumine naturæ, quod impreſſum eſt animis noſtris ad diſcretionem boni et mali. **Omnia, inquit, quæ arguuntur**; id eſt, quæ digna ſunt (vt ita dicam) argutione, ſiue reprehenſione; & quæ reprehenſibilia ſunt, hoc eſt, vitia et ſcelera, a lumine naturæ cognoſcuntur: quaſi dicat, Inexcuſabiles ſunt (vt ait idem Apoſtolus *ad Roma.* 1.*c.*) gentes quæ ſcelera ſectantur, quia per lumen rationis omnium mentibus impreſſum, cognoſcunt quid ſit bonum, et quid malum; quid appetendum; & quid fugiendum ſit. Quod item addit Apoſtolus, **Omne enim quod manifeſtatur, lumen eſt**: de lumine rationis intelligendum eſt. Eſt autem, vt exiſtimo, inuerſio verborum. vt *Ioan.* 1.*a.* Deus erat verbum, pro eo quod eſt; Verbum illud erat Deus. Ita hoc loco, Omne quod manifeſtatur, lumen eſt, pro eo quod dicendum erat, Hoc lumen (ſcilicet rationis) eſt per quod (nam ſubaudiendam exiſtimo Præpoſitionem) omne manifeſtatur. Per lumen rationis animis omnium inſitum, omnia cognoſcuntur quę ad mores pertinent; et per illud ſcimus quid ſit bonum, aut malum. Poſſunt et hac ratione eadem verba explanari. Omnia quæ arguuntur, ſiue repre-

henduntur (id eſt, quæ reprehenſibilia ſunt, et digna reprehenſione: ſiue omnia opera praua) a lumine manifeſtantur. quaſi dicat, Cum praua opera, et digna reprehenſione, veniunt in lucem, id eſt, fiunt coram oculis hominum, et non in occulto, ſed in publico; non in tenebris, ſed in luce; tunc manifeſtantur, id eſt, manifeſta fiunt, iudicantur, et cognoſcuntur eſſe mala. hoc eſt, Praua opera ideo fiunt in tenebris, et in occulto, vt non reprehendantur; quia cum in luce fiunt, et in oculis hominum, ab omnibus cognoſcuntur eſſe praua, et reprehenduntur. ideo iniqui ſua praua opera faciunt in tenebris. Hanc eandem ſententiam expreſsit Chriſtus Redemptor noſter *Ioan. 3. c.* Qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Ideo addit Apoſtolus, Omne enim quod manifeſtatur, lumen eſt. hoc eſt, Opera quę fiunt in luce, in manifeſto, et coram omnibus, lumen ſunt; id eſt, bona opera ſunt; non ſunt tenebræ, id eſt, mala opera, ſed lumen. Inquit ergo, Mala opera in occulto fieri ſolent, ne a videntibus arguantur; bona autem in luce, & in manifeſto.

Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem et ſanguinem: Sed aduerſus Principes, & Poteſtates, ad-

uerſus

uerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.
Ad Epheſ. 6. *b.*

CAPVT XC.

N*On*, ponitur pro *Non ſolum*, ſicut et aliis locis. *Nobis*) Loquitur D. Paulus de omnibus Apoſtolis, vel potius de omnibus Chriſtianis. *Mundi tenebrarum harum*) quaſi dicas, Huius mali mundi, vt vulgo loquimur. Nam Tenebras pro Malo dixit, & Tenebras mundi, pro Mundo malo. Carnem et Sanguinem aliquando nominat ſermo Hebræus, pro Cognatis, & eiuſdem generis hominibus, quemadmodum D. Hiero. interpretatur illud *D. Matth.* 16. *c.* Caro et ſanguis non reuelauit tibi. Carnē ergo et Sanguinem appellat Apoſtolus Iudæos, qui erant ex genere eius. quaſi diceret, In prædicatione Euangelii, vel etiam dum iuxta Euangelium viuimus, non ſolum a Iudæis, qui ſunt ex genere noſtro, mala nobis irrogantur; ſed etiam a Principibus, et Magiſtratibus gentium. Non ſolum pugnamus aduerſus Iudæos, ſed etiam aduerſus gentes, et Principes orbis. Non ſolum Iudæi, ſed etiam Principes, et Reges gentium perſequuntur prædicatores Euangelii. Et quia Caro et Sanguis, aliquando quod infirmum & imbe-

cille eſt, ſignificant: poſſunt hæc verba ſic explanari. Oportet nos muniri armis vtique ſpiritalibus, quia bellum magnum gerimus, non quidem cum carne et ſanguine; id eſt, non cum hominibus plebeiis, infirmis, et imbecillibus; ſed cum Regibus, et Principibus orbis, et Magiſtratibus qui Reſpublicas gubernant, et fideles ad tribunalia ſua trahunt. Principes, et Poteſtates vocat Reges, et Principes gentium: hos vocat Principes, et Poteſtates, ſiue Potentes et Rectores huius ſæculi nequam, hoc eſt, Magiſtratus, et Gubernatores gentium colentium idola. Tenebras pro malo et ſcelere quidam accipiunt, atque ita intelligunt Mundi tenebrarum harum, quaſi dicas, Huius mundi tenebroſi, id eſt, mali. Itaque mundum tenebrarum, vocat mundum tenebroſum: hoc eſt, prauum, vel laborioſum. Et, Spiritualia nequitiæ, dictum exiſtimant pro Spiritus nequam, per quos intelligunt Angelos malos, quos Dæmones appellamus, qui ſunt in cæleſtibus, id eſt, in regione aeris, vt iſti exponunt. Alii Rectores tenebrarum, pro Principibus tenebroſis, id eſt, improbis et ſceleratis, appellari exiſtimant, quia Tenebræ pro malo, et iniquitate aliquando ponuntur. vel potius Poteſtates, Rectores mundi, et ſpiritus nequam vocat Apoſtolus Principes gentium: Tenebræ enim pro gentibus quæ idola colerent, appellantur. ſicut alibi ait idem Apoſtolus, Eratis

ali-

aliquando tenebræ. Sed mea ſententia in explanatione horum verborũ, hæc eſt, Aliquando in arcanis litteris, ex idiomate Hebræo, adiectiuum quod vni ſubſtantiuo apponendũ erat, tribuitur alteri. vt 1. *Reg.* 24. *d.* Quis dimittet inimicũ ſuum in via bona? pro eo quod eſt, Quis in via dimittet inimicum ſuum bonum? id eſt, ſaluum et illæſum abire, et incolumem. cuiuſmodi locutio hoc loco reperitur, nam Genitiuus *Tenebrarum*, ad Principes et Poteſtates referendus eſt; et Pronomen *Harum*, pro *Huius* ponitur. Sicq. Rectores mundi tenebrarum harum, pro eo quod eſt, Aduerſus Principes et Poteſtates mundi huius, aduerſus rectores tenebrarũ, et ſpiritualia nequitiæ; vbi *Et* expoſitiue accipi poteſt pro *Id eſt*. ſitq; vocũ inuerſio. Quid vero *Spiritualia nequitiæ* ſignificet, non facile eſt intelligere. exiſtimo vero hac ratione hęc verba explananda. *Spiritualia nequitiæ*, genere & abuſu locutionis Hebraicæ, pro *Spiritus nequam* dictum eſt: Rurſumq. Spiritus pro gentibus & nationibus vſurpantur, ex proprietate Hebræa. Itaq. Spiritus nequam, idem eſt quod gentes impiæ, et barbaræ nationes. Nam ſicut Anima aliquando per duplicem ſynecdochem pro gente et populo vſurpatur, ita et Spiritus. Atque ita intelligendum puto illud Apoſtoli *ad Roma.* 8. *d.* Nos ipſi primitias ſpiritus habentes, id eſt, Qui inter gentes et omnes nationes principatum habemus. Plerique ergo

Ee hunc

hunc locum intelligunt de pugna hominis interioris aduerſus prauas dæmonum ſuggeſtiones. Dicunt enim periphraſi Hebræa; Carnis et Sanguinis, homines notari: Principes vero, Rectores tenebrarum, et Spirituales nequitias in cæleſtibus, appellari dæmones. Sed non deſunt viri pii, et doctiſsimi, qui per Carnem et Sanguinē non homines in vniuerſum, ſed eos qui ſunt eiuſdem gentis et nationis, intelligunt: per Principes vero et Poteſtates, per Rectores tenebrarum, et Spirituales nequitias in cæleſtibus; Reges et Principes gentium dicant ſignificari. Atque horum intelligentia magis conſentanea verbis Apoſtoli, et magis germana videtur. Ego tamen malim per Spiritus nequam, gentes impias intelligere (vt cœpi dicere) quę idola colerent. Nā ſpiritus aliquando in arcanis litteris vſurpatur pro gente et natione. vt *Pſal.* 77.*c.* de gente Iudæorum ait Regius Vates: Spiritus vadens et non rediens. id eſt, Gens facile abiens poſt deſideria ſua, et difficile ad meliorem frugem reuertens. Et *Pſal.* 150. Omnis ſpiritus laudet Dominum; hoc eſt, Omnes orbis nationes relicta Idolorum cultura, Deum verum colant. Poteſt etiam vox Nequam pro Magno intelligi. Nam aliquando in Diuinis litteris Nequam, et Iniquum, quod magnum eſt in genere ſuo, appellatur. Non ſolum, inquit, Iudæi impugnant Euangelii ſancti concionatores; ſed etiam Principes et Magi-

ſtra-

ſtratus, et gentes potentiſsimæ. Itaque Reges, et Principes gentium aliis atque aliis nominibus ſignificantur, crebra repetitione. In prædicatione Euangelii multos aduerſarios habemus; et fideles omnes, perſecutores et tyrannos habent. Non ſolum pugnamus, vel armis muniri debemus, in Euangelii prædicatione, aduerſus Carnem, et Sanguinem; id eſt, aduerſus Iudæos, ex quorum genere ego ſum; ſed etiam aduerſus Principes, et Poteſtates tenebrarum: ſiue contra Principes gentium, contra Rectores, ſiue Reges ſæculi huius; contra Spiritus nequam, hoc eſt, contra Principes potentiſsimos; aut Principes impios, et Magiſtratus, et quoſcumque alios, *qui ſunt* in cæleſtibus. Nam frequenter Scriptores Sacri, ex proprietate linguæ ſuæ, ſubaudiunt nomen relatiuum cum verbo ſubſtantiuo. *In cæleſtibus*) Non exiguam habet difficultatem nomen Cæleſtium. Ponuntur vero aliquando Cæleſtia pro Cælo, præſertim apud Apoſtolum, more Hebræorum, qui interdum vtuntur nomine adiectiuo pro ſuo ſubſtantiuo. Sic dicunt Domeſticos Dei, pro De domo Dei; ſic Cæleſtia, pro Cælo. vt *ad Ephe.* 1.*d*.2.*b*. *et* 3.*b*. Sic hoc loco Cæleſtia pro Cælo ponuntur. Sicut enim frequenter ſcriptores ſacri, ex proprietate linguæ ſuæ, vtuntur denominationibus pro ſuis denominatis: ita aliquando e contrario vtuntur denominato, pro ſua

Ee ij deno-

denominatione. Eſſe vero in cælo, eſt in excelſo dignitatis, vel diuitiarum, vel ſapientiæ, vel potentiæ, vel alterius cuiuſcumque felicitatis gradu eſſe conſtitutum. vt *Thren.* 2.*a.* Proiecit de cælo in terram. Et *ad Ephe.* 1.*b.* Inſtaurare omnia in Chriſto: quæ in cælis, (id eſt, quæ ſunt in ſublimi felicitatis gradu, nempe gentes potentiſsimæ) et quæ in terra (id eſt, quæ ſunt in loco infimo conſtituta, ſine potentia, et cum abiectione magna. quaſi diceret, Conſtituit ac decreuit coniungere in populum vnum Chriſtianorum gentes potentiſsimas, et gentem Iudæorum nunc abiectam, et humi iacentem.) Et *ad Coloſſ.* 1.*c.* Pacificans quæ in cælis, & quæ in terra ſunt, hoc eſt, Faciens pacem inter gentes quæ erant in cælo, ſiue in excelſo potentiæ gradu; & inter populum Iudæorum, qui erat in terra, ſiue humilis, abiectus, humi iacens, & ſub ditione gentium conſtitutus. Vide *ad Ephe.* 2.*c.* Eodem modo exponenda ſunt loca illa in quibus Cæleſtia pro Cælo ponuntur. Hoc ergo loco inquit Apoſtolus, omnes Chriſtianos neceſſe habere ſe ipſos armis contra Principes gentium, & quotquot in excelſo potentiæ gradu erant conſtituti, ſubarmare.

Myſte-

Myſterium iam operatur iniquitatis.
2. ad Theſſa. 2. b.

CAPVT XCI.

AGIT hoc loco Apoſtolus de iis quę præcedent aduentum Chriſti ad iudicium, inter quæ aduentum illius nequiſsimi hominis, quem Antichriſtum vocamus, commemorat. eſt autem inuerſio verborum, pro *Iam operatur myſterium iniquitatis.* Vox Myſterii abſtruſam et reconditam habet ſignificationem: vſurpatur enim pro typo et figura. Ita vero aliquando accipi hanc vocē, confirmauimus productis teſtimoniis ſanctarū ſcripturarū, atque etiam orthodoxorum Patrum, qui voce Myſterii, et Sacramenti (nam Sacramentum Latine idem eſt quod Myſterium Græce) in hac ſignificatione vſi ſunt. Hæc adiunge iis quæ ſuperius diximus de voce Myſterii, *capite* 82. D. Paulus Apoſtolus *ad Epheſ.* 5. Sacramentū hoc, inquit, magnum eſt. Vbi Græce legimus pro Sacramento Myſterium. Sacramentum ergo, ſiue Myſterium accipit Apoſtolus pro typo et figura. *Sacramentum magnum* dixit, pro typo inſigni, figura expreſſa, manifeſta, & pulcherrima. *In* ponitur pro *De.* Ait ergo Apoſtolus:

Hæc hiſtorica narratio quod de latere Adæ formata fuerit Eua; typus fuit præclarus, inſignis, atque illuſtris figura Chriſti et Eccleſiæ. Ego, inquit, dico, ſentio, arbitror, et expono, *quod* hoc eſt manifeſta figura de Chriſto et Eccleſia; ſiue de coniunctione Chriſti cum Eccleſia, quæ eſt corpus eius. Hæc tanta res, hiſtorica illa narratione quaſi typo eſt adumbrata. Et 1. *Corin.* 2. *b.* Sapientiam Dei in myſterio abſconditam fuiſſe dicit, hoc eſt, mirabilem illam rationem redimendi genus humanum, latuiſſe tempore legis veteris ſub variis typis, et rerum imaginibus; ſub rituum, cærimoniarum, et ſacrificiorum vmbris in lege, et ſub inuolucris verborum in Prophetis. Has igitur vmbras et typos, Apoſtolus vocat Myſteria. Et *ad Gala. cap.* 4. *c.* Allegoriam appellat. Et *Apoca.* 1. *d.* Sacramentum (Grece eſt myſterium) ſeptem ſtellarum, ſcilicet hoc eſt. id eſt, hoc ſignificat. Typus, inquit, ſeptem illarum ſtellarum, hanc habet ſignificationem. Idem D. Ioannes Apoſtolus *Apoc.* 17. *b.* voces Myſterii, et Sacramenti, in eadem ſignificatione accipere videtur, cum ait, Meretricem illam magnam cui nomen Babylon, ſedentem ſuper beſtiam quæ habebat capita ſeptem, et cornua decem, habuiſſe ſcriptum in fronte Myſterium. vt intelligas, viſum illud mirabile typum et imaginem fuiſſe veritatis, ſiue rei futuræ per typum illum adumbratę. Et Angelus dixit Ioanni: Ego

dicam tibi ſacramentum mulieris et beſtiæ. quaſi dicat, Aperiam tibi quid iſta ſignificent, exponam quid per hos typos ſignificetur. Nunc oſtendamus, orthodoxos Patres in eadem ſignificatione hanc vocem vſurpaſſe. D. Auguſtinus *in Sermone de verbo Domini, Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto.* cum ageret de ſerpente illo æneo, qui fuit typus Chriſti crucifixi, ait; Demonſtratum eſt ibi magnum ſacramentum (id eſt typus præclarus, et manifeſtus) rei futuræ. Idē *tomo* 10. *in opere ſermonum de tempore, ſermone de ſerpente æneo.* Ligni crucis, inquit, etiam vmbra, vel figura, in veteri quoque Teſtamento plurimum valuerunt. Nullum Moyſes ſignum ſine ligni ſacramento (id eſt, figura) peregit. Idem *lib.* 7. *de ciuitate Dei, cap.* 32. Signa, id eſt figuras, et ſacramenta pro eodem accipit. Et *tomo* 2. *epiſtola* 19. *ad Hieronymum, de Petro a Paulo reprehenſo*, Sacramenta veteris legis vocat vmbras, et contra aduerſarium legis, et Prophetarum, Sacramenta vocat ſacra ſigna. Idem *tomo* 1. *libro de vera religione*, loquens de populo illo veteri, ait, quod multis ſacramentis (id eſt ſacrificiis, ritibus, et cærimoniis, quæ erant vmbræ et figuræ futurorum) onerabatur. Idem *tomo* 9. *tractatu* 26. *ſuper Ioannem*, loquens de ſacroſancta Euchariſtia, ait: Hunc panem ſignificauit Manna, hunc panem ſignificauit Altare Dei (id eſt, altare propoſitionis panum) et ſacramenta (id eſt figu-

ræ) illa fuerunt; in ſignis diuerſa ſunt, ſed in re quæ ſignificatur, paria ſunt. Figuras ergo Euchariſtiæ, quæ in veteri lege præceſſerunt, Sacramenta vocat D. Auguſtinus. Sanctus etiam Leo Papa *Sermone 4. de Natiuitate Domini*, ſic ait; Sed quantam hominum portionem figuræ illæ, et myſteria obumbrata (id eſt obſcura) ſaluarent? Conſuetudo vero eſt ſacrorum ſcriptorum (vt frequenter in memoriam reuocamus) denominationes accipere pro denominatis. Sic dicunt Iuſtitiam pro homine iuſto, et Peſtilentiam pro homine peſtilenti. vt *Pſal.* 1. Sic dictum eſt hoc loco Iniquitas pro homine iniquo, ſicut Comicus dixit Scelus, pro homine ſceleſto, vel ſcelerato. Intelligit vero Apoſtolus Antichriſtum, cuius typus et figura fuerunt, et ſunt hæretici. Myſterium ergo, ſiue figura huius nequiſsimi hominis iam operatur, inquit Apoſtolus, quaſi dicat, Non ſunt otioſi hæretici, nec ceſſant virus ſuum diffundere, iam operātur, et quęrunt ſolicite quomodo noceant Eccleſiæ, falſas ſectas et hæreſes introducendo. Itaque D. Paulus Pſeudoapoſtolos vocat typum illius nequiſsimi hominis futuri, quē Antichriſtum vocamus. Nam ſicut in veteri Teſtamento multi viri iuſti et Prophetæ adumbrarunt Chriſtum Ieſum, et veri Meſsię typum geſſerunt: ita et in noua lege plerique homines perditiſsimi, et pſeudoapoſtoli, typum geſſerunt Antichriſti. Hos Apoſtolus myſterium

vocat

vocat iniquitatis, id eſt, typum illius nequiſsimi hominis futuri nouiſsimis temporibus, quem Antichriſtum vocari diximus. Et ſicut ait D. Ioannes *prioris epiſtolæ Canonicæ capi. 2.* Nunc multi Antichriſti ſunt in mundo, Pſeudoapoſtolos vocans Antichriſtos. Sic D. Paulus ait: Iam operatur myſteriũ iniquitatis, hoc eſt, iam ſunt in mundo Pſeudoapoſtoli qui typum gerunt Antichriſti, nec otioſi ſunt, ſed operantur ſolicite corrumpere doctrinam Euangelii, et varias ſectas atque hæreſes inducere. Quod ait *Operatur*, poſſet intelligi eo modo quo D. Auguſtinus exponit illud *Ioan.* 8.*d.* A me ipſo facio nihil, pro A me ipſo non ſum. vt dicat Apoſtolus; Iam ſunt Antichriſti in mundo (vt ait D. Ioannes:) Sed aliquid vltra ea vox ſignificat.

Impoſsibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, guſtauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſq. ſæculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pænitentiã, rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes. Ad Hebræ.6.a

CAPVT XCII.

SERMO eſt de iis qui deficiebant a fide, et in apoſtaſiam prolabebantur, de quibus aliquando meminit idem Apoſtolus. vt 1. *Timo.* 1. *d.* Quam quidam, inquit, repellentes, circa fidem naufragauerunt: ex quibus eſt Hymenæus, et Alexander. Et *cap.* 5. *c.* Iam, inquit, quædam conuerſæ ſunt retro Satanam. Et paulo ante, Primam fidem irritam fecerunt. Et *cap.* 6. *d.* Quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Et 2. *Timot.* 1. *d.* Auerſi ſunt a me omnes, qui in Aſia ſunt: ex quibus eſt Phigellus, et Hermogenes. Et *cap.* 2. *c.* Ex quibus eſt Hymenæus, et Philetus. *Impoßibile enim eſt &c.*) Impoſsibile pro re nimis difficili, et quæ raro fit, appellatur; atque ita vulgo ea voce vtimur, vt Impoſsibile vocemus quod raro fit, et eſt difficile nimis. In quem ſenſum locum orthodoxi Patres intellexerunt. Sed et Ariſtoteles *lib.* 1. *de Cælo cap.* 11. inter reliquas ſignificationes huius vocis Impoſsibilis, hanc annumerauit, vt Impoſsibile dicatur quod non facile, neque cito fieri poteſt. Hoc modo D. Petrus Apoſtolus *Actu.* 15. *b.* iugum legis impoſsibile ad portandum appellauit: cum de illo diceret, Quod neque nos, neque Patres noſtri portare potuimus. hoc eſt, Vix et cum magna difficultate legis onus (propter præcepta admodum multa, & cærimonias, atque propter illorum difficultatem) ferre,

ſiue

ſiue legem veterem ſeruare potuimus. Sic D. Paulus ſeruitutem legis aliquando nominat. Nam alioquin multi legem illam ſeruauerunt; vt de parentibus beati Ioannis Baptiſtæ teſtatur D. Lucas *cap.* 1. quod incederent in omnibus mandatis Dei ſine querela, id eſt, ita vt nihil ad plenam legis obſeruationem illis deeſſet; nec aliquis quidquam calumniari, aut carpere poſſet. Illuminatos vocat D. Paulus ad fidem Chriſti conuerſos, qui diuina virtute depulſis tenebris cæcitatis, et infidelitatis, et diuina luce perfuſi, Chriſti Euangelium amplexati ſunt. Sic idem Apoſtolus conuerſionem ad fidem Chriſti illuminationē interdum vocat, vt *ad Hebr.* 10. *f.* Illuminati magnum certamen ſuſtinuiſtis paſsionum. Et *ad Ephe.* 5. *b.* Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino; vt filii lucis ambulate. Et *ad Coloſ.* 1. *b.* Qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine. Et D. Petrus Apoſtolorum Princeps priori epiſtola ſua canonica *cap.* 2. *b.* ait, Qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum. *Guſtauerunt etiam donum cæleſte*) Singularis numerus videtur poſitus pro Plurali. Dona vero cæleſtia appellat Apoſtolus dona Spiritus ſancti, quę initio naſcentis Eccleſię largiter dabantur credentibus. atq; ita Apoſtolus ſtatim mentionem intulit de Spiritu ſancto. *Et participes,* inquit, *facti ſunt Spiritus ſancti.* hoc eſt, Receperunt Spiritum ſanctum, ſi-

uc

ue Spiritus ſancti gratiam, et dona. Dona etiam cæleſtia vocat diuitias ſpirituales, et genus omne opum ſpiritualium. Guſtare ergo donum cæleſte, vel cæleſtia dona, eſt, potiri bonis, et opibus ſpiritualibus. *Nihilominus*, dictum eſt pro *Etiam*. *Bonum Dei verbum*) Verbum Dei dixit Apoſtolus promiſsiones a Deo factas per Prophetas. Vel eſt Hebraiſmus ſimilis illi *Cedri Dei*, *Montes Dei*. Sic *Verbum Dei*, pro opibus ſpiritualibus. Quamquam poſsis per Bonum Dei verbum intelligere Euangelium Chriſti, quod eſt doctrina cæleſtis, veriſsima, vtiliſsima, et certiſsima. Guſtauerunt ergo bonum Dei verbum, id eſt, potiti ſunt doctrina cæleſti, doctrina veriſsima, præſtantiſsima, ſolida et certiſsima, nempe Euangelio Chriſti. Poſsit hæc explanatio aliquibus arridere: Sed ego aliam exiſtimo eſſe germanam intelligentiam horum verborum. Nam Verbum, mea ſententia, pro Promiſsione appellatur; quod frequens eſt in Hebræo ſermone, et frequentius in Hiſpano. Bonum verbum dixit Apoſtolus, pro ampliſsimis promiſsionibus, ſicut Propheta Ieremias *cap.29.c.* Verbum bonum vocat Promiſsionem benignam, et clementiſsimam, ſcilicet de reducendis a captiuitate Babylonica filiis Iſrael. Nam cum Hebræi careant ſuperlatiuo, frequenter ponitur pro illo poſitiuum, vt hoc loco Bonum. quaſi dicat, Qui potiti ſunt variis chariſmatibus, donis Spiritus

ſancti,

ſancti, multiplici gratiarum genere, denique opibus magnis ſpiritualibus, quas pollicitus eſt Dominus per Prophetas, ſe daturum temporibus Meſsiæ; illiq. de iis multa cecinerunt ſub verborum inuolucris, et rerum imaginibus. Itaque Verbum Dei bonum appellat D. Paulus Promiſsiones et ampliſsimas, et plenas miſericordia, quas Deus fecerat per Sanctos Prophetas de mittendo filio ſuo, qui fieret verus homo, cum hominibus conuerſaretur, mortem atrociſsimam ſubiret pro redemptione generis humani; qui vniuerſis gentibus amplexandam legem Euangelii, ore ſuo benedicto prędicaret; et Euangelii eſſet verus legiſlator, qui Septem Sacramenta inſtitueret, per quæ opes magnas ſpiritales, vere Chriſtiani futuri (quos vocamus catholicos) vſque ad conſummationem ſæculi conſequerentur. Huiuſmodi diuitias ſpiritales (de quibus eſt Bonum Dei verbum) pollicitus eſt Deus in lege, et Prophetis. In lege quidem per ſacrificia, per varios ritus et cærimonias in Prophetis vero ſub verborum inuolucris, et variis verborum tegumentis. Guſtare res ſecundas, pro Rebus ſecundis potiri; et Guſtare mala, pro Suſtinere mala, dicunt ſcriptores ſacri, ex phraſi linguæ ſuæ; ſicut dicunt, Videre bona, et Videre mala. Sic dictum eſt hoc loco, Guſtare bonum Dei verbum, pro potiri ampliſsimis Dei promiſsionibus; et Guſtare mortem, pro ſuſtinere mortem,

cap. 2.

cap.2. huius epiſtolæ. *Virtuteſq. ſæculi venturi)* Virtutes, ſeu fortitudinem dixit, pro opibus. Nam ita interdum ea vox vſurpatur in ſcripturis ſanctis. Intelligit vero opes ſpirituales, quæ per Sacramenta Chriſti fidelibus conferuntur. Sæculum venturum vocat Apoſtolus Tempora Euangelii, quæ tunc futura erant; nunc vero præſentia ſunt. Ea enim ſunt tempora quæ ab aduentu Meſsiæ (qui eſt Chriſtus Ieſus) vſque adhuc fluxerunt, & quæ fluent vſque ad conſummationem ſæculi. Hęc tempora ſunt quę ſacri Vates aliquando vocant Tempora nouiſsima, ſiue dies nouiſsimos: atque huiuſmodi tempora intelligere ſolent, cum dicunt, In nouiſſimis diebus. Itaque Sæculum venturum vocat Apoſtolus Tempora Meſsiæ, & Euangelii; propterea quod a Sanctis Prophetis hoc feliciſsimum tempus quo nunc potimur Chriſtiani, aliquando futurum prædictum ſit. Vnde et bona ſpiritualia quæ in eo per Chriſtum conferuntur, vocantur in ſacris litteris non ſine emphaſi Futura, id eſt, illa futura; & vocantur Futura bona, id eſt, illa ingentia et maxima bona quæ Meſsiæ temporibus futura ſunt. Sic Apoſtolus *ad Coloſ.2.c.* legem veterem vocat vmbram futurorum. Et *ad Hebr.* 10.*a.* eandem legem veterem appellat vmbram futurorum bonorum. Itaque Apoſtolus virtutes, ſeu fortitudines (vt loquuntur Hebræi, Hiſpane *las grandezas*) appellat opes

vtique

vtique ſpiritales. Sic enim aliquando capitur vox Virtutis. vt *Pſal.*48.*a.*Qui confidunt in virtute ſua,et (pro id eſt) in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur. Similiter vox Virium capitur aliquando. vt *Prouer.* 5.*b.*Ne forte impleantur extranei viribus tuis. Virtutes ergo ſæculi futuri, ſunt opes ſpirituales quę futurę erant ſæculo illo futuro, hoc eſt, temporibus Meſsiæ. Nam ſacri Vates diuino ſpiritu afflati, cecinerunt in ſuis vaticiniis, ingentia bona, diuitias ampliſsimas, et omnia futura ſecunda, temporibus iſtis quæ appellantur tempora Euágelii. Guſtare ergo virtutes futuri ſæculi, eſt potiri opibus magnis ſpiritualibus, per Chriſtum collatis; quasque in ſancta Eccleſia reliquit; de quibus Sancti Prophetæ vaticinati ſunt. Quod hic Apoſtolus vocat Sæculum venturum, Iſaiæ *cap.*9.*b.*dicitur Futurum ſæculum. Nam Meſsiam promiſſum, qui eſt Chriſtus Ieſus, ſanctus Iſaias Patrem futuri ſæculi vocat. hoc eſt, autorem temporis feliciſsimi, autorem quaſi dicas cuiuſdam noui mundi, id eſt, noua lege Euangelica adminiſtrandi. Et idem Apoſtolus hac eadem Epiſtola *ad Hebræos cap.*2. vocat Orbem terræ futurum. Sæculum venturum ergo vocat Apoſtolus Tempora Meſsiæ (quæ ſunt ab aduentu Chriſti vſque ad ſæculi conſummationem) quæ Dies nouiſsimos, et Tempora nouiſsima, id eſt, feliciſsima, Sancti Prophetæ appellarunt; propterea quod in illis

illis maior, vberior, & profuſior gratia, ampliora dona eſſent tribuenda, quam temporibus legis veteris. Hæc tempora felicisſima, nonnumquam Sęculum venturum, vel futurum appellantur, et aliquando Orbis futurus. Virtutes itaque ſæculi venturi vocat Apoſtolus vberem copiam gratiarum, et donorum ſpiritualium, quæ conferenda erant ſæculo illo futuro, ſiue nouiſsimis (id eſt feliciſsimis) diebus, atque adeo temporibus Euangelii. De his futuris, ſeu venturis bonis arbitror intelligenda verba illa ſubobſcura Chriſti Ieſu *apud Ioannem cap. 16. b.* vbi loquens de Spiritu ſancto, ait: Quæ ventura ſunt, annunciabit vobis. Vbi Annunciare, pro exhibere et tribuere poſitum eſt. Sic enim non raro accipiuntur in arcanis litteris hęc verba Annũciare, et oſtendere. Ventura ergo (non ſine emphaſi) appellat Chriſtus illa bona ſpiritualia a Sanctis Prophetis decantata, quæ temporibus Meſsiæ promiſsi futura, hominibusq. exhibenda, ſacri Vates ſub variis verborum, et rerum figuris prædixerunt. Spiritus ſanctus adueniens, inquit Chriſtus, tribuet vobis illa futura bona a Patre cæleſti promiſſa per Prophetas multifariam, multisque modis adumbrata. Denique ſæculum venturum vocat Apoſtolus, more Prophetarum, Tempora Meſsiæ quæ veteres Hebræi vocabant Illud ſæculum futurum; vt tempus feliciſsimum Euangelii ſignificaretur. Chriſtiani homi-

homines guſtant virtutes futuri ſæculi, hoc eſt, potiuntur opibus illis, et ingentibus bonis, nimirum ſpiritualibus, quæ ſacri vates futura cecinerunt ſæculo illo futuro, id eſt, temporibus Meſsiæ. Hæ opes ſunt præcipue Sacramenta nouæ legis, quæ Chriſtus inſtituit, et nobis reliquit. *Prolapſi ſunt*) ſcilicet in infidelitatem a fide Eccleſiæ Catholicæ. Sermo eſt de apoſtatis, de quibus idem Apoſtolus *hac eadem Epiſtola cap.* 10. *e.* Quanto magis, inquit, putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, et ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratię contumeliam fecerit? Quod ait hic Apoſtolus, *Oſtentui habentes filium Dei*, illic inquit, *Filium Dei conculcauerit*. Spiritum vero gratiæ illic vocat Apoſtolus Euangelium Chriſti, quod eſt ſpiritus gratiæ, id eſt, lex gratiæ, ſiue miſericordiæ. Qui deficit, inquit D. Paulus, a religione Chriſtiana, contumeliam facit Euangelio Chriſti, quia contemnit et deſerit illud quod fuerat amplexatus. *Rurſus renouari ad pænitentiam, rurſum crucifigentes &c.*) Impoſsibile, inquit, eſt, eos qui prolapſi ſunt; rurſus renouari ad pænitentiam. id eſt, qui ſemel fidem Chriſti, & Euāgelium amplexati ſunt, & poſtea deſeruerunt, & receſſerunt a fide ſemel ſuſcepta, rurſus crucifigentes ſibi ipſis filium Dei; difficile, inquit, eſt, huiuſmodi homines rurſum renouari ſibi ipſis, id eſt, rurſum renouari, redi-

Ff read

re ad ſe ipſos, rurſus meliora ſapere, optima ſectari. Filium Dei accipit pro lege filii Dei, legislatorem pro lege. vt *cap.* 13.*b.* Ieſus Chriſtus heri, et hodie: ipſe et in ſæcula. hoc eſt, Euangelium Chriſti ſtabile et firmiſsimum erit vſque ad ſæculi conſummationem. Hæc eſt quorundam explanatio, et aliæ ſunt huic ſimiles: quibus omiſsis, meam ſententiam paucis exponam circa hæc verba: *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes:* quæ mihi perobſcura videntur. Nihil ſanæ doctrinę contrarium afferam: quod reliquum eſt, doctiores iudicabunt. Primum obſeruare oportet, Participia præſentis temporis *Crucifigentes*, et *habentes*, habere hoc loco vim Præteriti temporis; quod interdum reperitur in Sacris Litteris. vt in hac eadem epiſtola *cap.* 1.*a.* Purgationem peccatorum faciens ſedet ad dexteram maieſtatis; id eſt, Poſtquam fecit purgationem peccatorum noſtrorum, ſedet ad dexteram Dei, ſiue aſcendit in cælum poſt paſsionem ſuam. Et *ad Roma.* 6.*c.* Chriſtus reſurgens (id eſt, poſtquam reſurrexit) ex mortuis, iam non moritur, ſiue iam non eſt mortalis, aut morti obnoxius. Sic hoc loco dictum eſt, *Oſtentui habentes*, id eſt, Poſtquam habuerunt ludibrio; & (pro id eſt) *crucifigentes*. Nam crucifigere, eſt hoc loco Ignominia afficere, et idem quod Habere oſtentui, vel ludibrio: quia mors crucis maxima ignominia habebatur. Præterea ſpecies

eſt

eſt hendiadys Hebrææ, Habentes et crucifigentes, pro eo quod eſt Habentes oſtentui, vel ludibrio crucifixum. Datiuus aliquando in litteris ſacris, ex proprietate linguæ Hebraicæ, huiuſmodi vim habet. *Pſal.* 113.*b.* Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. id eſt, Non propter nos (quod eſt, non propter noſtra merita) ſed propter nomen tuum, impende nobis miſericordiam tuam. Et Apoſtolus *ad Roma.* 6.*b.* Mortuus eſt peccato, id eſt, propter peccatum, ſiue propter peccata noſtra delenda. Ita hoc loco dictum puto, *Sibimetipſis*, id eſt, *Propter ipſos*. Inuerſio eſt verborum, *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei &c.* pro eo quod eſt, Oſtentui habentes, et crucifigentes filium Dei ſibimetipſis, rurſus renouari per pænitentiam, Vel rurſus redire ad pænitentiam. Erit ergo ſenſus huius loci; Difficile admodum eſt, et perquam raro fit, vt qui ſemel fidem Chriſti, et Euangelium amplexati ſunt, et poſtea receſſerunt a fide, et habuerunt ludibrio filium Dei crucifixum propter ipſos; qui oſtentui habuerunt filium Dei, id eſt, blaſphemarunt Euangelium Chriſti, et ludibrio habuerunt; ſcilicet, dimittentes illud (ſicut ait *cap.* 10. Spiritui gratiæ, id eſt, Verbo gratiæ, ſiue Euangelio contumeliam fecerit;) difficile, inquit, eſt huiuſmodi homines rurſum renouari, vel venire ad pænitentiam, reduci ad pęnitentiam, ita vt agant pęnitentiam dę apo-

ſtaſia, et reliquis peccatis, et redeant ad fidei ſinceritatem. Difficile eſt eos per pænitentiam renouari, id eſt, acta pænitentia redire ad fidem Eccleſiæ. Vel Pænitentia ponitur pro religione Chriſtiana. Nam de huiuſmodi hominibus inquit idem Apoſtolus *ad Titum* 3.*c*. Cum ſit proprio iudicio condemnatus. Hiſpane, *Muy allegados a ſu proprio parecer*. et ideo nimis difficilis eſt conuerſio eorum. Vere dictum eſt a Salomone *Eccle*. 1.*d*. Peruerſi difficile corriguntur.

Fide Iacob moriens, ſingulos filiorum Ioſeph benedixit: & adorauit faſtigium virgæ eius. Ad Hebræ. 11.*d*.

CAPVT XCIII.

CVM mecum demirarer, cur Apoſtolus Paulus mentionem faceret benedictionis, qua Iacob filios Ioſeph benedixerit, (vt verba Apoſtoli ſonare videntur, et iuxta multorum ſententiam) prętermiſſa illa qua duodecim filios ſuos benedixit, quæ celeberrima eſt, et plena myſteriis, et arcanis magnis: in hanc incidi cogitationem, quam viris piis, et doctiſsimis arbitror

tror non improbandam. Exiſtimo enim verba Apoſtoli hunc ſenſum reddere. Iacob morti proximus, ſingulos filiorum *ſuorum, præſertim ipſum* Ioſeph, benedixit. *Gene.*49. ita vt exiſtimem, non meminiſſe Apoſtolum benedictionis filiorum Ioſeph, ſed de ea tantum benedictione ſermonem facere, qua Iacob benedixit filios ſuos. Non, inquam, prætermiſit Apoſtolus benedictionem qua Iacob duodecim filios ſuos benedixit. Falluntur ergo qui benedictionem illam prætermiſſam fuiſſe ab Apoſtolo exiſtimant. Erit ergo locus ita diſpungendus, et aliquid ſubintelligendum, hoc modo. Iacob moriens ſingulos filiorum *ſuorum, præſertim* Ioſeph benedixit. Nec recte diſpunges, Iacob moriens ſingulos filiorũ Ioſeph, benedixit. Debet enim interſeri comma in voces *filiorum*, et *Ioſeph*. Quod vero ſubaudiatur particula *Præſertim*, non eſt inuſitatum ſcriptoribus Sacris. Duo occurrunt mihi exempla Scripturarum, licet non dubitem et alia reperiri. Alterum eſt *Pſal.* 74. Liquefacta eſt terra, et omnes qui habitant in ea; ego confirmaui columnas eius. Hoc eſt, Liquefiet terra (nam more Prophetico Preteritũ ponitur pro Futuro) et vltio ſumetur de omnibus habitatoribus eius, *præſertim* de iis quos ego columnas, ſiue Principes eius conſtitui. Alterum teſtimonium eſt *Lucæ* 1. *e.* Sicut locutus eſt ad Patres noſtros, *præſertim ad* Abraham, et ſemini eius

in ſæcula. Hoc eſt, Cum Deus alloqueretur Abraham: promiſit ei illum venturum in ſæculum, id eſt, illum Regem maximum de ſemine eius. Meminit vero Apoſtolus particulatim benedictionis qua Iacob benedixit Ioſeph, quod illi ampliora optauerit, quaſi præ aliis dilecto. Benedicere autem, hoc loco eſt bene precari, et felicia optare. Idipſum exiſtimo ſignificare verbum Adorandi, cum Apoſtolus addit, *Et adorauit faſtigiũ virgæ eius:* id eſt, poſteritatis ſuæ, vel poſteritati eius, nempe Ioſeph; aut poſteritati eorum, ſcilicet filiorum ſuorum. Nam cum Hebræi frequenter tranſeant ſubito ab vno numero ad alium, et ſæpenumero abutantur reciprocis; rurſumq. aliquando Antecedens ſit vnius numeri, et Relatiuum alterius: poſſunt huiuuſmodi explanationes locum habere. Adorauit faſtigium virgæ eius, id eſt, Bene precatus eſt, et optauit proſpera virgæ faſtigii eius, (vt ſit inuerſio vocum) id eſt, optauit proſpera excelſo principatui, quem gerebat Ioſeph in Aegypto. Optauit ſtabilem fore principatum Ioſeph, ad ſubuentionem, vmbram, et protectionem totius generis ſui. Nam Virgam pro Principatu exiſtimo appellari, et Faſtigium virgæ, idem eſſe quod Principatum excelſum et magnum. Nec improbandum cenſeo, ſi virgam, ſiue ramum, aut ſurculum, pro poſteritate dicas appellari; et faſtigium, pro felicitate et rebus proſperis. Poſsint hæc

verba etiam hac ratione explanari. Fide adorauit Iacob faſtigium virgæ eius: id eſt, Iam moriturus credens Meſſiam a Deo in mundum mittendum, adorauit illum. Nam virga, ſiue ſceptrum, quia Symbolum Regni eſt, aliquando pro Rege et Principe appellatur. Meſsiam autem venturum, frequenter in Prophetis, appellatione Regis et Principis deſignari, perſpicuum eſt. Faſtigium vero virgæ, idem eſt quod virga ſublimis, id eſt, Rex maximus, et Princeps feliciſsimus. Quod ergo ait Apoſtolus, Adorauit faſtigium virgæ eius, idem ſonat quod Adorauit illum Regem ſuum, Principem illum maximum, quem vocabant Meſsiam, cum de eius aduentu futuro loquerentur. Vel Iacob adorauit (id eſt, prædixit, ac prophetauit adorandum) faſtigium virgæ, ſiue potentiam et maieſtatem illius, ſiue virgæ illius Regis promiſsi a Deo, nempe Meſsiæ. Adorauit faſtigium, ſiue Maieſtatem illius Regis venturi. Ac fortaſsis germanus ſenſus horum verborum, hic eſt: Adorauit, ſcilicet Dominum, *propter* faſtigium virgæ Ioſeph: id eſt, Gratias egit Deo, quod Ioſeph conſtituiſſet Principem magnum Aegypti; videlicet, vt tempore famis in terra aliena, fratribus ſuis cum familiis, ſubuenire poſſet. Subaudienda itaque videtur præpoſitio Accuſatiui, quod in aliquot locis Sanctarum ſcripturarũ contingit, ex idiomate Hebræo. Faſtigium ergo virgæ, ſiue culmen Prin-

cipatus, idem eſt quod Principatus ſublimis, magnus, potens et inſignis. Non enim ſemper Virga pro Rege, aut Regno accipitur: ſed aliquando pro Principe, aut Principatu; ſicut Propheta Habacuc *cap.* 3. ſceptra dixit, pro Principibus. Maledixiſti, inquit, ſceptris eius; id eſt, Principes exercitus Pharaonis ſimul cum vniuerſo exercitu perdidiſti, ac inuoluiſti aquis maris Rubri. Et *Sapi.* 10. *c.* Sceptrũ regni vocatur Principatus quem habebat ipſe Ioſeph in Regno Aegypti.

Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem: maiores diuitias æſtimans theſauro Aegyptiorum, improperium Chriſti. ad Hebræ. 11. *c.*

CAPVT XCIIII.

IN hoc loco quem ſuſcepimus enarrandum, perobſcura ſunt verba illa, *Temporalis peccati habere iucunditatem.* A facilioribus incipiamus, vt ad id peraccingamur in quo eſt tota huius loci difficultas. Habere iucunditatem, dictum eſt pro Voluptate, et omni humana felicitate potiri, vt potentia, opibus; et indulgen-

gẽtiſsime tractari. Loquitur vero Apoſtolus de Moyſe, qui cum adoptatus eſſet in filium a filia Regis Pharaonis: ipſe vt cognouit ſe natum de genere Hebræorum, reſpuit adoptionem, qua ſibi diuitias magnas, potentiam, denique theſauros Aegyptiorum adquirere poſſet: maluit affligi cum populo Hebræorum, vtique populo ſuo, et tamquam Hebræum, et de genere Hebræorum vexari ab Aegyptiis; quam temporalis peccati habere iucunditatem. Sed quid hoc eſt, temporalis peccati habere iucunditatem? et quid eſt temporale peccatum? Scio pleroſque ita interpretari, Quam temporariam habere peccati fruitionem. Sed huiuſmodi interpretatio, non video quomodo litteræ cohæreat: et huiuſmodi interpretes videntur mihi non intellexiſſe locum. Quod ego ſentio in hac parte, hoc eſt. Temporalis peccati, locutio Hebræa eſt, pro Tempore peccati. Aliquando enim, ex vſu linguæ Hebrææ, nomen adiectiuum in arcanis litteris ponitur pro ſuo ſubſtantiuo. vt *Iſa*. 1. Deſolabitur ſicut in vaſtitate hoſtili, pro eo quod eſt, Ab hoſtibus deſolabitur, vel vaſtabitur vaſtitate. Et *Act*. 14. *c*. Dans tempora fructifera; pro eo quod eſt, Præbens fructus temporibus. id eſt, Præbens fructus terræ temporibus ſuis, ad alimentum hominum. Sic aliquando Domeſtici, pro De domo. Et aliquando apud Paulum,

 Cæle-

Cæleſtia, pro Cælis. Peccatum vero aliquando in ſcripturis ſanctis, ex idiomate Hebræo, ponitur pro plaga, afflictione, calamitate, oppreſsione, et omni genere laboris et miſeriæ. vt *Gene.* 20. *b.* Induxiſti (inquit Abimelech Rex Geraræ ad Abraham) ſuper me, et ſuper Regnum meum peccatum grande. quaſi diceret, Dum tu Saram non vxorem, ſed ſororem eſſe dicis, præbuiſti occaſionem mihi cognoſcendi illam, vnde grauis vltio immitteretur a Deo in me, et in Regnum meum. Dixerat enim Deus, Morte morieris, (id eſt, grauiſsimas pœnas dabis tu, et omnia quæ tua ſunt.) Et *Gene.* 26. *a.* Induxeras ſuper nos grande peccatum, id eſt, Propter te apprehenderet nos grauis vindicta Dei, Sic accipienda eſt vox Peccati *Gene.* 43. *b.* et 44. *g.* Ero peccati reus in te, hoc eſt, Ero pœnæ obnoxius tibi, vt alii vertunt. Et fortaſsis hunc ſenſum habent hæc verba; Ero peccati reus in te, vel ero pœnæ obnoxius coram te. id eſt, Ero pœnæ obnoxius quam volueris, omnibus diebus vitæ meæ. Vel ero coram te (id eſt ero ſeruus tuus) in omni vita mea, pro pœna ſi non reduxero Beniamin. Et *Michææ* 1. *d.* Principium peccati, pro maximo peccato, id eſt, plaga grauiſsima. Et 1. *Machabæorum* 1. *b.* Antiochus ille vocatur Radix peccati, id eſt, Fons et origo malorum, et calamitatum, quas perpeſſus eſt populus Iudæorum, illis temporibus. Eodem modo accipiendum

dum eſt Peccatum hoc loco. Maluit Moyſes, inquit Apoſtolus, affligi ſimul cum populo ſuo, quam potiri felici rerum curſu tempore afflictionis, et oppreſsionis, ſcilicet ipſorum Hebræorum. *Maiores diuitias æſtimans &c.*) Repetitio eſt eiuſdem ſententię mutatis verbis. Vox Chriſti aliquando in ſacris litteris non pro Meſsia, et Chriſto Ieſu Redemptore noſtro ponitur, ſed pro populo Dei vncto, id eſt, electo. vt *Pſal.* 88.*f.* Tu vero repuliſti et deſpexiſti, diſtuliſti Chriſtum tuum. Et paulo poſt, Exprobrauerunt commutationem Chriſti tui, id eſt, Afflictionem, et plagas populi tui ludibrio vertunt hoſtes eius dicentes; vbi eſt Deus ille veſter? quomodo vos ſinit tantis malis diuexari? Et *Pſal.* 131.*b.* Non auertas faciem Chriſti tui, id eſt, Non auertas faciem a populo tuo electo, ne iraſcaris illi. Et paulo poſt, Paraui (pro parabo, ſtabiliam) lucernam Chriſto meo, id eſt, Illic conſtituam Regem populo meo electo, Ieruſalem erit ſedes Regia. Atque ita hoc loco accipienda eſt vox Chriſti. Improperium enim Chriſti, vocantur ludibria, et illuſiones verborum quæ populus Dei electus cogebatur ab Aegyptiis pati, præter ſeruitutem, et oppreſsionem qua affligebantur ab eis: de qua dictum eſt *Affligi cum populo Dei.* Maiorem ergo felicitatem reputabat Moyſes *ſuſtinere* impróperia populi Dei, id eſt, iniurias, maledicta, probra, iniuſtitias,

et op-

et oppreſsionem quibus populus Dei afficiebatur ab Aegyptiis; quam potiri theſauro, et magnis opibus Aegyptiorum, ſi vellet adoptari in filium a Pharaonis filia. Erit ergo ſenſus. Moyſes poſtquam adoleuit, & reſciuit ſe ex parentibus Hebræis ortum, cum videret quantis malis Hebræi ab Aegyptiis vexarentur: qui a filia Pharaonis in filium fuerat adoptatus, et magnis diuitiis, et faſtu poſſet potiri; noluit tamen iure adoptionis vti, illoque abdicato, Hebræis ſe coniunxit; malens ſe ſimul cum illis affligi et vexari, quam videns illos grauia pati ab Aegyptiis, ipſe feliciter habere, et felici gaudere rerum curſu.

Vnuſquiſque vero tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, et illectus. Deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatũ: peccatum vero cum conſummatum fuerit, generat mortem. ex Epiſto. D. Iaco. cap. 1. c.

CAPVT XCV.

VNuſquiſque tentatur &c.) Non diſsimile eſt illud Poetę, *Trahit ſua quemque voluptas*: quod a D. Auguſtino adducitur quodam in loco. *Abſtractus, & illectus*) Species eſt hendiadys Hebraicæ, ſubintelle-

ćta

ςta coniunctione *Et*, pro *Et* abſtrahitur illecebris. Trahitur, inquit, homo illecebris carnis, ſiue inuitatur ad malum et ſcelus. Verbum vero Trahendi, vel Abſtrahendi, non coactionem ſignificat, ſed vim vehementis ſuggeſtionis qua homo mirum in modum allicitur ad peccandum: ita tamen vt ſemper maneat libera voluntas ad aſſentiendum, vel diſſentiendum. Qua proprietate loquendi vſus eſt et Chriſtus Ieſus Saluator noſter *apud Ioannem cap.* 6. *e.* Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum. Concupiſcentia dicitur parere peccatum, non quod ipſa ſola pariat peccatum, niſi acceſſerit rationis conſenſus; ſed quia eſt initium peccati. Allicit enim rationem; quæ ſi conſenſum præbeat, conſummatur peccatum, ſiue ſequatur opus exterius, ſiue non. Nam concipere pro cogitare poſitum eſt (eſt enim cogitatio quidam animi conceptus) vt *Pſal.* 7. Concepit dolorem (id eſt, cogitauit aliis nocere) et peperit iniquitatem, hoc eſt, Sed ſibi malum adduxit. atque vulgo ita ea voce vtimur. Parere vero, pro efficere et operari poſitum eſt. Concipit, *Et* Parit, hendiadys eſt, pro Concipit parere. Peccatum ergo conſummari dicitur, cum illud animo deliberatur, cum voluntas ad illud præbet integrum conſenſum, ſiue ſequatur opus externum, ſiue non ſequatur. Tunc enim primum homo peccat, cum voluntate deliberata aſſentit in

ſcelus;

Digitized by Google

ſcelus; non enim neceſſarium eſt ad rationem peccati opus externum, ſed voluntas deliberata. Præterea quod ait ſanctus Apoſtolus Iacobus, *Generat mortem*, idem eſt ac ſi diceret, Parit ſibi mortem, adducit ſibi mortem animæ. Itaque vnuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua, inquit, allicitur et inuitatur ad malum, ſiue ad peccatũ, a carnis concupiſcentia, a propẽſione ſua ad peccandum, qua infectus eſt. Cum autẽ homo hac cõcupiſcentia blandiente et inclinante, fluctuat animo, nunc in bonum nunc in malum propenditur, dubius an prauę ſuggeſtioni aſſenſum præbeat, nunc cogitans parere peccatum, quod eſt animo aſſentiri peccato, nunc contra cogitans non aſſentiri peccato; tunc peccat leuiter, quod dicimus peccato veniali. Cum vero malum et peccatum conſummauerit, hoc eſt, ſi illud ſcelus et peccatum animo, ſeu voluntate deliberat; iam tunc homo adducit ſibi mortem animę, quia peccat peccato lethali; quia deliberata voluntas ad malum, eſt peccatum lethale. Eſt itaque huius loci ſenſus, Homo tentatur ad ſcelus a concupiſcentia ſua, et vehementer ad malum propẽditur illecebris carnis. Deinde homo ſic tentatus, concipit, id eſt, cogitat, verſat in animo id ad quod inuitatur a concupiſcentia, nunc cogitans (ante deliberationem, et integrum aſſenſum voluntatis) patrare peccatum, *Nunc retrahens animum a peccato*, adhuc dubius et pendulus

dulus in vtramque partem. Si tandem decreuerit animo aſſentiri peccato, quod eſt peccatum conſummari, adducit ſibi mortem; hoc eſt, lethali peccato offendit Deum, atque gratia priuatur, quæ eſt vita animæ. Per hos ergo gradus peruenitur ad lethale peccatum. Primum homo a concupiſcentia illecebris inuitatur, et allicitur ad malum. Deinde animus malum ſibi propoſitum cogitans, dubitat an illud malum et peccatum eligat. In qua mora voluntatis non ſe ſtatim deliberantis ad bonum, leue peccatum eſt. Quia ſtatim vt obiicitur homini aliquid diuinæ legi contrarium, tenetur illud reſpuere. Poſtquam vero homo verſans animo dubio malum ſibi obiectum, vltra progreditur, tandemque deliberat illud malum eligere, accedente hac animi deliberatione, & conſenſu rationis; ſiue ſequatur opus externum, ſiue non; tunc fit peccatum lethale, quod mortem adducit. Hoc eſt quod ait D. Iacobus Apoſtolus, hominem tentari, ſiue inuitari, et allici ad malum a concupiſcentia; deinde hominem ita a concupiſcentia inuitatum, cogitare illud et verſare animo, quod concipere vocat. Cum vero deliberat animo, et voluntate deliberata eligit quod dubius conceperat; tunc homo parit peccatum, generat peccatum lethale, tunc committit peccatum lethale, quod adducit mortem.

Pri-

Primum itaque homo tentatur ad malum a concupiſcentia ſua, et praua propenſione. Deinde homo cum cogitat illud malum, concupiſcentia ſuggerente illud, et ad illud allicente; ſi parit peccatum, id eſt, ſi plene conſentit peccato, iam conſummatur peccatum, iam plene peccatum lethale eſt, per quod homo ſibi, id eſt, animæ ſuæ mortem accerſit, quæ eſt priuatio gratiæ.

Fratres mei, nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti gloriæ.
Ex Epiſtola D. Iacobi, Cap. 2. a.

CAPVT XCVI.

IN, ponitur pro *Cum. Habere* pro *aſtimare*, quod etiam in vſu eſt Latinæ linguæ. *Fides* pro *fidelibus*, Denominatio pro ſuo denominato. Tota vero huius loci difficultas ſita eſt in Genitiuo *Gloriæ*: qui varie exponitur a multis: quorum expoſitionibus omiſſis, meam ſententiam aperiam paucis. Germana huius loci intelligentia, vt mea fert opinio, eſt in conſtructione Hebræa Genitiui *Gloriæ*. Nam vt aliis in locis obſeruamus, varius eſt ac multiplex vſus Genitiui in arcanis litte-

litteris, ex proprietate linguæ Hebraicæ. Aliquando enim hanc conſtructionem habet. 3. *Regum.* 15. *b.* Excepto ſermone Vriæ. id eſt, Excepto facinore contra Vriam admiſſo. Aliud genus conſtructionis habet *Lucæ* 2. *b.* Gloria in excelſis Deo &c. bonæ voluntatis. id eſt, propter magnam miſericordiam ſuam. Sic dictum eſt. *ad Coloſ.* 1. *d.* Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti: id eſt, propter Chriſtum. Aliud genus conſtructionis Genitiui eſt hoc loco, *Gloriæ*, pro ſecundum, vel iuxta Gloriam. Ponitur vero Gloria pro opibus, pro potentia, honore, autoritate, omniq. genere humanæ felicitatis. vt *Matthæ.* 6. *d.* Nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut vnum ex illis. Inquit ergo Apoſtolus Iacobus: Ne æſtimetis Chriſti. fideles gloriæ: hoc eſt, iuxta gloriam, iuxta opes, honorem et potentiam eorum, accipientes perſonas. Nolite, ait, ſimul cum perſonarum acceptione habere fidem Ieſu Chriſti; ne æſtimetis fideles Chriſti cum perſonarum acceptione; ne iudicetis, vel æſtimetis cum perſonarum acceptione, fideles Chriſti, gloriæ: id eſt, iuxta gloriam, ſiue opes, et potentiam illorum: ita vt diuites et potentes magno in pretio habeatis; pauperes vero (cum vtrique ſint Chriſtiani) parui pendatis, et aſpernemini.

In quem deſiderant Angeli proſpicere.
1. Pet. 1. c.

CAPVT XCVII.

SVB OBSCVRA verba, quæ arbitror hac ratione explicanda Angelos vocat ſanctos Prophetas, qui aliquando nuncii Dei vocantur in diuinis litteris, vt *Iſa.* 42. *c.* 44. *d.* et *Aggai* 1. *d.* Sic *Iſa.* 33. *a.* Prophetæ vocantur videntes, et Angeli pacis, id eſt Prophetæ ſancti (quia Genitiuus Pacis ſæpe additur ab Hebræis, rei quam in genere ſuo magnam, et inſignem volunt ſignificare.) Ecce Videntes, inquit Iſaias, clamabunt (pro, Clamant) foris, hoc eſt, Prophetæ vaticinantur populum Iſrael foris, ſiue extra regionem ſuam abducendum. Et per repetitionem additur, Angeli pacis amare flent. Nec enim placet mihi eorum ſententia qui dicunt, hæc verba Iſaiæ intelligi de legatis Ezechiæ; qui redeuntes a Rabſace, triſtia retulerunt. Sancti vero Prophetæ antiquis temporibus, et plerique homines Dei, atque viri iuſti deſiderarunt videre tempora feliciſsima Meſsiæ, a Prioribus Prophetis decantata, et deſidera-

runt

runt potiri opibus illis ſpiritualibus, futuris illis temporibus. Sicut de iuſto Abraham ait Chriſtus *Ioan.* 8. *g.* Abraham exultauit vt videret diem meum, ſiue deſiderauit videre diem meum, deſiderauit potiri meis temporibus. Et *Lucæ* 10. *d.* Multi Prophetæ, et Reges voluerunt videre quæ vos videtis. Vox eſt iuſti Malachiæ id ipſum optantis, illud quod in eius prophetia legimus *cap.* 3. *a.* Quis ſtabit ad videndum eum? ſimilis vox eſt Balaam (licet non viri iuſti) Heu quis victurus eſt, quando iſta faciet Deus? *nume.* 24. *d.* Hoc ergo eſt quod ait D. Petrus Apoſtolorum Princeps; ſancti Prophetæ deſiderarunt (nam Præſens ponitur pro Præterito) videre ingentia illa bona, ſiue opes ſpiritales promiſſas, hoc eſt, potiri opibus ſpiritalibus, quas ſacri Vates cecinerunt futuras feliciſsimis temporibus Meſsiæ, quæ ſunt tempora Euangelii. In quæ proſpicere, dictum eſt, pro Quæ videre. Et ſicut Videre bona, phraſis eſt Hebræa, qua ſcriptores Sacri vtuntur aliquando, pro Bonis potiri: ita In quæ proſpicere, idem eſt quod Quibus potiri. Optarunt, inquit, Sancti Prophetæ potiri opibus ſpiritalibus, quas ipſi his temporibus Euangelii futuras cecinerunt; optarunt potiri opibus ſpiritalibus, quibus nunc gaudet Eccleſia Chriſti. Hæc ſunt tempora Meſsiæ, et tempora Euangelii, quæ Prophetæ ſancti cecinerunt, et quæ videre vehementer optarunt.

runt. Iam venit Meſsias promiſſus, quem venturum illi prædixerunt, et cuius aduentum videre deſiderarunt, et illius temporibus potiri. Adſunt tempora Meſsiæ, quæ ſunt ab ipſius natali in carne, vſque ad ſæculi conſummationem. Præterea quia Angelus interdum ſonat idem quod Princeps, et voce paululum extenſa (vt non raro fit) pro Rege vſurpari poteſt: per Angelos hoc loco, Reges poſſumus intelligere, iuxta illud quod modo adduximus *ex Luca c.* 10. *d.*

In quo & his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicauit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca: in qua pauci, id eſt octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam. Quod & vos nunc ſimilis formæ ſaluos facit bapitiſma. 1. *Petri* 3. *d.*

ET

Propter hoc enim & mortuis euangelizatum eſt: vt iudicentur quidem ſecundum homines in carne, viuant autem ſecundum Deum in ſpiritu. 1. *Petri.* 4. *b.*

CAP.

CAPVT XCVIII.

QVIA hæc duo loca Principis Apoſtolorum D. Petri, ſimilia videntur, et ſimul a quibuſdam viris doctiſsimis pertractata ſunt; in vnum caput coniunximus. Mirum eſt quantum difficultatis ſenſerint viri doctiſsimi in huius prioris loci intelligentia, quam ego paucis, iuxta meam ſententiam, in medium adducam. Ac primum obſeruare oportet, hoc loco inuerſionem, et confuſionem vocum, contingere; qua Hebræi non raro vti ſolent. Nam recta vocum ſeries hæc eſt; *In quo & iis qui in carcere erant Spiritibus, qui aliquando* (id eſt olim) *increduli fuerant in diebus Noe, quando expectabant Dei patientiam, cum fabricaretur arca: in qua pauci, id eſt octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam: Noe veniens prædicauit. In quo*) Noua ſententia, & nouum argumentum videtur, et hoc non ad præcedentia, ſed ad ſequentia referendum. Oportet etiam aliquid ſubintelligere, vt oratio ſit concinna, apte connexa, et fluat. Quæ omnia ex idiomate linguæ Hebraicæ proueniunt, quæ nimis licēter loquitur prę aliis linguis, varios et frequentes abuſus habet, non ſolum in verbis ſingulis, ſed etiam in connexione clauſularum, et partibus ſententiarum.

Hunc ergo ſenſum habet locus. *Sicut vero* olim, *hoc eſt*, in diebus Noe, cum expectabat *ad pænitentiam* Dei patientia, *eos* qui increduli erant; in arca quæ *tunc* fabricata eſt, pauci, id eſt, octo animæ ſalue factę ſunt per aquã; ita et vos nunc, ſimilis formæ ſaluos facit baptiſma. In quo ergo, id eſt, ad quod, vel propter quod, ſcilicet vt eos carne mortificatos exhiberet, et ſpiritu viuentes. Spiritus pro hominibus, vel pro diuerſis gentibus accipi poteſt; et vtroque modo hæc vox vſurpatur in ſcripturis ſanctis, ſicut et vox animæ. Noe, inquit, prædicauit hominibus ſui temporis. *In carcere* dictum eſt pro in tenebris, quia ergaſtula quibus aliquot gentes vtuntur pro carcere, obſcuriſsima ſunt. In carcere ergo idem eſt quod in tenebris peccatorum, et ignorantiæ, iuxta illud *Lucæ* 1. *g*. Illuminare his qui in tenebris, et in vmbra mortis ſedent. Denique quia carceres apud Hebræos, et gentes alias, erant velut ergaſtula luce carentia: nonnumquam Carcer pro tenebris vſurpatur, ſicut hoc loco. Præterea In carcere, id eſt, hominibus qui erant vitiorum tenebris immerſi, et depreſsi malorum pondere. Hæc enim omnia appellatione Tenebrarum, conſueuerunt ſignificare ſacri ſcriptores. *Veniens*) Vox eſt ſuperabundans, ex phraſi et idiomate Hebręo, vt *Lucæ* 11. *d*. Tunc vadit &c. Et *Matth*. 13. *g*. Vadit, et vendit. Et Abiit et vendidit, Sunt et alia non pauca exẽpla huius rei.

rei. Simili proprietate loquendi vtitur et lingua Hiſpana. *Expectabant Dei patientiam)* Inuerſio eſt ſuppoſiti et appoſiti, pro eo quod eſt, Quando expectabat, ſcilicet eos ad pænitentiam Dei patientia. vt *Iob* 7.*b*. Neque cognoſcet eum amplius locus eius: pro Non cognoſcet amplius locum ſuum. vt legimus *Pſal.* 102. et *Iſa.* 55.*a*. Gentem quam neſciebas, vocabis. pro eo quod eſt, Vocabis gentem quæ neſciebat te. *Octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam)* Animæ per ſynecdochem ponuntur pro hominibus, lingua Hiſpana *Perſonas* dicit. Quod ait Per aquam, abuſus eſt præpoſitionis, pro Ex aqua, vel Ab aqua. Fuerunt liberi ab aquis diluuii qui ſunt ingreſsi arcam Noe. Mirus enim eſt abuſus prępoſitionum apud Hebręos. Quod vero ait, *Veniens prædicauit*: ne intelligas de Chriſto, quod per ſe, per Apoſtolos, et eorum ſucceſſores prædicauerit, vt quidam intelligunt: ſed de Noe, qui ſui temporis hominibus prædicauit, et conſuluit, vt a peccatis diſcederent, cōminans illis diuinam vindictam, niſi reſipiſcerent. *Qui increduli fuerant aliquando &c.)* Confuſus eſt ordo verborum, et ſubintelligenda particula ſimilitudinis, hoc modo. *Et ſicut* aliquando, id eſt olim, *Nempe* in diebus Noe, cum fabricaretur arca (quæ dum fabricaretur, expectabat Dei patientia, ſcilicet ad pænitentiam, eos qui increduli fuerunt, non credentes Noe prædicenti diluuium) in qua

pauci, id eſt, octo ſalui facti ſunt ab aquis diluuii; *Sic nunc* ſimili modo ſaluos vos facit baptiſma. Quod vero ait, *Similis formæ*, idioma etiam Hebræum eſt, Genitiuus pro Ablatiuo, pro ſimili forma, id eſt, ſimili modo. *Qui increduli fuerant aliquando)* Locus implexus et perobſcurus, confuſa etiam orationis ſeries. Multa ergo obſeruare oportet, vt huius loci germanum ſenſum eruamus. Ac primum quidem oportet ſubaudire particulam ſimilitudinis, vt diximus. *Aliquando* vero ponitur pro *Olim*. Præteritum pluſquam perfectum *Fuerant*, poſitum eſt pro Præterito imperfecto, vel Perfecto. Cum vero ait D. Petrus, *In diebus Noe, cum fabricaretur arca*, Noe, non eſt Genitiuus, ſed Nominatiuus. Et eſt ſenſus, In diebus cum fabricaretur arca, propter quod Chriſtus prædicauit his qui in tenebris erant, *Sicut etiam* olim in diebus cum fabricaretur arca illa in qua octo animæ ſaluæ factæ ſunt, dum expectaret Dei patientia; Noe prædicauit (nam verbum Prædicandi quod præceſsit, repetendum eſt) illius temporis hominibus, qui tamen increduli fuerunt. Prædicabat Noe impiis hominibus, vt a ſceleribus abſtinerent, alioqui n diluuium aquarum a Deo immittendum. Ob idq. idem Apoſtolus *poſteriori Epiſtola cap. 2. a.* Noe vocat iuſtitiæ præconem, id eſt, boni et æqui conſultorem, et virtutis ſuaſorem. Sed impii illi, ait D. Petrus, increduli fuerunt,

runt, quia non crediderunt diluuium futurum. Mora illa centum, vt ait D. Auguſtinus, annorum quibus arca fabricata eſt, nihil aliud fuit quam expectatio ad pœnitentiam. Noe itaque cum fabricaretur arca, prædicauit impiis hominibus ſui temporis, qui increduli erant; et abutebantur Dei patientia. Niſi malis intelligere, quod Noe veniens *in* ſpiritu, id eſt, ambulans coram Deo (nam venire aliquando ponitur pro ambulare, et In pro Coram, et Spiritus pro Deo) quaſi diceret, Noe ſeruus Dei prædicauit iis qui in carcere, vel in tenebris vitiorum erant. ob quod D. Petrus Præconem iuſtitiæ vocat, id eſt, Vltionis Diuinæ.

Alter locus eiuſdem Epiſtolæ D. Petri habetur cap. 4. *Propter hoc enim,* inquit, *et mortuis euangelizatum eſt &c.)* Mortuos exiſtimo appellaſſe gentes impias, qui erant peccato idololatriæ (vt alia ſcelera prætermittam) mortuæ, ea proprietate loquendi qua Chriſtus Ieſus Seruator noſter dixit *Lucæ* 9. *g.* Sinite mortuos ſepelire mortuos ſuos. Niſi malis mortuos pro mortalibus, ſiue hominibus appellari. Sic enim aliquando vſurpatur vox Mortuorum, vt *ad Coloſ.* 1. *c.* Primogenitus ex mortuis, vel Primogenitus mortuorum, id eſt, Rex mortalium, ſiue omnium hominum, & omnium gentium. Sic etiam eodem ſenſu idem

Chriſtus Ieſus appellatur Primogenitus mortuorum *Apoca.* 1. *b.* Mortuis ergo, id eſt, cunctis gentibus prædicatum eſt, et prædicandum eſt Euangelium. *Vt iudicentur quidem ſecundum homines &c.*) Iudicare pro Punire, affligere, et perdere. Cum ait, Et mortuis, abundat *Et* ex Hebraiſmo. *Enim*, ponitur pro *Autem*. In hoc, vel ad hoc, inquit, D. Petrus Apoſtolorum Princeps, prædicatur Euangelium gentibus, in hunc vſum et com modum; *nempe* vt *ſciamus quod qui* iudicantur, vel pereunt in carne, et occiduntur per homines, ſcilicet infideles, propter confeſsionem fidei: viuunt apud Deum Spiritu. Martyres ſancti, qui pereunt apud homines, et tolluntur e terra; viuunt vita feliciſsima per Deum, in cælo. Ad hoc prædicatur Euangelium gẽtibus, vt *licet* iudicentur in carne, ſiue patiantur in corpore per tyran nos; viuant tamen in anima per Deum. Prædicatur Euangelium omnibus gentibus, ad hoc ſcilicet vt relictis prauis moribus, et vita veteri, Deo viuamus, et ſeruiamus vita noua. Vt iudicentur, id eſt, puniantur, atque adeo mortui ſint carni, viuant autem ſpiritui. Sic dictum eſt *cap. præcedenti*, Vt nos offerret Deo mortificatos carne, id eſt, mortuos carni, ſiue deſideriis et affectibus corporis; viuificatos autem ſpiritu, hoc eſt, viuentes ſpiritui, ſiue ad vtilitatem animæ. Quod vero ait D. Petrus, *Secundum homines*, et *Secundum Deum:* ita

intel-

intelligendum videtur, vt mortui ſint carni ſecundum homines, id eſt, mortui ſint carni quam homines natura ſua ſequi ſolent, et in quam propenſi ſunt. Viuant autem ſpiritui, ſiue obediant ſanctis deſideriis animæ; quod eſt viuere ſecundum Deum, ſecundum legem Dei, et ſecundum voluntatem Dei. Vel certe aliquid eſt ſubintelligendum, hoc modo, vt iudicentur quidem *qui viuunt* ſecundum homines (id eſt, vt viuunt gentes, quæ ſequuntur deſideria carnis) in carne; et viuant *qui viuunt* ſecundum Deum, in ſpiritu, id eſt, iuxta Euangelium: vel Spiritu, id eſt, ſectando ſancta deſideria animi. Fortaſsis eſt inuerſio, pro eo quod eſt, In ſpiritu ſecundum Deum, id eſt, Iuxta Euangelium Dei. Poſſunt hæc verba non inepte et hac ratione explicari. Propter hoc, idem eſt quod Nam. Mortui pro mortalibus, id eſt, hominibus, vel gentibus. Inquit ergo Apoſtolus D. Petrus; Nam veniet Chriſtus omnibus mortalibus iudicandis, ſicut euangelizatum eſt, vel ſicut Euangelium teſtatur, vt iudicentur ſecundum homines in carne (id eſt, vt æternis ſuppliciis condemnentur qui vixerunt in carne, vel iuxta carnis deſideria, vt ſolent homines, ſiue gentes quæ idola colunt) Viuant autem ſecundum Deum in ſpiritu, hoc eſt, & vt præmium vitæ æternæ accipiant, *qui ambulauerint* in ſpiritu ſecundum Deum, vel iuxta legem Dei. Vt iudicentur, inquit, qui

ambu-

ambulant in carne vt gentes; et viuant vita ſempiterna qui ambulant in ſpiritu ſecundum legem Dei.

Et a ſeptem ſpiritibus qui in conſpectu throni eius ſunt: & a Ieſu Chriſto &c. Apoca. 1. *a.*

CAPVT XCIX.

MVLTORVM ſententia eſt, his prioribus verbis mentionem fieri de Spiritu Sancto, qui eſt ſeptiformis in donis, de quibus *Iſa.* 11. *a.* Largitur enim multiplicem gratiã, multiplicia dona, atque chariſmata (quæ Spiritus appellantur) ſeptenario numero comprehenſa. Aiuntq. hæc ſeptem dona, ſiue ſeptem Spiritus, ideo dici in conſpectu throni eius eſſe; quia ſeptem dona gratiarum præſto eſt Spiritus ſanctus ſanctis ſuis communicare. Hæc ſententia numquam mihi placuit. Nam quod hæc verba non intelligantur de Spiritu ſancto, vel ex illis verbis conſtat, *Qui in conſpectu throni eius ſunt:* quæ quidem ex vſu ſcripturarum, et proprietate ſermonis Hebræi, miniſterium deſignant, quod non niſi inferiori conuenire poteſt. Numquid vero Spiritus ſanctus inferior eſt Patre, aut Filio; vt in conſpectu eius adſta-

Digitized by Google

adſtare dicatur quaſi miniſter? Abſit. Omnes enim tres diuinæ perſonæ coæquales ſunt. Præterea hoc loco Ioannes non tres perſonas diuinas ſacræ Triadis commemorat. Sed tantum meminit Filii ſub variis nominibus; ſicut et D. Paulus Apoſtolus initio Epiſtolarum ſuarum, vt plurimum, gratiam et pacem optans, ſolum Ieſum Chriſtum commemorat, quem multis nominibus vocat, vt eius potentiam, maieſtatem, & diuinitatem oſtendat. Nam verba illa, *Qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt*, de filio Dei Ieſu Chriſto dicta ſunt. Ipſe enim venturus eſt ad iudicium, ipſe iudicaturus eſt viuos et mortuos, ipſe conſtitutus eſt iudex viuorum et mortuorum: ſicut dictum eſt *Ioan.* 5. *d.* Pater omne iudicium dedit filio. De ipſo ergo dictum eſt, *Et a ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni eius ſunt*. Locus vero hic ad phraſim Hebræorum referendus eſt. Aliquando enim ſermo Hebræus tribuit vni perſonæ, quod alii tribuendum eſt. vt 1. *Petri.* 4. *a.* Qui paſſus eſt in carne, deſiit a peccatis. Vbi Princeps Apoſtolorum duo Tribuit Chriſto; quorum poſtremum non illi, ſed Chriſtiano homini conuenit, et tribuendum eſt, vt ſit ſenſus. Sicut Chriſtus paſſus eſt in carne, *Ita fidelis quiſque* deſiit, id eſt, deſinere debet et ceſſare (habet hanc vim

ali-

aliquando preteritum in Sacris litteris ex idiomate Hebræo) a peccatis. Sic *Iſa.* 55. *a.* dictum eſt, Gentem quam neſciebas vocabis. pro eo quod eſt, vocabis, ſiue adduces, ſcilicet ad cultum nominis tui, gentes quæ neſciebant te. Quod per repititionem exponitur, Et gentes quæ te non cognouerunt, ad te current. Nam ſermo Hebræus licenter nimis abutitur phraſibus, ſerie vocum, inuerſione et tranſpoſitione; ita vt aliquando phraſes, vel locutiones Hebraicæ linguæ nulla certa regula comprehendi poſsint. E quarum numero eſt locutio hæc de qua agimus; ita vt nihil aliud fere de ea dici poſsit, quam quod ſit Hebræa locutio. Illud vero quod dici poteſt, eſt fieri abuſum perſonarum, ex proproprietate ſermonis Hebræi. Simili locutionis genere dictum videtur illud Apoſtoli, 1. *Cor.* 10. *c.* In quos fines ſæculorum deuenerunt. pro eo quod eſt, qui in fines ſæculorum incidimus. id eſt, incidimus in tempora illa nouiſsima. Nam fines ſæculorum, idioma Hebræum eſt, pro ſæcula nouiſsima, id eſt tempora feliciſsima, ſcilicet Euangelii. Simili etiam locutionis genere dictum arbitror Eccleſiaſtici 4. *d.* Oſſa ipſius viſitata ſunt; et poſt mortem prophetauerunt. pro eo quod eſt, prophetauit Ioſeph de illis (nempe fratribus ſuis) poſt mortem ſuam viſitandis *a Deo*, et de ſuis oſsibus *Scilicet aſportandis in terram Chanaan*, adiurauit vel mandauit eis.

cis. Nam legimus *Gene*. 50. *d*. dixiſſe Ioſeph, Deus viſitabit vos, aſportate oſſa mea vobiſcum. Itaque abuſus loquendi ſunt ex idiomate linguæ Hebraicæ. Nam oſſa Ioſeph, non viſitata, ſed aſportata dicuntur, et fratres illius viſitati. Nec oſſa prophetauerunt, ſed Ioſeph de fratribus a Deo viſitandis, prophetauit. Similis locutio eſt *Act*. 1. *c*. Poſſedit agrum de mercede iniquitatis, videlicet Iudas proditor. pro, De mercede iniquitatis eius poſſeſſus, vel emptus eſt ager. Et *Act*. 8. *f*. In humilitate iudicium eius ſublatum eſt. pro eo quod eſt, Sublatus eſt, vel ablatus eſt de terra, mortuus eſt humilitate iudicii, ſiue humili iudicio, vel ſupplicio abiecto; hoc eſt, morte probroſa, et abiectiſsima. Senſus ergo loci quem enarrandum ſuſcepimus, et feries orationis ſic habet. *Gratia vobis, & pax ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, &* (pro id eſt) *a Ieſu Chriſto, in cuius throni conſpectu, vel ante cuius thronum ſunt ſeptem ſpiritus*, ſiue omnes ſpiritus angelici, cui ſeruiunt omnes Angelici ſpiritus, iuxta illud *Apoca*. 7. *c*. omnes angeli ſtabant in circuitu throni. Et *Danie*. 7. *c*. Millia millium miniſtrabant ei, et decies millies centena millia aſsiſtebant ei. Nam ſeptenarius numerus vniuerſitatem ſæpe ſignificat, vt D. Gregorius, et alii orthodoxi Patres docuerunt. Hæc ergo quam modo attulimus, eſt recta ſeries orationis, ſi locum, vt aperte eluceſcat, ad Latinā phra-

ſim trahas. ex qua etiam intelliges, in verbis D. Ioannis Apoſtoli fieri inuerſionem partium periodi, ſacris ſcriptoribus non inuſitatam. *Et*, expoſitiue accipitur pro *Id eſt*, cum dicitur, *Et a Ieſu Chriſto*. Præterea in his verbis, *A ſeptem ſpiritibus qui in conſpectu throni eius ſunt*, abuſus eſt perſonarum, vt diximus; qui aliquando eſt in vſu ſermoni Hebræo. Hæc ergo tria, *Ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt*: et illud *A ſeptem ſpiritibus qui in conſpectu throni eius ſunt*, ſiue in cuius throni conſpectu ſunt ſeptem ſpiritus, et illud *Et a Ieſu Chriſto*: Hæc, inquam, omnia de ſolo Chriſto dicuntur; cuius diuinitatem, et æternitatem æqualem Patri, explicat. D. Ioannes cum ait, qui eſt, et qui erat, et qui venturus eſt. Potentiam et maieſtatem exprimit cum dicit, illi omnes Angelos aſtare tamquam miniſtros. Itaque A ſeptem ſpiritibus qui in conſpectu throni eius ſunt, dictum eſt ex Hebraiſmo, pro In cuius conſpectu ſunt ſeptem ſpiritus, ſeu Cui adſtant, et ſeruiunt omnes Angeli. Quibus verbis filius Dei Ieſus Chriſtus ſignificatur Dominus Angelorum. Cum vero addit Ioannes, *Et a Ieſu Chriſto*, non ideo hoc intulit, quaſi ſignificaret Ieſum Chriſtum alium eſſe ab eo cuius mentionem fecerat: ſed coniunctio copulatiua *Et*, vt modo dicebamus, expoſitiue accipienda eſt. Atque is vſus huius particulę interdum reperitur in ſcripturis, ex idio-

mate

mate ſermonis Hebræi, vt quidam obiter obſeruarunt. *Et a ſeptem ſpiritibus qui &c.*) Hæc eadem ſententia apertiori phraſi habetur *cap. 4. b.* vbi legimus, quod ante thronum, ſiue ante agnum ſedentem in throno, erant ſeptem lampades ardentes, ſiue ſeptem Spiritus Dei, hoc eſt, exercitus numeroſus Angelorum.

Qui eſt teſtis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps Regum terræ. Apoca. 1. b.

CAPVT C.

NON parum habet difficultatis vſus harum vocum *Teſtis primogenitus*, et *mortui*, in ſcripturis ſanctis: de quibus ita diſſerendum cenſeo. Teſtis aliquando in arcanis litteris, ex idiomate ſermonis Hebræi, pro Iudice ponitur. Sicut ſanctus Propheta Malachias *cap. 3. b.* Teſtem velocem dixit pro Iudice acerrimo. Rurſum quia Iudex aliquando vſurpatur pro Principe et Rege (propterea quod olim populus ille vetus Hebræorum, per Iudices regebatur, habuitq. Iudices pro Regibus) Teſtis etiam pro Principe et Rege interdum appellatur, vt *Pſal. 88. d.* Teſtis in cælo fidelis. hoc eſt, Erit

meus Meſsias a me promiſſus (inquit Pater cæleſtis) Teſtis fidelis, id eſt, Princeps ſtabilis, Rex ſempiternus, in cælo: id eſt, Sicut cælum ſtabile eſt et firmum. Nam *In*, in ſcripturis ſanctis (ſicut aliis in locis diximus) ſæpe habet vim ſimilitudinis. Nomine etiam Teſtis in hac ſignificatione, vocatur Chriſtus *Apoca.* 3. *c.* Hæc dicit Amen Teſtis fidelis. Et Pater cæleſtis *apud Iſaiam cap.* 55. *a.* promittit ſe miſſurum filium ſuum Meſsiam, quem Teſtem, id eſt, Iudicem, ſiue Principem, ac Regem nominat. Ecce, inquit, Teſtem populis dedi (pro dabo) eum. Sic etiam hoc loco Teſtis pro Iudice, id eſt, pro Principe et Rege appellatur. Fidele vero quia idem eſt quod firmum et ſtabile, et ſola æterna firma ſunt (quia non ſunt mutabilia, nec temporum lapſu corrumpuntur, nec tempori ſubiacent) fidele pro æterno poſitum eſt. Itaque Teſtis fidelis idem eſt quod Rex ęternus. Sic Dominus *apud Malachiam cap.* 3. *b.* Incommutabilem ſe vocat, cum dicere vellet æternum. Ego (inquit) Dominus, et non mutor, ſiue qui non mutor: Ego Deus incommutabilis, hoc eſt, æternus, Teſtis fidelis, Rex ſtabilis, et Rex æternus; cuius regnum firmiſſimum eſt, et in perpetuum duraturum, iuxta illud *Lucæ* 1. *d.* Regnabit in domo Iacob in æternum, et regni eius non erit finis. Et *Apoca.* 3. *c.* vocatur Chriſtus Teſtis fidelis, et verus. Et *Daniel.* 9. *f.* vocatur Iuſtitia

ſem-

ſempiterna, quaſi dicas Iudex (id eſt Princeps) ſempiternus. Nam Denominatio ponitur pro Denominato, more Hebræo; Iuſtitia pro Iuſto, vel Iudice. Vocem Teſtis explicant quæ ſequuntur, dum idem appellatur, Primogenitus, et Princeps Regum terræ. Nam Primogenitus idem ſonat quod Princeps et Rex. Apud veteres enim Hebræos, temporibus Sanctorum Patriarcharum Abrahæ, Iſaac, et Iacob, filium primogenitum contingebat, præter alia, imperium in fratres, quod vocabant Regnum. Primogenito parebant reliqui fratres, illi deferebant honorem. Hinc Iacob *Gene.* 49. *b.* alloquens filium ſuum Iudam, cui ius primogeniti ceſsit, ablatum Rubeno propter concubitum cum Bala, ait: Adorabunt te filii patris tui. Hinc ergo factum eſt, vt Primogenitus interdum ſonet idem quod Princeps et Rex. Hinc Apoſtolus *ad Colo.* 1. *c.* Chriſtum Ieſum vocat Primogenitum omnis creaturæ, id eſt, Principem omnium creaturarum, ſiue Regem omnium gentium. Et paulo poſt, eum vocat Primogenitum ex mortuis, id eſt, Regem mortuorum, ſiue mortalium; Regem omnium hominum, ſiue omnium gentium. Mortui vero nonnumquam pro mortalibus appellantur (vt ego exiſtimo) id eſt, pro hominibus, ſiue gentibus, vt *ad Colo.* 1. *c.* (vt modo adduximus circa vocem Primogenitus) Chriſtus Ieſus vocatur Primogenitus ex mortuis, id eſt,

Princeps ac Rex mortuorum, ſiue omnium hominum, vel omnium gentium. Sic idem Apoſtolus 1. *Corint.* 15. *c.* Chriſtum vocat Primitias dormientium. Nam quia aliquando Dormire Hebræis eſt mori: vt 1. *ad Theſſa.* 4. *c. d.* Dormientes dixit pro mortuis, id eſt, mortalibus, ſiue hominibus, vel gentibus. Et idem Apoſtolus *ad Hebr.* 7. *b.* Morientes dixit pro mortalibus. Itaque beatus Ioannes Apoſtolus Chriſtum Ieſum Saluatorem mundi vocat Teſtem fidelem, ſiue iudicem ſtabilem, hoc eſt Regem æternum; Primogenitum mortuorum, ſiue Regem mortalium, omnium hominum, ſiue omnium gentium: et Principem Regum terræ, ſiue Regem omnium Regum orbis.

IN-

INDEX CAPITVM
HVIVS CENTVRIAE.

CAPVT PRIMVM.

Tenebræ erant ſuper faciem abyſsi, & ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas. Geneſ. 1. a. pagina 1.

CAPVT II.

Poſuit eum in paradiſum voluptatis, vt operaretur & cuſtodiret illum. Geneſ. 2. c. pag. 6.

CAPVT III.

Tulit vnam de coſtis eius; & repleuit carnem pro ea. Geneſ. 2. d. pag. 9.

CAPVT IIII.

Quare iratus es? & cur concidit facies tua? nonne ſi bene egeris, recipies? ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit? ſed ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Geneſ. 4. b. pag. 11.

CAPVT V.

Hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum ſunt. et quocumque perrexeris, memento te reprehenſam. Geneſ. 20. d. pag. 17.

CAPVT VI.

Abſque me Deus reſpondebit proſpera Pharaoni. Geneſ. 41. b. pag. 20.

CAPVT VII.

Scyphus quem furati eſtis, ipſe eſt in quo bibit Dominus meus, et in quo augurari ſolet. Geneſ. 44. a.

ET

An ignoratis quod non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia? Eodem cap. d. pag. 23.

CAPVT VIII.

Filii quoq. Machir, filii Manaſſe nati ſunt in genibus Ioſeph. Geneſ. 50. d. pag. 26.

CAPVT IX.

Inueniſti gratiã coram me, & te ipſum noui ex nomine. qui ait, oſtende mihi gloriam tuam. Reſpondit, ego oſtendam omne bonum tibi, & vocabo in nomine Domini coram te, et miſerebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit. Exod. 33. d. pag. 30.

CAP.

CAPVT X.

Uxor in domo viri cum ſe voto conſtrinxerit, & iuramento: ſi audierit vir, & tacuerit, nec contradixerit ſponſioni; reddet quodcumq. promiſerat.
E T
Si nouerit, & iuramento ſe conſtrixerit &c. ſin autem cõtradixerit poſtquam reſciuit, portabit ipſe iniquitatem eius. Num. 30. c. pag. 34.

CAPVT XI.

Conſiderabo nouiſſima eorum. Deut. 32. c. pag. 38.

CAPVT XII.

Non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos, & claudos. 2. Reg. 5. b.
ET paulo poſt eodem capite.
Idcirco dicitur in prouerbio, Cæcus, & claudus non intrabunt in templum. pag. 41.

CAPVT XIII.

Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima ſua. Iob. 2. b.
E T
De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Ioan. 1. b. pag. 43.

CAPVT XIIII.

Reſtituetur vt lutum ſignaculum, & ſtabit ſicut veſtimentum. Iob 38. b. pag. 50.

CAPVT XV.

Magnificans ſalutes Regis eius, & faciens miſericordiam Chriſto ſuo David, & ſemini eius vſque in ſaeculum. Pſal. 17. e.

ET

Sicut locutus eſt ad patres noſtros Abraham, & ſemini eius in ſaecula. Lucæ 1. e. pag. 54.

CAPVT XVI.

Filii autem hominum, in tegmine alarum tuarum ſperabunt.

Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.

Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Pſal. 35. b. pag. 61.

CAPVT XVII.

Ne ſileas, quoniam aduena ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes patres mei. Pſal. 38. c. pag. 70.

CAPVT XVIII.

Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime.

Spe-

Specie tua, et pulchritudine tua intende proſpere, procede et regna.
Propter veritatem, et manſuetudinem, et iuſtitiam, et deducet te mirabiliter dextera tua.
Pſal. 44. a. pag. 72.

CAPVT XIX.

Circumdate Sion, & complectimini eam, narrate in turribus eius.
Ponite corda veſtra in virtute eius, & diſtribuite domos eius, vt enarretis in progenie altera.
Quoniam hic eſt Deus Deus noſter in æternum, ipſe reget nos in ſæcula. Pſal. 47. pag. 77.

CAPVT XX.

Vt quid auertis manum tuam, et dexteram tuam de medio ſinu tuo in finem? Pſal. 73. pag. 81.

CAPVT XXI.

Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis in menſura? Pſal. 79. a.

ET

In menſura contra menſuram cum abiecta fuerit, iudicabis eam. Iſa. 27. b. pag. 85.

CAPVT XXII.

Fundamenta eius in montibus ſanctis: diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob.
Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei.
Memor ero Raab, et Babylonis ſcientium me.
Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Aethiopum, hi fuerunt illic.
Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus eſt in ea: et ipſe fundauit eam altiſſimus?
Dominus narrabit in ſcripturis populorum et principum: horum, qui fuerunt in ea.
Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.
Pſal. 86. pag. 89.

CAPVT XXIII.

Si oblitus fuero tui Ieruſalem, obliuioni detur dextera mea.
Adhæreat lingua mea faucibus meis: ſi non meminero tui.
Si non propoſuero Ieruſalem in principio lætitiæ meæ.
Pſal. 136. pag. 101.

CAPVT XXIIII.

Non enim impiſſibilis erat manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuiſa.
Sapient. 11. *c.* pag. 106.

HVIVS CENTVRIAE.

CAPVT XXV.

Et ſicut nebula texi omnem terram.
Eccleſiaſtici 24. a. pag. 111.

CAPVT XXVI.

Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et eleuabitur ſuper colles, et fluent ad eum omnes gentes. Iſa. 2. a. pag. 114.

CAPVT XXVII.

Propterea dilatauit infernus animam ſuam, et aperuit os ſuum abſq. vllo termino. Iſai. 5. c.

E T

Qui dilatauit quaſi infernus animam ſuam, et ipſe quaſi mors, et non adimpletur: et congregabit ad ſe omnes gentes, et coacerbabit ad ſe omnes populos.
Haba. 2. a. pag. 118.

CAPVT XXVIII.

Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem: et ſubtus gloriam eius ſuccenſa ardebit quaſi combuſtio ignis. Et erit lumen Iſrael in ignem, et ſanctus eius in flammam; et ſuccendetur ſpina eius, et vepres in die vna, et gloria ſaltus eius, et Carmeli eius ab anima vſq. ad carnem conſu-

metur,

metur, & erit terrore profugus. Et reliquiæ ligni ſaltus eius præ paucitate numerabuntur, & puer ſcribet eos. Iſa. 10.d. pag. 121.

CAPVT XXIX.

Non ſecundum viſionem oculorum iudicabit, nec ſecundum auditum aurium arguet. ſed iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ. Et percutiet terram virga oris ſui, et ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.
Iſa. 11. a. pag. 128.

CAPVT XXX.

Repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operientis. Iſa. 11. b.

ET

Quia replebitur terra, vt cognoſcant gloriam Domini, quaſi aquæ operientes mare. Haba. 2. c. pag. 138.

CAPVT XXXI.

Errare fecerunt Ægyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius, et vomens. Et non erit Ægypto opus, quod faciat caput et caudam incuruantem, et refrenantem.
Iſa. 19. c. pag. 148.

CAPVT XXXII.

In die illa erunt quinque ciuitates in terra Ægypti loquentes lingua Chanaan, et iurantes per Dominum exer-

exercituum: ciuitas Solis vocabitur vna. Iſa. 19. c. pag. 151.

CAPVT XXXIII.

In die illa erit Iſrael tertius Aegyptio & Aſſyrio, benedictio in medio terræ, cui benedixit Dominus exercituum dicens Benedictus populus meus Aegyptius, & opus manuum mearum Aſſyrius, hereditas autem mea Iſrael. Iſa. 19. d. pag. 156.

CAPVT XXXIIII.

Et erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis. Iſa. 30. e.

ET

Quis ſcit ſi conuertatur, & ignoſcat, & relinquat poſt ſe benedictionem? Ioelis 2. d. pag. 164.

CAPVT XXXV.

Et erit lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum, in die qua alligauerit Dominus vulnus populi ſui, & percuſſuram plagæ eius ſanauerit. Iſa. 30. f pag. 169.

CAPVT XXXVII.

Et extendetur ſuper eam menſura, vt redigatur ad nihilum,

lum,

lum, & perpendiculum in deſolationem.
Iſaia 34. c. pag. 171.

CAPVT XXXVII.

Super montem excelſum aſcende tu, quæ euangelizas Sion. Exalta in fortitudine vocem tuam, quæ euangelizas Ieruſalem. Exalta, noli timere. Dic ciuitatibus Iuda, Ecce Deus veſter. Iſa. 40. b. pag. 176.

CAPVT XXXVIII.

Quis ſuſcitauit ab Oriente iuſtum, vocauit eum vt ſequeretur ſe? dabit in conſpectu eius gentes, & Reges obtinebit: dabit quaſi puluerem gladio eius, ſicut ſtipulam vento raptam arcui eius. Perſequetur eos, tranſibit in pace, ſemita in pedibus eius non apparebit. Quis hæc operatus eſt, et fecit, vocans generationes ab exordio? Iſaia 41. a. pag. 178.

CAPVT XXXIX.

Rorate Cæli deſuper, et nubes pluant Iuſtum: aperiatur terra, et germinet Saluatorem: et iuſtitia oriatur ſimul. Ego Dominus creaui eum. Iſaia 45. a. pag. 185.

CAPVT XL.

Ecce, in manibus meis deſcripſi te, muri tui coram oculis meis ſemper. Venerunt ſtructores tui: deſtruentes te, et diſ-

et diſſipantes a te exibunt. Iſaiæ 49. d. pag. 190.

CAPVT XLI.

Quam pulchri ſuper montes pedes annunciantis et prædicantis pacem: annunciantis bonum, prædicantis ſalutem. Iſa. 52. b. pag. 195.

CAPVT XLII.

Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec ſplendor Lunæ illuminabit te: ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet vltra Sol tuus, et Luna tua non minuetur. Iſaiæ 60. d. pag. 200.

CAPVT XLIII.

Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui gradi.tur via non bona, poſt cogitationes ſuas: populus qui ad iracundiam prouocat me, ante faciem meam ſemper; qui immolant in hortis, et ſacrificant ſuper lateres, qui habitant in ſepulchris, et in delubris Idolorum dormiunt. Iſa. 65. a. pag. 205.

CAPVT XLIIII.

Non erit ibi amplius infans dierum, et ſenex qui non impleat dies ſuos: quoniam puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit. Iſaiæ 65. c pag. 208.

CA-

CAPVT XLV.

Onager aſſuetus in ſolitudine, in deſiderio animæ ſuæ attraxit ventum amoris ſui: nullus auertet eam; Omnes qui quærunt eam, non deficient: in menſtruis eius inuenient eam. Iere. 2.e. pag. 211.

CAPVT XLVI.

Probatorem dedi te in populo meo robuſtum: et ſcies, et probabis vias eorum. Omnes iſti Principes declinantes, ambulantes fraudulenter, æs et ferrum, vniuerſi corrupti ſunt. Defecit ſufflatorium, in igne conſumptum eſt plumbum, fruſtra conflauit conflator: malitiæ enim eorum non ſunt conſumptæ. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos. Iere. 6.g. pag. 217.

CAPVT XLVII.

Si conuerteris, conuertam te, et ante faciem meam ſtabis: et ſi ſeparaueris pretioſum a vili, quaſi os meum eris. Iere. 15.d. pag. 223.

CAPVT XLVIII.

Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in vngue adamantino, exaratum ſuper latitudinem cordis eorum, et in cornibus ararum eorum. Iere. 17.a. pag. 227.

CA-

CAPVT XLIX.

Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum; & regnabit Rex, & ſapiens erit; & faciet iudicium & iuſtitiam in terra.
Iere. 23. *a.* pag. 231.

CAPVT L.

Quæretur iniquitas Iſrael, & non erit; & peccatum Iuda, & non inuenietur. Iere. 50. *d.*

E T

Contere brachium peccatoris et maligni: quæretur peccatum illius, & non inuenietur.
Pſal. 9. *d.* pag. 236.

CAPVT LI.

Et fornicata es cum filiis Aegypti vicinis tuis magnarum carnium. Ezechi. 16. *c.* pag. 240.

CAPVT LII.

Et bibes illum; & potabis vſq. ad fæces; & fragmenta eius deuorabis, & vbera tua lacerabis.
Eze. 23. *e.* pag. 242.

CAPVT LIII.

In loco vbi dicetur eis, Non populus meus vos: dicetur eis, Filii Dei viuentis. Oſeæ 1. *d.* pag. 244.

CAPVT LIIII.

Ideo fornicabuntur filiæ veſtra, & ſponſæ veſtræ adulteræ erunt. Non viſitabo ſuper filias veſtras, cum fuerint fornicatæ: et ſuper ſponſas veſtras, cum adulterauerint. Oſea 4. c. pag. 246.

CAPVT LV.

Separatum eſt conuiuium eorum, fornicatione fornicati ſunt, dilexerunt afferre ignominiam proiectores eius. Ligauit eum ſpiritus in alis ſuis, et confundentur a ſacrificiis ſuis. Oſea 4. d. pag. 249.

CAPVT LVI.

Noli lætari Iſrael, noli exultare ſicut populi: quia fornicatus es a Deo tuo, dilexiſti mercedem ſuper omnes areas tritici. Oſea 9. a. pag. 254.

CAPVT LVII.

Non libabunt Domino vinum, & non placebunt ei: ſacrificia eorum quaſi panis lugentium. Omnes qui comedent eum, contaminabuntur: quia panis eorum animæ ipſorum, non intrabit in domum Domini. Oſea 9. a. pag. 258.

HVIVS CENTVRIAE.

CAPVT LVIII.

Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem: & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ: ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, et iuuenes veſtri viſiones videbunt. Sed et ſuper ſeruos meos, et ancillas in diebus illis effundam ſpiritum meum. Ioe. 2. f. pag. 262.

CAPVT LIX.

Et dabo prodigia in cælo, et in terra, ſanguinem, et ignem, et vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, et luna in ſanguinem: antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Et erit: omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Ioel. ibidem. g. pag. 267.

CAPVT LX.

Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus locutus eſt, quis non prophetabit? Amos 3. b. pag. 274.

CAPVT LXI.

Ecce oculi Domini Dei ſuper regnum peccans, et conteram illud a facie terræ: veruntamem conterens non conteram domum Iacob, dicit Dominus. Ecce enim mandabo ego, et concutiam in omnibus gentibus domum Iſrael, ſicut cõcutitur triticum in cribro: et non cadet lapillus ſuper terram. Amos 9. b. c. pag. 277.

CAPVT LXII.

Omnes mercedes eius comburentur igni, et omnia Idola eius ponam in perditionem: quia de mercedibus meretricis congregata ſunt, et vſque ad mercedem meretricis reuertentur. Michaea 1.b. pag. 283.

CAPVT LXIII.

Egreſſus eius ab initio, a diebus æternitatis. Propter hoc dabit eos vſq. ad tempus, in quo parturiens pariet: et reliquiæ fratrum eius conuertentur ad filios Iſrael. Et ſtabit, et paſcet in fortitudine Domini, in ſublimitate nominis Domini Dei ſui: et conuertentur, quia nunc magnificabitur vſque ad terminos terræ. Et erit iſte pax. Michaea 5.a. pag. 287.

CAPVT LXIIII.

Tunc mutabitur ſpiritus, et pertranſibit; et corruet: hæc eſt fortitudo eius Dei ſui. Numquid non tu a principio Domine Deus meus, Sancte meus, et non moriemur? Domine in iudicium poſuiſti eum; et fortem vt corriperes, fundaſti eum. Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, et reſpicere ad iniquitatem non poteris. Habac. 1.c. pag. 299.

CAPVT LXV.

Totum in hamo ſublenauit, traxit illud in ſagena ſua, & congregauit in rete ſuum. Super hoc lætabitur & exultabit. propterea immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo: quia in ipſis incraſſata eſt pars eius, et cibus eius electus. Propter hoc expandit ſagenam ſuam, & ſemper interficere gentes non ceſſat.

Habac. ibidem 1. *d.* pag. 305.

CAPVT LXVI.

Dominus iuſtus in medio eius non faciet iniquitatem: mane mane iudiciū ſuum dabit in lucem, & non abſcondetur: neſciuit autem iniquus confuſionem.

Sophoniæ 3. *a.* pag. 309.

CAPVT LXVII.

Quia tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & ſeruiant ei humero vno.

Sopho. 3. *b.* pag. 312.

CAPVT LXVIII.

Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam. Et mouebo omnes gentes: et veniet deſideratus cunctis gentibus: et implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum.

Aggæi 2. *b.* pag. 314.

CAPVT LXIX.

Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit: Honora patrem, & matrem. Et, Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri: Munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit: Et non honorificabit patrem ſuum, aut matrem ſuam: Et irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram.
Matth. 15. a. pag. 318.

CAPVT LXX.

Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.
Matth. 16. c. pag. 323.

CAPVT LXXI.

Gloria in altiſſimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Lucæ 2. b. pag. 326.

CAPVT LXXII.

Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace:
Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum,
Quod paraſti ante faciem omnium populorum.
Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael. Lucæ 2. e. pag. 329.

CA-

HVIVS CENTVRIAE.

CAPVT LXXIII.

Nihil tuleritis in via, neque virgam &c. Lucæ 9. a. & Matthæi 10. b. pag. 337.

CAPVT LXXIIII.

Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Ioan. 1. b. pag. 340.

CAPVT LXXV.

Quid ſit Architriclinus, de quo D. Ioannes. cap. 2. a. pag. 344.

CAPVT LXXVI.

Quod natum eſt ex carne, caro eſt: & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Non mireris, quia dixi tibi: Oportet vos naſci denuo. Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quo vadat. Sic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu.

Et quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis. Si terrena dixi vobis &c.

Et nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo. Ioan. 3. a. pag. 348.

CAPVT LXXVII.

Qui autem accepit eius teſtimonium, ſignauit, quia Deus verax eſt. Ioan. 3. d. pag. 370.

CAPVT LXXVIII.

Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri.
Ad Roma. 1. *a.* pag. 373.

CAPVT LXXIX.

Non enim per legem promiſſio Abrahæ, aut ſemini eius, vt heres eſſet mundi. Ad Roma. 4. *c.* pag. 376.

CAPVT LXXX.

Itaque fratres mei et vos mortificati eſtis legi per corpus Chriſti. Ad Roma. 7. *a.* pag. 379.

CAPVT LXXXI.

Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, et de peccato damnauit peccatum in carne, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum. Ad Roma. 8. *a.* pag. 382.

CAPVT LXXXII.

Sapientiam autem loquimur inter perfectos: ſapientiam

vero

vero non huius ſæculi, neque Principum huius ſæculi, qui deſtruuntur: ſed loquimur Dei Sapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt.
1. *Corint.* 2. *b.* pag. 387.

CAPVT LXXXIII.

Deinde finis: cum tradiderit Regnum Deo et Patri, cum euacuauerit omnem principatum, et poteſtatem, et virtutem. Oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius. Nouiſsima autem inimica deſtruetur mors: Omnia enim ſubiecit ſub pedibus eius. 1. *Corin.* 15. *c.* pag. 391.

CAPVT LXXXIIII.

Seminatur corpus animale, Surget corpus ſpiritale. Si eſt corpus animale, eſt et ſpiritale, ſicut ſcriptum eſt: Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem; nouiſsimus Adam in ſpiritum viuificantem. Sed non prius quod ſpiritale eſt, ſed quod animale: deinde quod ſpiritale. Primus homo de terra terrenus: Secundus homo de cælo, cæleſtis. Qualis terrenus, tales et terreni: et qualis cæleſtis, tales et cæleſtes. Igitur ſicut portauimus imaginem terreni: portemus et imaginem cæleſtis. 1. *Corin.* 15. *f.* pag. 397.

CAPVT LXXXV.

Odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco: quia Chriſti bonus odor ſumus Deo in iis, qui ſalui fiunt, & in iis qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem: aliis autem odor vitæ in vitam.
2. Corin. 2. d. pag. 406.

CAPVT LXXXVI.

Dominus autem ſpiritus eſt: Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Nos vero omnes, reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini ſpiritu. 2. Corin. 3. d. pag. 411.

CAPVT LXXXVII.

Itaque nos ex hoc neminem nouimus ſecundum carnem. Et ſi cognouimus ſecundum carnem Chriſtum; ſed nunc iam non nouimus. Si qua ergo in Chriſto noua creatura, vetera tranſierunt: ecce facta ſunt omnia noua. 2. Corin. 5. c. pag. 417.

CAPVT LXXXVIII.

Sina enim mons eſt in Arabia, qui coniunctus eſt ei, quæ nunc eſt Ieruſalem. Ad Gala. 4. d. pag. 420.

CAPVT LXXXIX.

Fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate.

E T

Omnia autem quæ arguuntur, a lumine manifeſtantur: omne enim quod manifeſtatur, lumen eſt.
Ad Epheſios 5. c. pag. 427.

CAPVT XC.

Non eſt nobis luctatio aduerſus carnem & ſanguinem: ſed aduerſus Principes & Poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Ad Epheſi. 6. b. pag. 431.

CAPVT XCI.

Myſterium iam operatur iniquitatis.
2. ad Theſſa. 2. b. pag. 437.

CAPVT XCII.

Impoſſibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, guſtauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſq. ſæculi venturi, & prolapſi ſunt: rurſus renouari ad pænitentiam, rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, et oſtentui habentes.
Ad Hebr. 6. a. pag. 441.

CAPVT XCIII.

Fide Iacob moriens, ſingulos filiorum Ioſeph benedixit: et adorauit faſtigium virgæ eius.
Ad Hebr. 11. *d.* pag. 452.

CAPVT XCIIII.

Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem: maiores diuitias æſtimans theſauro Aegyptiorum, improperium Chriſti.
Ad Hebr. 11. *e.* pag. 456.

CAPVT XCV.

Vnuſquiſque vero tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus et illectus. Deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum conſummatum fuerit, generat mortem.
Ex Epiſto. D. Iacobi cap. 1. *c.* pag. 460.

CAPVT XCVI.

Fratres mei, nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti gloriæ.
Ex Epiſtola D. Iacobi cap. 2. *a.* pag. 464.

CAPVT XCVII.

In quem deſiderant Angeli proſpicere.
1. *Petri* 1. *c.* pag. 466.

Digitized by Google

CAPVT XCVIII.

In quo et his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca: in qua pauci, id eſt octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam. Quod et vos nunc ſimilis formæ ſaluos facit baptiſma. 1. *Petri* 3. *d.*

ET

Propter hoc enim et mortuis euangelizatum eſt: vt iudicentur quidem ſecundum homines in carne, viuant autem ſecundum Deum in ſpiritu.
1. *Petri* 4. *b.* pag. 468.

CAPVT XCIX.

Et a ſeptem ſpiritibus qui in conſpectu throni eius ſunt: et a Ieſu Chriſto et c. Apoca. 1. *a.* pag. 476.

CAPVT C.

Qui eſt teſtis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps Regum terræ. Apoca. 1. *b.* pag. 481.

IN.

Digitized by Google

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE, QVAE CITANTVR, EXPLANANTVR, AVT QVOVIS MODO IN HAC CENTVRIA ILLVSTRANTVR.

EX LIBRO GENESIS.

CAP. I.

In principio creauit Deus cælum & terram. pag. 107.
Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. pag. 1. 53. 112.
Et ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas. pag. 4.
Dixitq. Deus fiat lux, & facta eſt lux. pag. 110.

CAP. II.

Poſuit eum in Paradiſo voluptatis, vt operaretur et cuſtodiret illum. pag. 6.
Tulit vnam de coſtis eius: et repleuit carnem pro ea. pa. 9.
Os ex oſſibus meis, et caro de carne mea. pag. 10.
Caro de carne mea. pag. 343.
Generationes appellãtur pro omnibus quæ ſubſiſtunt. pa. 185.
Primus homo de terra formatus eſt. pag. 403.

CAP. III.

Ipſe conteret caput tuum. pag. 58.
Ipſum conteret caput tuum. pag. 288.

CA-

CAP. IIII.

Quare iratus es? et cur concidit facies tua? et c. pag. 11.
Et tu dominaberis illius: et ſub te erit appetitus eius. pa. 17.

CAP. VI.

Populus qui ad iracundiam prouocat me. pag. 206.
Coram Deo viuere. pag. 408.

CAP. XI.

Mortuus eſt Aran ante Thare patrem ſuum. pag. 28. 273.

CAP. XII.

Veni in terram quam monſtrauero tibi. pag. 180.

CAP. XIII.

Terra coram te eſt. pag. 212

CAP. XIIII.

Obtinuit Abraham quatuor illos Reges. pag. 1. 71.
A filo ſubtegminis vſque ad corrigiam caligæ non accipiã ex omnibus quæ tua ſunt. pag. 286.

CAP. XVII.

Ambula coram me. pag. 180.

CAP. XX.

Hoc erit tibi in velamen oculorum. pag. 17. 21.
Terra coram vobis eſt. pag. 21.
Induxiſti ſuper me, et ſuper regnum meum peccatum grande. pag. 458.
Dedi fratri tuo mille argenteos. pag. 18.

CAP. XXVI.

In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. pag. 158.
Induxeras ſuper nos grande peccatum. pag. 458.

CAP. XXX.

Num pro Deo ego ſum? pag. 45.

CAP. XXXIII.

Si inueni gratiam in oculis tuis. pag. 27.

CAP. XLI.

Abſque me Deus reſpondebit proſpera Pharaoni. pag. 20.
Deditq. illi vxorem Aſeneth filiam Putiphare Sacerdotis Heliopoleos pag. 251.

CAP. XLIII.

Ero peccati reus in te. pag. 458.

CAP. XLIIII.

Scyphus quem furati eſtis, ipſe eſt in quo bibit dominus meus. pag. 22.

Peccati reus ero in patrem meum. pag. 458.

An ignoratis, quod non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia? pag. 24.

CAP. XLIX.

In voluntate ſua ſuffoderunt murum. pag. 341.

Adorabunt te filii patris tui. pag. 483.

CAP. L.

Filii quoque Machir filii Manaſſe nati ſunt in genibus Ioſeph. pag. 26.

Deus viſitabit vos, aſportate oſſa mea vobiſcum. pag. 479.

EX LIBRO EXODI.

CAP. IIII.

Erit os tuum, tu autem eris ei in his, quae ad Deum pertinent. pag. 44.

CAP. IX.

Idcirco poſui te, vt oſtendam in te fortitudinem meam. pag. 303.

CAP. X.

Vt narres in auribus filii tui, & nepotum tuorum. pag. 27.

CAP. XV.

Operuit eos mare, ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus. pag. 2.
Extendiſti manum tuam, & deuorabit eos terra. pag. 2.

CAP. XX.

Non occides, non mœchaberis. pag. 36.
Videbat voces, & lampadas, & ſonitum buccinæ. pag. 359.

CAP. XXX.

Dominus propitius ei erit. pag. 35.

CAP. XXXIII.

Inueniſti gratiam coram me, & te ipſum noui ex nomine. pag. 30.
Et vocabo in nomine Domini coram te. pag. 30.
Et miſerebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit. pag. 34.
Oſtende mihi gloriam tuam. pag. 32.

EX LIBRO NVMERI.

CAP. III.

Functiq. ſunt Eleazar, & Ithamar Sacerdotio coram Aaron patre ſuo. pag. 28.

CAP. XII.

Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. pag. 264.

CAP. XXIIII.

Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael, & percutiet duces Moab, vaſtabitq. omnes filios Seth. pag. 133.
De Iacob erit qui dominetur, & perdat reliquias Ciuitatis. ibidem.
Dominus priuauit te honore diſpoſito. pag. 319.
Heu quis victurus eſt, quando ita faciet Deus? pag. 467.

CAP. XXX.

Uxor in domo viri cum ſe voto conſtrinxerit, & iuramento, &c. pag. 35.
Portabit ipſe iniquitatem eius. pag. 36.
Quod ſi audiens vir, tacuerit, & in alterum diem diſtulerit ſententiam &c. pag. 34.
Si autem contradixerit poſtquam reſciuit. ibidem.

EX LIBRO DEVTERONOMII.

CAP. XXV.

Pro menſura peccati erit plagarum modus. pag. 173.

CAP. XXX.

Ingrediente me vobiſcum. pag. 195.
Congregate ad me omnes maiores natu per tribus veſtras, atq. Doctores. pag. 165.

CAP. XXXII.

Concreſcat in pluuiam doctrina mea. pag. 123.
Congregabo nouiſsima eorum. pag. 38.
Utinā ſaperēt, et intelligerēt, ac nouiſsima prouiderēt. pa. 39.
Iudicabit Dominus populum ſuum, & in ſeruis ſuis miſerebitur. pag. 129.
Ubi ſunt dii eorum, de quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum? pag. 250.

EX LIBRO IVDICVM.

CAP. XI.

Mihiq. concurrerit reuertenti cum pace. pag. 182.

EX LIBRO REGVM PRIMO.

CAP. II.

Impii in tenebris conticeſcent. pag. 104.
Ipſi præparantur cogitationes. pag. 331.

CAP. III.

Quod eſſet Samuel fidelis Propheta Domini præ aliis electus. pag. 226.

CA.

CAP. VIII.

Dominus dixit vt habitares in nebula. pag. 377.

CAP. XIIII.

Illuminati ſunt oculi Ionatæ. pag. 19.

CAP. XVIII.

Acceptus erat Dauid in oculis vniuerſi populi. pag. 27.
Prophetabat Saul in medio domus ſuæ. pag. 276.

CAP. XXIIII.

Quis enim cum inuenerit inimicum ſuum, dimittet eum in via bona? pag. 144. 433.

CAP. XXVII.

Si inueni gratiam in oculis tuis. pag. 27.
In auribus omnium. pag. 27.

EX LIBRO REGVM SECVNDO.

CAP. V.

Non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos & claudos. Id circo dicitur in prouerbio, Cæcus & claudus non intrabunt in templum. pag. 41.

CAP. XVIII.

Quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te? pag. 44.

EX LIBRO REGVM TERTIO.

CAP. VIII.

Dominus dixit vt habitaret in nebula. pag. 377.

CAP. XIIII.

Claudere ora laudantium Dominum. pag. 105.

CAP. XV.

Excepto ſermone Vriæ. pag. 13. 238. 327. 465.

EX LIBRO REGVM QVARTO.

CAP. XXI.

Extendam ſuper Ieruſalem funiculum Samariæ, & pondus domus Achab, et delebo Ieruſalem. pag. 172.

EX LIBRO PARALIPOMEN. I.

CAP. XXIIII.

Mortui ſunt Nadab & Abiu ante patrem ſuum. pag. 28.

EX LIBRO IOB.

CAP. I.

Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. pag. 16.

CA-

Digitized by Google

CAP. II.

Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima ſua. pag. 43.

CAP. IIII.

Venit ſuper te plaga, & defeciſti. pag. 112.

CAP. V.

Iniquitas autem contrahet os ſuum. pag. 103.
Cum lapidibus regionum pactum tuum. pag. 281.

CAP. VII.

Quid faciam tibi, o cuſtos hominum? pag. 8.

CAP. X.

Ut quæras iniquitatem meam, & peccatum meum ſcruteris. pag. 219.

CAP. XXV.

Ecce luna non ſplendet, & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius. pag 202.

CAP. XXVI.

Qui tenet vultum ſolii ſui, & expandit ſuper illud nebulam ſuam. pag. 123.

CAP. XXXVIII.

Quis poſuit menſuram eius, ſi noſti? vel quis tetendit ſuper eam lineam? pag. 174.
Vbi eras cum me laudarent ſimul aſtra matutina? pag. 53.
Quis concluſit oſtiis mare? pag. 52.
Vbi eras, cum ponerem nubem veſtimentum eius? pag. 2.
Vbi eras, cum ponerem nubem veſtimentum maris? pag. 53.
Cum ponerem nubem veſtimentum eius? pag. 114.
Numquid poſt ortum tuum præcepiſti diluculo, & oſtendiſti auroræ locum ſuum? pag. 50.
Et tenuiſti concutiens extrema terræ. ibidem.
Et excuſſiſti impios ex ea. ibidem.
Reſtituetur vt lutum ſignaculum, & ſtabit ſicut veſtimentum. pag. 50.

EX LIBRO PSALMORVM.

PSALM. II.

Dabo tibi gentes hereditatem tuam. pag. 133.
Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos. ibidem.

PSALM. III.

Tu autem Domine ſuceptor meus es, gloria mea. pag. 335.

Digitized by Google

PSALM. IIII.

Ut quid diligitis vanitatem? pag. 82.

PSALM. V.

Scuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos. pag. 328.

PSALM. VII.

Si eſt iniquitas in manibus meis. pag. 27.
Gloriam meam in puluerem reducat. pag. 181.
Concepit dolorem, et peperit iniquitatem. pag. 461.

PSALM. VIII.

Ex ore infantium & lactentium. pag. 105.

PSALM. IX.

Ut quid Domine receſſiſti longe? pag. 83.
Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ. pag. 212.
Contere brachium peccatoris & maligni: quæretur peccatum illius, & non inuenietur. pag. 236.

PSALM. XI.

Labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt. pag. 47.

PSALM. XIIII.

Qui loquitur veritatem in corde ſuo. pag. 276.

PSALM. XVII.

Circundederunt me dolores mortis. pag. 326.
Præoccupauerunt me laquei mortis. ibidem.
Fundamenta montium conturbata ſunt. pag. 280.
Caligo ſub pedibus eius. pag. 28. 74. 184.
Magnificans ſalutes Regis eius, & faciens miſericordiam Chriſto ſuo Dauid, & ſemini eius vſque in ſaeculum. pag. 55.

PSALM. XVIII.

Cæli enarrant gloriam Dei. pag. 360.
Non ſunt loquelæ, neq. ſermones, quarum non audiantur. pag. 376.

PSALM. XXVI.

Vnam petii a Domino; hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini. pag. 69.

PSALM. XXVII.

Redde retributionem eorum. pag. 70.
Deus meus ne ſileas a me, ne quando taceas a me. pag. 70.

PSALM. XXVIII.

Afferte Domino filii Dei, afferte Domino filios arietum. pag. 251.

PSALM. XXIX.

Conuertiſti planctum meum in gaudium mihi. pag. 272.

PSALM. XXXII.

Beata gens, cuius eſt Dominus Deus eius: populus quem elegit in hereditatem ſibi. pag. 100. 160.

PSALM. XXXIII.

Inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono. pag. 62.

PSALM. XXXIIII.

Expugna impugnantes me, apprehende arma & ſcutum, & exurge in adiutorium nobis. pag. 84.

Uidiſti Domine, ne ſileas. pag. 70.

PSALM. XXXV.

Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt. pag. 61.

Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ. pag. 61. 100.

Quoniam apud te eſt fons vitæ. pag. 61.

Homines & iumenta ſaluabis Domine. pag. 63.

Digitized by Google

PSALM. XXXVI.

Non eſt inuentus locus eius. pag. 237.

PSALM. XXXVII.

Ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus. pag. 21.

PSALM. XXXVIII.

Verũtamen vniuerſa vanitas omnis homo viuẽs. pa. 305. 125.
Non aperui os meum, quoniam tu feciſti. pag. 103.
Tabeſcere feciſti ſicut araneam animam eius. pa. 120. 125.
Ne ſileas, quoniam aduena ego ſum apud te, & peregrinus. pag. 70.

PSALM. XXXIX.

Expectans expectaui Dominum. pag. 279.
Immiſit in os meum canticum nouum. pag. 105.
Non potui vt viderem. pag. 19.

PSALM. XL.

Inimici mei dixerunt mala mihi. pag. 56.

PSALM. XLI.

Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei? pag. 69.
Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. pag. 86.

Digitized by Google

PSALM. XLIIII.

Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, & c. pag. 73.
Specie tua & pulchritudine tua intende, & c. pag. 72.
Propter veritatem, & manſuetudinē, & iuſtitiam. ibidem.
agittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent. pag. 133.
Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus. pag. 245.
Adducentur in templum Regis. pag. 42.

PSALM. XLV.

Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. pag. 64:
Dedit vocem ſuam, & mota eſt terra. pag. 315.

PSALM. XLVI.

Regnabit Deus ſuper gentes. pag. 163.

PSALM. XLVII.

Circundate Sion, & complectimini eam, narrate in turribus eius. pag. 77. 97.
Ponite corda veſtra in virtute eius, & diſtribuite, et c. pa. 77.
Quoniam hic eſt Deus Deus noſter, ipſe reget nos. ibidem.

PSALM. XLVIII.

Qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine diuitiarum. pag. 447.

Digitized by Google

PSALM. XLIX.

Deus manifeſte veniet. pag. 273.

PSALM. L.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. pag. 342.
Libera me de ſanguinibus. pag. 215.
Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion. pag. 328.

PSALM. LIIII.

Viri ſanguinum et doloſi, non dimidiabunt dies ſuos. pag. 210.

PSALM. LVI.

Foderunt ante faciem meam foueam. pag. 332.

PSALM. LVII.

Deus conteret dentes eorum. pag. 131.
Sicut viuentes, ſic in ira abſorbet eos. pag. 141.
Pedes ſuos lauabit in ſanguine peccatoris. pag. 200.

PSALM. LXII.

Sitiuit in te anima mea; quam multipliciter tibi caro mea. pag. 69.
Quoniam apud te eſt fons vitæ. pag. 69.
Obſtructum eſt os loquentium iniqua. pag. 103.

PSALM. LXIIII.

Ad te omnis caro veniet. pag. 263.
Verba iniquorum praualuerunt ſuper nos. pag. 131.
Replebimur in bonis domus tuae. pag. 63.67.
Flumen Dei repletum eſt aquis. pag. 64.

PSALM. LXV.

Qui conuertit mare in aridam. pag. 270.272.
Offeram tibi boues cum hircis. pag. 150.

PSALM. LXVII.

Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus. pag. 81.
In eccleſiis benedicite Deo Domino de fontibus Iſrael. pa. 67.

PSALM. LXVIII.

Intrauerunt aquae vſq. ad animam meam. pag. 146.
Tu ſcis improperium meum, et confuſionem meam. pa. 21.
In conſpectu tuo ſunt omnes qui tribulant me. ibidem.
Non intrent in iuſtitiam tuam. pag. 42.
Deleantur de libro viuentium. pag. 128.

PSALM. LXX.

Donec anunciem brachium tuum generationi omni quae ventura eſt. pag. 100.

PSAL.

PSALM. LXXI.

Permanebit cum Sole, et ante Lunam. pag. 29.
Ante Lunam. pag. 237.
Orietur in diebus eius iuſtitia, et abundantia pacis. pa. 298.
Dominabitur a mari vſq. ad mare. pag. 284. 298.
Omnes gentes ſeruient ei. pag. 195.
Liberabit pauperem a potente. pag. 129. 136.
Et erit firmamentum in terra, in ſummis montium. pa. 188.

PSALM. LXXII.

Cum hominibus non flagellabuntur. pag. 240.
Zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns. pag. 333.
Hoc labor eſt ante me. pag. 332.

PSALM. LXXIII.

Ut quid Deus repuliſti nos? pag. 82.
In quo habitaſti in eo. pag. 245.
Ut quid auertis manum tuam, et dexteram tuam de medio ſinu tuo in finem? pag. 81.

PSALM. LXXIIII.

Liquefacta eſt terra, et omnes qui habitant in ea. pa. 453.
Ego confirmaui columnas eius. pag. 281.

PSALM. LXXV.

Dormierunt ſomnum ſuum. pag. 40.

PSAL.

PSAL. LXXVII.

Filii Ephren intendentes et mittentes arcum. pag. 285.
Occidit pingues eorum. pag. 122.
Spiritus vadens & non rediens. pag. 434.
Percuſſit primogenita Aegypti ab homine vſq. ad pecus. pag. 126.

PSALM. LXXVIII.

Poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam. pag. 123.
Innoteſcat in nationibus coram oculis noſtris vltio ſanguinis ſeruorum tuorum, qui effuſus eſt. pag. 29.

PSALM. LXXIX.

Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in menſura? pag. 86. 173.

PSALM. LXXXI.

Ideo mouebuntur omnia fundamenta terræ. pag. 315.

PSALM. LXXXII.

Diſperdamus eos de gente in gentem. pag. 194. 285.

PSALM. LXX XIIII.

Veruntamen prope timentes eum Salutare ipſius. pa. 335.
Veritas de terra orta eſt, et iuſtitia de cælo proſpexit. pag. 188.

PSALM. LXXXVI.

Fundamenta eius in montibus ſanctis, diligit Dominus portas Sion & c. per totum. pag. 89.

PSALM. LXXXVII.

Vt quid Domine repellis orationem meam? pag. 82.

PSALM. LXXXVIII.

Teſtis in Cælo fidelis. pag. 481.
Tu vero repuliſti, & deſpexiſti, diſtuliſti Chriſtum tuum. pag. 459.
Vſque quo Domine auertis in finem? pag. 82. 84.
Exprobauerunt commutationem Chriſti tui. pag. 459.

PSALM. XC.

Sub pennis eius ſperabis. pag. 64.
Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis. pag. 83.

PSALM. XCI.

Bonum eſt ad annunciandum miſericordiam tuam. pa. 201.

PSALM. XCII.

Mirabiles elationis maris, mirabilis in altis Dominus. pag. 3. 142.

PSALM. XCV.

Exultet terra, commoueatur mare, & plenitudo eius. pag. 3. 142.

PSALM. XCVII.

In conſpectu gentiũ reuelauit iuſtitiã ſuam. pa. 331. 334.
Moueatur mare, & plenitudo eius, orbis terrarum, & qui habitant in eo. pag. 3. 142.

PSALM. XCVIII.

Iudicium & iuſtitiam in Iacob tu feciſti. pag. 235.

PSALM. CII.

Spiritus pertranſibit in illo. pag. 112.
Et non cognoſcet amplius locum ſuum. pag. 471.

PSALM. CIII.

Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius. pag. 52.
Orietur Sol, & congregati ſunt. pag. 112.
Auferes ſpiritum eorum, & deficient. pag. 112.

PSALM. CIIII.

Memor fuit in ſæculum teſtamenti ſui, verbi quod mandauit, in mille generationes. pag. 60.
Pertranſibit de gente in gentem. pag. 126.

PSALM. CV.

Peccauimus cum patribus noſtris. pag. 240.
Comederunt ſacrificia mortuorum. pag. 207. 250.

PSALM. CVI.

Omnis iniquitas oppilabit os ſuum. pag. 103.

PSALM. CVII.

Cantabo & pſallam in gloria mea. pag. 335.

PSALM. CIX.

Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. pag. 193.
Dominus a dextris tuis confregit in die iræ ſuæ Reges. pa. 132.
Iudicabit in nationibus, implebit ruinas. pag. 132.

PSALM CX.

Teſtamentum in ſæculum. pag. 58.
Initium Sapientiæ timor Domini. pag. 196.

PSALM. CXI.

Cornu eius exaltabitur in gloria. pag. 335.

PSALM. CXII.

Ut collocet eum cũ principibus, cũ principibus populi ſui. pag. 47.

PSALM. CXIII.

Qui conuertit petram in ſtagna aquarum. pag. 272.
Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. pag. 451.
Similes illis fiant qui faciunt ea. pag. 150.

PSALM. CXIIII.

Dolores mortis, & pericula inferni. pag. 326.

PSALM. CXV.

Calicem ſalutaris accipiam. pag. 213.

PSALM. CXVII.

Caſtigans caſtigauit me. pag. 279.
Lapidem quem reprobauerunt ædificantes. pag. 281.
A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. pag. 29.

PSALM. CXVIII.

Anima mea in manibus meis ſemper. pag. 27.
Os meum aperui, & attraxi ſpiritum. pag. 214.
Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum. pag. 303.

PSALM. CXX.

Per diem Sol non vret te. pag. 201.

Digitized by Google

PSALM. CXXI.

Illuc enim aſcenderunt tribus tribus Domini. pag. 47.

PSALM. CXXIII.

Niſi quia Dominus erat in nobis. pag. 146.
Forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem. pag. 146.

PSALM. CXXV.

Facti ſumus ſicut conſolati. pag. 140.

PSALM. CXXIX.

Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? pag. 86.
Et copioſa apud eum redemptio. pag. 49.

PSALM. CXXXI.

Non auertas faciem Chriſti tui. pag. 459.
Paraui lucernam Chriſto meo. ibidem.

PSALM. CXXXIIII.

Iuſtitia pro vindicta. pag. 129.
Iudicabit Dominus populum ſuum. pag. 136.
Similes illis fiant qui faciunt ea. pag. 150.

PSAL.

PSALM. CXXXVI.

Si oblitus fuero tui Ieruſalem, obliuioni detur dextera mea. pag. 101.
Adhæreat lingua mea faucibus meis: ſi non meminero tui. ibidem.
Si non propoſuero Ieruſalē in principio lætitiæ meæ. ibidem.

PSALM. CXLI.

Conſiderabam ad dexteram. pag. 83.

PSALM. CXLIII.

Eructantia ex hoc in illud. pag. 126.
Oues eorum fœtoſæ abundantes in egreſſibus ſuis. pag. 287.
Beatus populus, cuius Dominus Deus eius. pag. 100.

PSALM. CXLIIII.

Tu das eſcam illorum. pag. 40.
Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. pag. 206.

PSALM. CXLV.

Exibit ſpiritus eius, & reuertetur in terram ſuam. pa. 112.

PSALM. CXLIX.

Exaltauit manſuetos in ſalutem. pag. 136.

PSALM. CL.

Omnis ſpiritus laudet Dominum. pag. 434.

EX LIBRO PROVERBIORVM.

CAP. V.

Ne forte impleantur extranei viribus tuis. pag. 447.

CAP. XIIII.

Miſericordia & veritas præparant bona. pag. 115.

CAP. XXI.

Lucerna impiorum peccatum. pag. 12.

CAP. XXX.

Quis aſcendit in cælum, atq. deſcendit. pag. 369.

CAP. XXXI.

Manum ſuam aperuit inopi. pag. 206.

EX LIBRO ECCLESIASTAE.

CAP. I.

Luſtrans vniuerſa in circuitu, pergit ſpiritus. pag. 4.
Spiritus pro Sole accipitur. pag. 352.
Peruerſi difficile corriguntur. pag. 452.

CAP. II.

Cogitaui in corde meo abſtrahere carnẽ meã a vino. pa. 249.

CAP. III.

Ut non inueniat homo opus quod operatus eſt Deus. pa. 359.

EX CANTICIS CANTICORVM.

CAP. I.

Poſuerunt me cuſtodem in vineis. pag. 123.
Si ignoras te, o pulcherrima. pag. 76.

CAP. II.

Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo. pag. 406.

CAP. VIII.

Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatẽ. pa. 146.

EX LIBRO SAPIENTIAE.

CAP. I.

Benignus eſt enim ſpiritus ſapientiæ & non liberabit maledictum a labiis ſuis. pag. 210.

CAP. III.

Spes illorum immortalitate plena eſt. pag. 395.

CAP. X.

Donec afferret illi ſceptrum Regni. pag. 456.
Reddidit iuſtus mercedem laborum ſuorum. pag. 40.
Sapientia aperuit os mutorum. pag. 104.
Linguas infantium fecit diſertas. ibidem.

CAP. XI.

Non enim impoſſibilis erat manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuiſa. pag. 106.

EX LIBRO ECCLESIASTICI.

CAP. XV.

Deus reliquit hominem in manu conſilii ſui. pag. 16.
Aqua ſapientiæ ſalutaris potauit illum. pag. 140.

CAP. XXIIII.

Ego feci in cælis vt oriretur lumen indeficiens. pag. 7.
Sicut nebula texi omnem terram. pag. 2. 5.

CAP. XXXI.

Qui poſt aurum non abiit. pag. 167.

CAP. XXXIIII.

Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum. pag. 261.

Digitized by Google

CAP. XLIX.

Oſſa ipſius viſitata ſunt, & poſt mortem prophetaue-runt. pag. 478.

EX ISAIA PROPHETA.

CAP. I.

Regionem veſtram coram vobis alieni deuorant. pag. 29.
Deſolabitur ſicut vaſtitate hoſtili. pag. 457.
Filii hominum. pag. 65.

CAP. II.

Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons, & c. pag. 114. & 117. 178.
Fluent ad eum omnes gentes. pag. 94.
De Sion exibit lex & verbum Domini de Ieruſalem. pa. 22.
Ambulemus in lumine Domini. pag. 67.

CAP. III.

Agnitio vultus eorum reſpondit eis. pag. 40.

CAP. V.

In auribus meis ſunt hæc. pag. 37.
Propterea dilatauit infernus animã ſuam, & c. pag. 118.

CA-

CAP. VI.

Excæca cor populi huius. pag. 224
Terra relinquetur deſerta &c. pag. 178.

CAP. VII.

Butyrum & mel comedet. pag. 146.
Vt ſciat reprobare malum. pag. 174. 313.

CAP. VIII.

Congregamini & vincimini; accingite vos, &c. pag. 81.

CAP. IX.

Pater futuri ſæculi. pag. 447.
Princeps pacis. pag. 298.
Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. ibidem.
Veprem & ſpinam vorabit. pag. 124.
Conuoluetur in ſuperbia fumi. pag. 269.

CAP. X.

Et erit cũ impleuerit Dominus cuncta peccata ſua. pa. 305.
Propter hoc mittet dominator Dñs exercituum. pag. 121.
Erit lumen Iſrael in ignem. pag. 333.
Ab anima vſq. ad carnem conſumetur. pag. 119.
Leuabit Dominus virgam ſuam ſuper mare. pag. 147.

Digitized by Google

CAP. XI.

Non ſecundum viſionē oculorum iudicabit. pag. 128.278.
Sicut aqua maris operientis. pag. 315.
Repleta eſt terra ſcientia Domini. pag. 138.

CAP. XIII.

Super montem caliginoſum leua ſignum. pag. 177.
Regnum Babyloniorum montem vocat. pag. 177.
Babylon in ſuperbia Chaldaeorum. pag. 122.

CAP. XV.

Pretioſum a vili. pag. 126.

CAP. XVII.

Pinguedo carnis eius marceſcet. pag. 122.

CAP. XIX.

Stulti Principes Taneos, Sapientes conſiliarij Pharaonis. pag. 388.
Errare fecerunt Aegyptum in omni opere ſuo &c. pa. 148.
Latrabit Aſſyrius in Aegyptum. pag. 194.

CAP. XXI.

Dicet habitator inſulae huius. pag. 142.
In die illa erunt quinque ciuitates, &c. pag. 151.
In die illa erit Iſrael tertius Aegyptio. pag. 156.

CAP.

CAP. XXIII.

In obliuione eris o Tyre. pag. 102.

CAP. XXVI.

Nomen tuum in deſiderio animæ. pag. 116.
Ideo ſalutes non fecimus, ideo non ceciderunt habitatores terræ. pag. 256.

CAP. XXVII.

In menſura contra menſuram cum abiecta fuerit, iudicabis eam. pag. 87.

CAP. XXVIII.

Ponam in pondere iudicium, & iuſtitiam in menſura. pag. 87. 173.
Ut faciant opus ſuum. pag. 161.
Diei appellatione Sacri Scriptores intelligunt Principes. pag. 311.

CAP. XXIX.

Eritq. repente confeſtim. pag. 13.
Auerſi ſumus ne iremus poſt tergum Dei noſtri. pag. 167.

CAP. XXX.

Os meum non interrogaſtis. pag. 226.
Et dabit vobis Dñs panẽ arctũ, & aquam breuem. pa. 86.
Non faciet euolare a te Doctorem tuum. pag. 165.
Et erunt oculi tui videntes præceptorẽ tuum, &c. pag. 163.
Et erit lux Lunæ, ſicut lux Solis, &c. pag. 169.

CAP. XXXI.

Sapiens adduxit malum, & c. pag. 234.
Equi eorum caro & non ſpiritus. pag. 125.

CAP. XXXII.

Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas. pag. 64.

CAP. XXXIII.

A voce Angeli fugerunt populi. pag. 127.
Angeli pacis amare flebunt. pag. 466.
Quis poterit habitare de vobiscum igne deuorante? pa. 275.
Qui ambulant in iuſtitiis. pag. 276.

CAP. XXXIIII.

Extendetur ſuper eam menſura, et c. pag. 171

CAP. XXXVIII.

Recogitabo tibi omnes annos meos. pag. 245.

CAP. XL.

Super montem excelſum, et c. pag. 176.
Opus illius coram illo. pag. 7.161.
Omnis caro fænum. pag. 263.

CA-

CAP. XLI.

Qui ſuſcitauit ab oriente iuſtum &c. pag. 179.
Facite eũ tamquam argento reprobo. pag. 222.

CAP. XLII.

Clamor parturientis. pag. 292.
Tacui, ſemper ſilui, ſicut parturiens loquar. ibidem.

CAP. XLIIII.

Suſcitans verbum ſerui ſui. pag. 166.
Et conſilium nunciorum complens. pag. 466.

CAP. XLV.

Subijciam ante faciem eius. pag. 332.
Vocaui te nomine tuo. pag. 31.
Rorate cæli deſuper &c. pag. 185.
Poſt te ambulabunt. pag. 167.

CAP. XLVII.

Non poſuiſti hæc ſuper cor tuum &c. pag. 39.

CAP. XLIX.

Dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea. pag. 332.
In manibus meis deſcripſi te: muri tui coram oculis meis ſemper. pag. 22. 190.

Viuo

Viuo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento veſtieris. pag. 91.
Et afferent filios tuos in vlnis. pag. 192.
Et erunt Reges nutritii tui, et Reginæ nutritiæ tuæ. pa. 91.
Vultu in terra demiſſo adorabunt te. ibidem.

CAP. L.

Quis ex vobis timens Dominum. pag. 166.

CAP. LI.

Prope eſt iuſtus meus. pag. 233.

CAP. LII.

Quam pulchri ſuper montes etc. pag. 192.
Parauit Dominus brachium ſanctum ſuum. pag. 335.
Super ipſum continebunt Reges os ſuum. pag. 199.

CAP. LV.

Omnes ſitientes venite ad aquas. pag. 140.
Ecce teſtem populi dedi eum. pag. 482.
Gentem quam neſciebas, vocabis. pag. 174. 482.

CAP. LVIII.

Sanitas tua citius orietur. pag. 13.

CAP. LIX.

Facta eſt veritas in obliuionem. pag. 102.

CAP. LX.

Ambulabunt gentes in lumine tuo. pag. 67. 90.
Reges eorum miniſtrabunt tibi. pag. 91.
Leua in circuitu oculos tuos, et vide; omnes iſti venerunt tibi. pag. 90.
Filii tui de longe venient. pag. 91. 192.
Et afferent filios tuos in vlnis. ibidem.
Ut adducam filios tuos de longe. ibidem.
Aperientur portæ tuæ iugiter. pag. 91.
Gloria Libani ad te veniet. ibidem.
Et adorabunt veſtigia pedum tuorum, &c. ibidem.
Sugges lac gentium, et mamilla Regum lactaberis. ibidem.
Non erit tibi amplius ſol ad lucendum. &c. pag. 200.

CAP. LXI.

Fortitudinem gentium comedetis. &c. pag. 93.
Laudabunt partem eorum. ibidem.
Et dabo opus eorum in veritate, et fœdus perpetuum feriam eis &c. ibidem.
Omnes enim qui viderint eos, cognoſcent illos. ibidem.
Iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus. ibidem.

CAP. LXII.

Donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius. pag. 232.
Videbunt gentes iuſtum tuum, &c. pag. 232. 335.
Erit corona gloriæ in manu Domini. pag. 92.

CAP. LXV.

Expandi manus meas tota die &c. pag. 205.
Et ſacrificant ſuper lateres. pag. 207.
Obliuioni traditæ ſunt anguſtiæ priores. pag. 102.
Non erit tibi amplius infans dierum &c. pag. 208.
Nepotes eorum cum eis. pag. 28.

CAP. LXVI.

Numquid ego qui alios parere facio, ipſe non pariam? &c. pag. 64. 293. 357.
Qui aliis generationem tribuo, ſterilis permanebo. pa. 357.
Qui enim ceteris generationem tribuit. pag. 344.
Ecce ego declinabo ſuper eam quaſi fluuium pacis, &c. pag. 64.

EX IEREMIA PROPHETA.

CAP. I.

Vt euellas, et deſtruas, diſperdas et diſsipes. pag. 225.
Ab Aquilone pandetur malum &c. pag. 180.

Digitized by Google

CAP. II.

Clama in auribus Ieruſalem. pag. 27.
Omnes qui deuorant eum, delinquunt. pag. 215.
Et foderunt ſibi ciſternas, ciſternas &c. pag. 47.
Super eum rugierunt leones. pag. 275.
Ego autem plantaui te vineam electam. pag. 221.
Facta eſt ſicut vinea aliena. pag. 222.
Onager aſſuetus in ſolitudine &c. pag. 211.

CAP. III.

Numquid non polluta, et contaminata erit &c. pag. 187.

CAP. IIII.

Ecce auditum eſt in Ieruſalem cuſtodes venire &c. pag. 8.

CAP. VI.

Probatorem dedi te in populo meo robuſtum &c. pag. 217.

CAP. VII.

Numquid ſpelunca latronũ facta eſt domus iſta &c. in oculis veſtris? pag. 28.
Et miſi omnes ſeruos meos Prophetas ad vos. pag. 165.
De nocte conſurgens, et mittens ſeruos meos &c. pag. 220.

CAP.

CAP. VIII.

Dabo agros eorum heredibus. pag. 377.
Dominus Deus noſter ſilere nos fecit. pag. 104.

CAP. IX.

Aſcendit mors per feneſtras. pag. 394.

CAP. XI.

Mittamus lignum in panem eius. pag. 184. 243.

CAP. XV.

Si conuerteris, conuertam te &c. pag. 223.
Si ſeparabis pretioſum a vili. pag. 126.

CAP. XVI.

Auferam maculis veſtris, et in diebus veſtris vocem gaudii. pag. 28.

CAP. XVII.

Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo. pag. 227.
Cum recordati fuerint filii eorũ ararum ſuarum. pa. 231.
Maledictus homo qui confidit in homine. pag. 160.
Qui recedunt a te, in terra deſcribentur. pag. 191.

CAP. XXIII.

Ecce dies veniunt dicit Dominus, &c. pag. 231.
Somniaui ſomniaui Ieruſalem. pag. 264.
Propheta qui habet ſomnium, narret ſomnium. ibidem.
Ecce ego ad Prophetas ſomniantes mendacium. ibidem.

CAP. XXV.

Et miſit dominus ad vos omnes ſeruos ſuos Prophetas. pa. 165.
Bibent et turbabuntur, et inſanient. pag. 277.

CAP. XXIX.

Et ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum. pag. 444.

CAP. XXXI.

Conuertam luctum eorum in gaudium. pag. 272.
Omnes cognoſcent me a minimo eorum vſque ad maximum. pag. 139.

CAP. L.

Feceruntq. vagari in montibus. pag. 177.
Omnes qui inuenerunt, comederunt eos. pag. 215.
Quaretur iniquitas Iſrael, et non erit. &c. pag. 236.

CAP. LI.

Deſertum faciam mare eius, et ſiccabo venam eius. pa. 147.

CA-

CAP. LV.

Omnes ſitientes venite ad aquas. pag. 140.

EX THRENIS IEREMIAE.

CAP. I.

Dominus locutus eſt ſuper eam. pag. 276.
Peccatum peccauit Ieruſalem. pag. 216.
Facta eſt Ieruſalem quaſi polluta menſtruis. ibidem.

CAP. II.

Proiecit de cælo in terram. pag. 436.
Obliuioni tradidit Dominus feſtiuitatem et ſabbatum. pag. 102.

CAP. IIII.

Maior effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum. pag. 12.

CAP. V.

In animabus noſtris offerebamus panem nobis. pag. 27.

EX EZECHIELE PROPHETA.

CAP. III.

Adhærebit lingua tua palato. pag. 103.

CAP. VI.

Delebuntur opera veſtra. pag. 149.

CAP. IX.

Repleta eſt terra ſanguinibus. pag. 215.

CAP. XI.

Hæc non erit vobis in lebetem; & vos. &c. pag. 282.

CAP. XVI.

Et fornicata eſt cum filiis Aegypti. &c. pag. 240.

CAP. XVII.

Scient omnia ligna regionis. pag. 127.

CAP. XXI.

Obliuioni traderis. pag. 102.

CAP. XXIII.

Quorum carnes ſunt vt carnes aſinorum, et ſicut fluxus equorum fluxus eorum. pag. 242.
Et bibes illum, et potabis vſque ad fæces, &c. pag. 242.

CAP. XXVI.

Cum dedero gloriam in terra viuentium &c. pag. 237.

CAP. XXVII.

Quæ eſt vt Tyrus quæ obmutuit? pag. 104.

Ex

EX DANIELE PROPHETA.

CAP. VII.

Millia millium miniſtrabant ei, &c. pag. 479.

CAP. IX.

Vocatur iuſtitia ſempiterna. pag. 335. 482.

EX OSEA PROPHETA.

CAP. I.

In loco vbi dicetur eis, non populus meus vos &c. pa. 244.
Congregabuntur filij Iuda, et filij Iſrael. &c. pag. 295.

CAP. II.

Vadam poſt amatores meos. pag. 229. 283.
Sumam frumentum meum. pag. 255.
Mercedes meæ ſunt quas amatores mei mihi dederunt. ibidem.

CAP. IIII.

Nocte tacere feci matrem tuam. pag. 105.
Peccata populi mei comedent. &c. pag. 37. 319.
Ideo fornicabuntur filiæ veſtræ. &c. pag. 246.
Separatum eſt conuiuium eorum &c. pag. 249.

INDEX LOCORVM

CAP. VI.

Dolaui in Prophetis, occidi eos in verbis oris mei. pa. 220.
Scientiam Dei pluſquam holocauſta. pag. 139.

CAP. VII.

Locuti ſunt contra me mendacia. pag. 153.
A furore linguæ ſuæ. ibidem.

CAP. VIII.

Aedificauit delubra, et Iudas multiplicauit. pag. 228.

CAP. IX.

Non libabunt Domino vinum. &c. pag. 258.
Sacrificia eorum quaſi panis lugentium. pag. 322.
Scitote Iſrael ſtultum Prophetam. pag. 218.

CAP. XI.

Vocauerunt eos. pag. 308.
Poſt eos abierunt. pag. 290.

CAP. XII.

Seruiuit Iſrael in vxorem. pag. 18.

CAP. XIII.

Colligata eſt iniquitas Ephraim, abſconditum peccatum eius. pag. 12.

EX

EX IOELE PROPHETA.

CAP. I.

Dentes eius vt dentes leonis. pag. 47.

CAP. II.

Quis ſcit ſi conuertatur, et ignoſcat Deus. &c. pag. 168.
Quoniam magnificauit Dominus vt faceret. pag. 303.
Dedit vobis doctores iuſtitiæ. & c. pag. 164.
Effundam ſpiritũ meum ſuper omnem carnem. pa. 93. 262.
Et dabo prodigia in cælo, et in terra. &c. pag. 267.

CAP. III.

Populi populi. pag. 47.
In die illa ſtillabunt montes dulcedinem. &c. pag. 93.
Colles fluent lac et mel. pag. 188.

EX AMOS PROPHETA.

CAP. II.

Poſt quæ abierant patres eorum. pag. 167.
Vinum damnatorum bibebant. pag. 207. 250.

CAP. III.

Leo rugiet quis non timebit? Dominus Deus locutus eſt, quis non prophetabit? pag. 274.

CAP. V.

In tempore illo prudens tacebit. pag. 104.

CAP. VIII.

Mittam famem, non famē panis, neq. ſitim aquæ. pa. 167.
Occidet ſol in meridie. pag. 22.

CAP. IX.

Concutiam in omnibus gentibus domum Iſrael, ſicut concutitur triticum in cribro. pag. 82.
Ecce oculi Domini ſuper regnum peccans &c. pag. 277.

EX IONA PROPHETA.

CAP. II.

Terræ vectes concluſerunt me in æternum. pag. 3.

EX MICHAEA PROPHETA.

CAP. I.

Omnes mercedes eius comburentur igne &c. pag. 283.
Principium peccati. pag. 458.
Heredem adducam tibi. pag. 377.

CAP. II.

A paruulis eorum tuliſtis laudem meam. pag. 105.

CAP.

CAP. IIII.

Erit præparatus mons domus Domini in vertice montium &c. pag. 178.

CAP. V.

Egreſſus eius ab initio a diebus. &c. pag. 287.

EX NAHVM PROPHETA.

CAP. I.

Increpans mare, et exſiccans illud. pag. 147.

CAP. II.

Templum adſolum dirutum. pag. 42.

CAP. III.

Cuſtodes tui quaſi locuſtæ. pag. 8.
Non eſt obſcura contritio tua. pag. 314.

EX HABACVC PROPHETA.

CAP. I.

Tunc mutabitur ſpiritus &c. pag. 299.
Totum in hamo ſubleuauit &c. pag. 305.
Et ſemper interficere gentes non ceſſat &c. ibidem.

CAP,

Digitized by Google

CAP. II.

Veniens veniet, et non tardabit. pag. 14.
Qui dilatauit quaſi infernus animam ſuam. pag. 118.

CAP. III.

Opus Domini. pag. 7.
Cornua in manibus eius. pag. 26.
Egredietur diabolus ante pedes eius. pag. 28. 184.
Maledixiſti ſceptris eius. pag. 456.

EX SOPHONIA PROPHETA.

CAP. I.

Qui auertuntur de poſt tergum Domini. pag. 167.

CAP. II.

Adorabunt eum omnes inſulæ gentium. pag. 142.

CAP. III.

Dominus iuſtus in medio eius &c. pag. 309.
Mane mane. pag. 47. 399.
Diſperdidi gentes, et diſſipati ſunt. pag. 281.
Quia tunc reddam populis labium electum &c. pag. 312.
Et ſeruient ei humero vno. pag. 195.

EX

EX AGGAEO PROPHETA.

CAP. II.

Adhuc vnum modicum eſt etc. pag. 314.
Magna erit gloria domus iſtius nouiſsima plus quam prima. pag. 317.

EX ZACHARIA PROPHETA.

CAP. I.

Domus mea ædificabitur in ea. pag. 174.

CAP. II.

In gloria ero in medio eius. pag. 117.

CAP. IIII.

Videbunt lapidem ſtanneum in manu Zorobabel. pa. 174.

CAP. IX.

Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit. pag. 334.

CAP. XII.

Erit qui offenderit ex eis, quaſi Dauid. pag. 170.

EX

INDEX LOCORVM

EX MALACHIA PROPHETA.

CAP. I.

Poſui hereditatem eius in dracones deſerti. pag. 184.

CAP. III.

Quis ſtabit ad videndum eum? pag. 467.
Erunt offerentes ſacrificia iuſtitiæ. pag. 314.
Teſtem velocem. pag. 481.
Ego Dominus, et non mutor. pag. 482.

EX I. LIB. MACHAB.

CAP. II.

In omnium oculis ſacrificare idolis &c. pag. 27.

EX EVANG. SECVND. MATTH.

CAP. I.

Ieſu Chriſti filii Dauid, filii Abraham. pag. 57.
Quod enim in ea natum eſt. pag. 341. 356.

CAP. II.

Vbi Chriſtus naſceretur. pag. 378.

CAP.

CAP. III.

Cuius ventilabrum in manu eius. pag. 245.

CAP. VI.

Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ. pag. 260.

CAP. X.

Unus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro. pag. 282.
Non peram in via, neque virgam. pag. 337.

CAP. XI.

Tu es qui venturus es? pag. 378.
Illis autem abeuntibus. pag. 195.

CAP. XII.

Ex abundantia cordis os loquitur. pag. 155.

CAP. XVI.

Caro et ſanguis non reuelauit tibi. pag. 431.
Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam pag. 80. 91.
Quam dabit homo commutationem pro anima ſua? pag. 46.

CAP. XIII.

Vadit,et vendit omnia quæ habet. pag. 470.

CAP. XV.

Quare et vos tranſgredimini mandatum Dei? &c. pa. 319.

CAP. XX.

Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. pa. 295.

CAP. XXII.

Quid vobis videtur de Chriſto, cuius filius eſt? pag. 378.

CAP. XXIII.

Implete menſuram patrum veſtrorum. pag. 173.

CAP. XXIIII.

Scitote quia prope eſt in ianuis. pag. 12.
Cælum et terra tranſibunt. pag. 300.

CAP. XXV.

Intra in gaudium domini tui. pag. 43.

CAP. XXVIII.

Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo et in terra. pag. 377.

EX

Digitized by Google

EX EVANG. SECVND. MARCVM.

CAP. VII.

Vos autẽ dicitis, Si dixeris homo patri, aut matri, Corban, (quod eſt donũ) quodcũq. ex me tibi profuerit. pag. 320.

EX EVANG. SECVND. LVCAM.

CAP. I.

Regnabit in domo Iacob in æternum. &c. pag. 91.483.
Sicut locutus eſt ad patres noſtros Abraham, et ſemini eius in ſæcula. pag. 57.453.
Sicut locutus eſt per os ſanctorum. pag. 117. 226. 289.
Illuminare his qui in tenebris, et in vmbra &c. pag. 470.

CAP. II.

Gloria in altiſsimis Deo. pag. 326. 465.
Hominibus bonæ voluntatis. pag. 238.
Nunc dimittis ſeruum tuum &c. pag. 329.
Lumen ad reuelationem gentium. ibidem.
Ecce hic poſitus eſt in ruinam et reſurrectionem multorum. pag. 410.
Aſcendentibus illis Hieroſolymam. pag. 327.

CAP. III.

Cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum. pag. 245.

Cuius ventilabrum in manu eius. pag. 245.

CAP. IIII.

Hodie impleta eſt hæc ſcriptura in auribus veſtris. pag. 27. 28.

CAP. VII.

Propheta magnus ſurrexit in nobis. pag. 29.

CAP. VIII.

Exiit qui ſeminat. pag. 296.

CAP. IX.

Nihil tuleritis in via, neque virgam. pag. 337.
Sinite mortuos ſepelire mortuos ſuos. pag. 473.

CAP. X.

Multi Prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis. pag. 467.
Et appropinquans alligauit vulnera eius. pag. 171.

CAP. XI.

In digito dei eiicio dæmonia. pag. 373.
Tunc vadit, et aſſumit ſeptem ſpiritus &c. pag. 470.
Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. pa. 370.

CAP. XII.

Timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam. pag. 83.
Si ſciret paterfamilias qua hora veniret &c. pag. 378.

CAP. XVI.

Habent Moyſen et Prophetas. pag. 381.

CAP. XIX.

Circundabunt te inimici tui vallo. pag. 78.

EX EVANG. SECVND. IOAN.

CAP. I.

Deus erat verbum. pag. 429.
In propria venit. pag. 150.
Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis &c. pag. 96. 292.
Vidimus gloriam eius. pag. 48. 416.
Gloriam quaſi vnigeniti a Patre. pag. 94. 99.
De plenitudine eius nos omnes accepimus &c. pag. 43.
Gratia et veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. pag. 235.
Deum nemo vidit vmquam. pag. 32.
A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe.? pag. 304.

CAP. III.

Niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei. pag. 96.
Niſi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto &c. ibidem.
Quod natum eſt ex carne, caro eſt, &c. pag. 341.
Non mireris quia dixi tibi, Oportet &c. pag. 355.357.
Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo. pa. 368.
Qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, vt non arguantur &c. pag. 430.
Qui accepit teſtimonium eius. pag. 371.

CAP. IIII.

Qui biberit ex aqua quam dabo ei, non &c. pag. 140.
Spiritus eſt Deus, et eos qui adorant &c. pag. 411.

CAP. V.

Non poteſt Filius a ſe facere quidquam, niſi &c. pag. 34.
Pater omne iudicium dedit Filio. pag. 77.
Qui verbum meum audit, et credit ei qui miſit me. pa. 372.
Venit hora, et nunc eſt, quando mortui &c. pag. 85.
Procedent qui bona fecerunt. pag. 137.

CAP. VI.

Hunc enim Pater ſignauit Deus. pag. 371.

Omne

Digitized by Google

Omne quod dat mihi pater, ad me veniet. pag. 150.
Vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo. ibidem.
Nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me, traxerit eum. pag. 461.
Spiritus eſt qui viuificat. pag. 356.

CAP. VII.

Nemo ex vobis facit legem. pag. 235.

CAP. VIII.

Scio vnde veni, et quo vado; vos autem neſcitis. pag. 365.
A me ipſo facio nihil. pag. 441.
Abraham exultauit vt videret diem meum. pag. 467.

CAP. IX.

In hoc enim mirabile eſt. pag. 116. 427.

CAP. X.

Ingredietur, et egredietur. pag. 195.

CAP. XII.

Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Iſrael. pag. 337.
Qui amat animam ſuam, perdet eam. pag. 422.

CAP. XIIII.

Vera dilectio per opera demonſtratur. pag. 139.

CAP. XVI.

Quæ ventura ſunt, annunciabit vobis. pag. 448.

CAP. XVIII.

Regnum meum non eſt de hoc mundo. pag. 136.

EX ACTIBVS APOSTOLORVM.

CAP. I.

Erat autem turba hominum &c. pag. 31.
Poſſedit agrum de mercede iniquitatis. pag. 479.

CAP. II.

Dies Domini magnus et manifeſtus. pag. 273.

CAP. VIII.

In humilitate iudicium eius ſublatum eſt. pag. 479.

CAP. IX.

Spirans minarum et cadis. pag. 362.

CAP. XIIII.

Qui in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes. pag. 291.
Dans tempora fructifera. pag. 457.

CAP. XV.

Iugum quod nec nos, nec patres noſtri portare potuimus. pag. 412. 442.

CAP. XIX.

Venit Spiritus Sanctus ſuper eos, et loquebantur &c. pag. 265.

CAP. XXI.

Huic erant quattuor filiæ virgines prophetantes. pa. 265.

EX EPIST. B. PAVLI APOST. AD ROMANOS.

CAP. I.

Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei. pag. 373.
Fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo. pag. 426.
Virtus Dei eſt in ſalutem omni credenti. pag. 410.

CAP. II.

Factores legis. pag. 235.
Nomen Dei per vos blaſphematur inter gentes. pag. 377.

Digitized by Google

CAP. IIII.

Non enim per legem promiſſio Abrahæ, aut ſemini eius &c. pag. 376.
Credidit vt fieret pater multarum gentium. pag. 377.

CAP. V.

Regnauit mors ab Adam vſq. ad Moyſen. pag. 381.
Qui eſt forma futuri. pag. 378.

CAP. VI.

Quia vetus homo noſter crucifixus eſt. pag. 402.
Christus reſurgens ex mortuis, iā non moritur. pa. 301.450.
Mortuus eſt peccato. pag. 451.

CAP. VII.

Itaque fratres mei et vos mortificati eſtis legi per corpus Chriſti. pag. 380.
Paſſiones peccatorum quæ per legem erant. pag. 424.
Sicut exhibuiſtis mēbra veſtra ſeruire iniquitati. pa. 405.

CAP. VIII.

Qui non ſecundum carnem ambulant. pag. 241.
Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem &c. pag. 382.
De peccato damnauit peccatum. pag. 37.

Qui

Qui enim ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt. pag. 241.
Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. ibidem.
Nos ipſi primitias ſpiritus habentes. pag. 433.

CAP. IX.

In iudicium populi tui. pag. 303.

CAP. X.

Finis legis Chriſtus. pag. 424.

CAP. XI.

Cæcitas ex parte contigit in Iſrael. pag. 295.

CAP. XV.

Dico Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circunciſionis. pag. 296.336.
Ad confirmandas promiſſiones Patrum pag. 336,

EX EPIST. I. AD CORINTH.

CAP. I.

Per voluntatem Dei. pag. 328.
Elegit Deus ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt, deſtrueret. pag. 425.

Digitized by Google

CAP. II.

Sapientiam Dei in myſterio abſconditam fuiſſe. pag. 438.
Animalis enim homo non percipit ea quæ Dei ſunt. pa. 349.
Spiritualis omnia iudicat, et ipſe a nemine iudicatur. pag. 358.

CAP. IIII.

Sed non in hoc iuſtificatus ſum. pag. 283.

CAP. X.

Omnes eandem eſcam &c. pag. 389.
In quos fines ſæculorum deuenerunt. pag. 478.

CAP. XII.

Nemo in ſpiritu Dei loquens, dicit anathema Ieſu. pa. 155.
Nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu Sancto. pag. 413.

CAP. XV.

Chriſtus reſurrexit a mortuis primitiæ dormientium. pag. 484.
Deinde finis, cũ tradiderit regnũ Deo et Patri etc. pa. 391.
Ut ſit Deus omnia in omnibus. pag. 396.
Seminatur corpus animale, ſurgit corpus ſpirituale. pa. 397.

EX

EX EPIST. II. AD CORINTH.

CAP. II.

Sumus odor Chriſti. pag. 410.
Odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos. pag. 405.

CAP. III.

Vſque in hodiernum diem cum legitur Moyſes. pag. 381.
Dominus autem ſpiritus eſt. pag. 355. 411.

CAP. IIII.

De tenebris lucem ſplendeſcere. pag. 107. 110.
Licet is qui foris eſt noſter homo corrumpatur. pag. 401.

CAP. V.

Et ſi cognouimus ſecundum carnē Chriſtum &c. pa. 83. 218.
Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit. pag. 386.

CAP. VI.

Per arma iuſtitiæ a dextris & a ſiniſtris. pag. 103.

CAP. X.

Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo. pag. 408.

CAP.

CAP. XII.

Raptum huiuſmodi vſque ad tertium cælum. pag. 157.

EX EPISTOLA AD GALATAS.

CAP. III.

Abrahæ dicta ſunt promiſſiones, et ſemini eius. pag. 55.
Semini tuo, qui eſt Chriſtus. pag. 57.

CAP. IIII.

Infirma et egena mundi elementa. pag. 384.
Quæ ſunt per allegoriam dicta. pag. 438.
Sina enim mons eſt in Arabia, qui coniunctus eſt ei. pag. 420.

CAP. V.

Nolite iterum iugo ſeruitutis contineri. pag. 412.
Vos enim in libertatem vocati eſtis. ibidem.
Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum &c. pag. 402.

CAP. VI.

Operemur bonum erga omnes, præſertim erga fideles domus noſtræ. pag. 395.

EX

EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

CAP. I.

Inſtaurare omnia in Chriſto quæ in cælis, et quæ in terra. pag. 178. 436.

CAP. II.

Euangelizauit pacem vobis, qui longe fuiſtis. pag. 198.

CAP. III.

Ut innoteſcat Principibus, et Poteſtatibus in cæleſtibus. pag. 178.

CAP. IIII.

Sicut eſt veritas in Ieſu. pag. 414.

CAP. V.

Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. pag. 443.
Fructus autem lucis eſt in omni bonitate &c. pag. 427.
Omnia autem quæ arguuntur, a lumine manifeſtantur. ibidem.
Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico &c. pag. 389. 437.

CAP.

CAP. VI.

Non eſt vobis luctatio aduerſus carnem et ſanguinem &c. pag. 430.
Contra ſpiritualia nequitiæ in caeleſtibus. pag. 431.

EX EPIST. AD PHILIPPENSES.

CAP. II.

In ſimilitudinem hominum factus &c. pag. 383.
Humiliauit ſemetipſum &c. pag. 47.
Qui operatur in vobis et velle, et perficere. pag. 328.

CAP. III.

Noſtra conuerſatio in cælis eſt. pag. 427.

EX EPISTOLA AD COLOSSEN.

CAP. I.

Sicut in vniuerſo mundo eſt, et fructificat. pag. 426.
Qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum. pag. 442.
Primogenitus omnis creaturæ. pag. 483.
Primogenitus ex mortuis. pag. 473.
Pacificans ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt. pa. 436.
Adimpleo ea quae deſunt paſſionum Chriſti. pag. 465.

CAP.

CAP. II.

In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, et ſcientiæ. pag. 381.
In ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis. ibidem.
Corpus autem Chriſti. ibidem.
Fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ. pag. 126.

CAP. III.

Expoliantes vos veterem hominem &c. pag. 398.
Charitas eſt vinculum perfectionis. pag. 387.

EX EPIST. I. AD THESSALON.

CAP. IIII.

Eos qui dormierunt per Ieſum. pag. 377.

EX EPIST. II. AD THESSALON.

CAP. II.

Myſterium iam operatur iniquitatis. pag. 389.
Quem Dominus Ieſus deſtruet illuſtratione aduentus ſui. pag. 395.

EX EPIST. I. AD TIMOTHEVM.

CAP. I.

Quã quidam repellentes, circa fidem naufragauerũt. pa. 442.

CAP. V.

Quia primam fidem irritam fecerunt. pag. 443.
Iam quædam conuerſæ ſunt retro Satanam. ibidem.
Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur. pag. 320.

CAP. VI.

Quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. pag. 442.

EX EPIST. II. AD TIMOTHEVM.

CAP. I.

Auerſi ſunt a me omnes qui in Aſia ſunt. pag. 442.

CAP. II.

Ex quibus eſt Hymenæus, & Philetus. pag. 442.

EX EPISTOLA AD TITVM.

CAP. III.

Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris noſtri Dei. pag. 329.
Cum ſit proprio iudicio condemnatus. pag. 452.

Digitized by Google

EX EPIST. AD HEBRAEOS.

CAP. I.

Quem conſtituit heredem vniuerſorum. pag. 377.
Purgationem peccatorum faciens. pag. 195.450.
Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium. pa. 399.

CAP. II.

Non enim Angelis ſubiecit Deus orbem terræ futurum. pag. 448.
Vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem. pag. 445.
Quia pueri communicauerunt carni, et ſanguini, voluit eiſdem participari. pag. 385.

CAP. III.

Quæ domus ſumus nos. pag. 65.101.

CAP. VI.

Impoſſibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati &c. pag. 441.
Virtutes ſæculi venturi. pag. 199.

CAP. VII.

Qui non ſecundum legẽ mandati carnalis factus eſt. pa. 386.
Propter infirmitatem eius, et inutilitatem. pag. 383.

CAP. VIII.

Nam ſi illud prius culpa vacaſſet. pag. 236.
Quod ſeneſcit, prope interitum eſt. pag. 300.

CAP. IX.

Chriſtus aſsiſtens Pontifex futurorum bonorum. &c. pag. 199.

CAP. X.

Umbram non habens lex futurorũ bonorum. pa.199.446.
Impoſsibile eſt enim in ſanguine taurorum et hircorum auferri peccata. pag. 384.
Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia. pa 449.
Spiritui gratiæ contumeliam fecerit. pag. 451.
Illuminati magnum certamen ſuſtinuiſtis paſsionum. pag. 443.

CAP. XI.

Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei. pag. 109.
Ut ex inuiſibilibus viſibilia fierent. pag. 107.
Iacob moriens ſingulos filios Ioſeph benedixit &c. pa. 452.
Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem. pag. 456.

CAP. XII.

Eccleſiam primitiuorum. pag. 100.
Spiritus iuſtorum, et perfectorum. pag. 387.

CAP. XIII.

Ieſus Chriſtus heri et hodie, ipſe et in ſacula. pag. 380. 408. 450. 424.

EX EPIST. CATHOLICA BEATI IACOBI APOSTOLI.

CAP. I.

Vnuſquiſq. vero tetatur a concupiſcentia ſua &c. pa. 460.
Omne donum perfectum de ſurſum eſt deſcendens a Patre luminum. pag. 67.

CAP. II.

Fratres mei nolite in perſonarum acceptione habere fidem, &c. pag. 464.

CAP. IIII.

Quae eſt enim vita noſtra, vapor eſt. pag. 269.

CAP. V.

Iudex ante ianuam aſſiſtit. pag. 12.

EX EPIST. I. B. PETRI APOST.

CAP. I.

Regenerauit nos in ſpem viuam. pag. 292.
In quem deſiderant Angeli proſpicere. pag. 466.

CAP. II.

Lapis offenſionis,et petra ſcandali. pag. 410.
Qui de tenebris nos vocauit in admirabile lumen ſuum. pag. 442.
Non tantum bonis et modeſtis,ſed etiam diſcolis. pag. 223.

CAP. III.

Ut nos offerret Deo mortificatos quidem carne, viuificatos autem ſpiritu. pag. 474.
In quo et his qui in carcere erant. &c. pag. 468.

CAP. IIII.

Qui paſſus eſt in carne,deſiit a peccatis. pag. 477.
Propter hoc enim et mortuis euangelizatum eſt: vt iudicentur &c. pag. 468.

EX EPIST. II. B. PETRI APOST.

CAP. I.

Multa et pretioſa vobis donauit. pag. 199.

CAP.

CAP. II.

Celerem perditionem. pag. 13.
Sed octauum Noe iuſtitiæ præconem conſtituit. pag. 469.

EX EPIST. I. B. IOANNIS APOST.

CAP. II.

Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. pag. 419.
Nunc multi Antichriſti ſunt in mundo. pag. 441.

CAP. V.

Tres ſunt qui dant teſtimonium in cælo, & tres ſunt, &c. pag. 367.

EX APOCAL. B. IOAN. APOST.

CAP. I.

Et a ſeptē ſpiritibus qui in conſpectu throni eius ſunt pa. 476.
Qui eſt teſtis fidelis, primogenitus mortuorum &c. pag. 481.
Sacramentum ſeptem ſtellarum hoc eſt. pag. 438.

CAP. II.

Qui vicerit, non lædetur a morte ſecunda. pag. 157.

CAP. III.

Hæc dicit Amen Teſtis fidelis. pag. 482.

CAP. IIII.

Et ſeptem lampades ardentes ante thronum, &c. pa. 481.

CAP. VII.

Et omnes Angeli ſtabant in circuitu throni. pag. 479.

CAP. XI.

Factum eſt regnū huius mundi Domini noſtri &c. pa. 392.

CAP. XII.

Non eſt inuentus amplius locus eorum in cælo. pag. 237.

CAP. IX III.

Amodo iam dicit ſpiritus vt requieſcant a laboribus ſuis. pag. 377.

CAP. XVII.

Et in fronte eius nomen ſcriptum myſterium. pag. 438.
Ego dicam tibi ſacramentum mulieris &c. pag. 439.
Beſtia quam vidiſti, fuit, et non eſt. pag. 425.

CAP. XXI.

Nihil inquinatum intrabit illuc. pag. 349.

Re-

Rerum præcipuarum Index.

ABRAHAE *apparuit Deus in monte Moria.* pag. 90.

Aegyptii Idolorum cultui præ aliis Gentibus nimium addicti. 241.

Altare ad immolandum iuxta legem ex terra conſtructum eſſe debebat, aut ex lapidibus non ſectis. 207.

Anima ſui infuſione in corpus creatur, et creatione infunditur. 399.

Anima, ſiue ſecundus homo, D. Paulo cæleſtis cur dicatur. 401.

Anima nullatenus cælo elabitur, vt quidam autumant. 401.

Non eſt diuinitatis particula. *Ibidem.*

Non educitur e potentia materiæ. *Ibidem, et* 404.

Antichriſti tyrannis illuſtratione Aduentus Domini deſtruetur. 395.

Apoſtoli Eccleſiæ fundamenta iecerunt. 196.

Architriclinus diuerſo nomine Iudæis dicebatur, qui Romanis rex conuiuii. 346.

Aſſyriorum ager ferax, et cultiſſimus. 123.

BABYLON *latiſſimis, firmiſſimiſq. muris cincta.* 146.

CAECVS *et claudus non intrabunt in Templum: paroemia Hebræorum.* 48.

Cælum tertium ſedes beatorum. 157.

Cantica edere conſueuerunt ſancti veteris Teſtamenti Patres ob inſigne aliquod beneficiū diuinitus acceptum. 330.

Chaldæi veteres, aliiq. Philoſophi conſtituebant chaos, hoc eſt, materiam rudem et indigeſtam: ex qua præuia aiebant mundum emerſiſſe. 108.

Chriſtianæ religionis obſeruatores ſunt veri Iſraelitæ. 295.

Chriſtianorum populus eſt ſemen cui benedixit Dominus. 93.

Chriſtum Dominum quare Matthæus initio Euangelii filium Abrahæ appellarit. 59.

Chriſtus fundator Eccleſiæ. 97.

Chriſtus Dominus in ſacrificiis & ritibus veteris Legis adumbrabatur. 424.

Ciuitas Dei, Eccleſia Chriſti. 92.

Coſta ab Adamo conſopito auulſa vna cum ſibi cohærente carne. 10.

DAVIDI *magna a Deo beneficia exhibita.* 56.

Dauidis regis ſumma pietas & religio in Deum, eiusq. cultum, qui in Templo exhibebatur. 68.

Deus in Prophetis frequenter loquitur humano more.

Diabolus poſt diem Iudicii contra damnatos æternis ſuppliciis exeret vires ſuas illos cruciando; non amplius contra alios homines. 394.

Dromades cum ob innatam ſibi pernicitatem effugiant inſectantes, partui tamen propinquæ non multo labore comprehenduntur. 216.

Eccle-

ECCLESIA nulla hoſtium vi impetita interiit vmquam, aut eſt interitura. 80. et 324.
Eccleſia Petri nauicula comparatur. 325.
Euangelicæ Legis obſeruatoribus ſpiritualia promittuntur. 159.
Euangelica lex in Ieruſalem cœpit a Chriſto et Apoſtolis promulgari. 412. et 413.
Euangelium humanarum actionum regula. 428.
FELICITATIS ſupernæ gaudia et fructus in hoc ſæculo. 69.
Fides formata quæ per dilectionem operatur, fuit ea per quam Abrahæ factæ ſunt promiſsiones. 379.
GENTIVM vocatio quando facta, et quamdiu duratura. 13. et 74.
Gentium vocationem quibus verbis Prophetæ declarent. 73. 130. 132. 133. 179. 196. 269. 292. 294. 315. et 352.
Gentes omnes ſuſcipient doctrinam Eccleſiæ. 97.
Gentium vaſtatio qua ratione myſtice accipienda. 134.
Gentes cum dicuntur opulentæ et felices futuræ ſub temporibus Meſsiæ, id genus felicitatis oportet ſecundum ſpiritum intelligatur. 159.
Gentium vocatio vſq. ad conſummationem ſæculi duratura, nec ante futurum extremum Iudicium quam illa compleatur. 274.

He-

Digitized by Google

HEBRAEORVM *populus typus eius, qui ſub Chriſto eſt.* 153.

Hebraicae linguae cognitio plurimum confert ad ſcripturarum intelligentiam. 168.

Hebraeorum magni caetus in portis ciuitatum quaſi in foro conueniebant. 326.

Heliopolis clariſſima vrbs, totius Aegypti academia, ſuperſtitionū tamen et idololatrici cultus altrix. 156.

Hominibus nefariis ſolent ſcripturae breuem vitam tribuere. 209.

IDOLORVM *cultores conſueuerunt Diis ſuis in hortis ſacrificia offerre.* 207.

Ieruſalem typus Eccleſiae. 67. 80. et 201.

Ieruſalem elegit Deus vt in ea ſacrificiis coleretur. 89.

Ioſeph Patriarcha praeclarus ſomniorum interpres, abditiſſimarumq. rerum ſcrutator et conſcius. 24. et 25.

Iſaac in monte Moria immolandus fuit. 90.

Iſaias multa praedicit de felicitate Eccleſiae. 91.

Copioſius et ſaepius de Aduentu Domini, gentiumq. vocatione texit vaticinia, quam de aliis Chriſtianae religionis myſteriis. 151.

Iudaei proprii natalis ſoli amantiſſimi, exules futuri inter exteras nationes praedicuntur. 281.

Iudaei, Romanorum quibus parebant, plures ritus et conſuetudines imbiberunt, mutua vtriuſque gentis con-

uer-

uerſatione et conuictu id afferente. 338. et 345.
Iudicia in portis exercebantur ab Hebræis. 324.
LEX vetus magnam habet cognationem cum Euangelio, nec ſibi inuicem aduerſantur. 423. 424. et 426.
Infirma fuit et imbecillis, quæ nequiuerit ſuos obſeruatores iuſtificare. 382. et 383.
Legis obſeruatores longæui ſunt ſuper terram. 210.
Legis naturæ tempore vniuerſa pæne veterum Patrum ſubſtantia gregibus et armentis conſtabat. 43.
MALA ad ſe attrahens velut Cæcias nubes, parœmia. 212.
Meſsiæ aduentus omnibus temporibus, quæ ab Abraham fluxerunt, promiſſus. 59.
Meſsiæ Regnum variis ænigmatibus adumbrarunt antiqui Vates. 116.
Meſsiam Regem futurum, & qualem Regem prædicit Iſaias. 129.
Meſsias promiſſus quo vaſtationis genere delebit gentes. 134.
Meſsiæ tempora quæ. 138.
Meſsiæ tempora feliciſsima. 198.
Meſsiæ temporibus bona et opes magnas futuras vaticinati ſunt Prophetæ. 199.
Meſsiæ aduentus Adam, & primæui mundi Patribus reuelatus. 288. Ab iiſdem prædictus. 289.

Meſ-

Meſſiæ aduentum ſumma pax & felicitas in vniuerſo orbe conſecuta eſt. 298.

Meſſiam antiqui Patres ita vocabant: Ille qui venturus eſt. 378.

Moſaycæ legis cultoribus copia temporalium bonorum promiſſa; Euangelicæ obſeruatoribus ſpiritualia dona proponuntur. 159.

Mulier, Ieremiæ 3. emphaſim præſefert, innuit enim Mariam Virginem. 187.

NABVCHODONOSOR *rex gentium expugnator.* 120.

ORATIO *effert animi mores.* 154.

PECCATVM *qua ratione ſubrepat, dignoſcatur et conſummetur.* 463.

Populum ſuum peculiari modo protegit Deus. 63.

Populum Iſrael afflictum et iuſtum cur appellent Scripturæ. 76.

Promiſſiones de Chriſto naſcituro præcipue factæ Abraham & Dauid. 57. et 59.

Prophetæ quo genere locutionis aſſueſcant læta & proſpera ſignificare. 63.

Prophetæ Os Dei vocantur. 130.

Prophetæ ad ſignificandam certitudinem et ſtabilitatem rerum quæ prædicuntur, libenter et ſæpe vtuntur tempore præterito pro futuro. 139.

Prophetarum munus. 166.

Pro-

Prophetarum conſortio populum deſtitui, vltio grauis. 167.
Prophetis familiare eſt in ſuis vaticiniis vocationem gentium interſerere. 196.
Prophetis vt contigerit vaticinia reuelari. 264 et 265.
Prophetis in more eſt in ipſa hiſtoriarum ſerie promiſsiones de Chriſto interiicere. 315.
REGEM *conuiuii vnum ex conuiuis conſtituebant Romani, & quorſum ea conſuetudo ſpectaret.* 345.
Regia in monte Sion fundata. 89.
Regnum Dei quod eſt Eccleſia, florentiſsimũ et æternum. 117.
Regnum Meſsiæ quale. 136.
Renaſci dicuntur qui per gratiam & Baptiſmi lauacrum filii adoptionis fiunt. 96.
Reſpublica eſt inſtar animalis. 127.
SACRIFICIA *Veteris legis infirma, quæ non valuerint iuſtificare.* 384.
Sancti veteris Teſtamenti Meſsiæ aduentum ſummis votis exoptarunt. 446. *& deinceps.*
Sapientibus, ſiue Philoſophis apud multas gentes regnum, ampliſsimaque munera committebantur. 233. et 388.
Silere dicitur Deus ad preces noſtras, cum differt auxilium. 70.
Simeonis ſummum deſiderium videndi Chriſtum Dominum. 330.

Sina

Sina mons qua ratione typus Ieruſalem dicatur. & deinceps. 421.
Sion paſſim apud Prophetas typus eſt Eccleſiæ. 89.92.et 203.
Sol quando conditus. 4.
Solis et lunæ obſcuritas calamitates minitatur. 171.
TEMPLVM *in monte Moria fundatum.* 89. & 90.
Templum primum typus Eccleſiæ extitit. 317.
Templum ſecundum diuitiis et opulentia primo impar, multo tamen auguſtius præſentia & ingreſſu Chriſti Domini. 318.
Terra in prima ſui conditione aquis circundata fuit. 2. et 51.
Teſſera hoſpitalitatis, & amicitiæ ſymbolum, variiq. eius vſus apud Gentiles populos. 338.
Triclinium quid dicatur, et quæ notio vocis. 346.

LAVS DEO OPT. MAX.

Digitized by Google